

TOMÁS DE JESÚS (O.C.D.)

Commentaria in regulam primitivam
Fratrum Beatae Mariae Virginis de Monte
Carmeli : quae in noua Discalceatorum
reformatione seruatur... / authore P.F.
Thoma a Iesu... eiusdem Ordinis... --
Salmanticae : Apud Ioannem Ferdinandum,
1599

[16], 485 [i.e. 487], [35] p., A8,
A~Z8, 2A-2G8, 2H4, @4, 2@8, 2@6 ; 4°

Port. con anagr. xil. de los
Carmelitas Descalzos. -- Colofón. --
Apostillas marginales. -- Error de pág.,
p. 479-480 repetidas

1. Carmelitas Descalzos-Reglas,
constituciones, etc. 2. Karmeldar
Oinutsak-Erregelak, konstituzioak, etab.
I. Título

R-6436 Enc. piel gofrada, deteriorada.
-- Ex-libris ms. en port.: "Es del
S[an]to Desierto de S. JPH de la Isla"

COMMENTARIA
IN REGVLAM PRI-
MITIVAM FRATRVM

Beatae Mariae Virginis de monte Carmeli,
quæ in noua Discalceatorum re-
formatione seruat̃.


*Vbi etiam plures aliorum ordinum Regulae obiter explanantur, potissi-
mam vero Basilij, Augustini, Benedicti, & Fran-
cisci, & alia, quæ in margine notantur.*

AUTHORE P. F. THOMA A IESV
Biacensi Prouinciale eiusdem Ordinis in Prouia-
cia Sancti Eliae Prophetæ.

de sancta Trinitate

de sancta Trinitate

Deserto



Salmantica apud Joannem Ferdinandum.
M. D. XCIX.

T A S S A.

YO Pedro Çapata del Marmol Escriuano de Camara de su Magestad, de los que en el su Consejo residen, doy fee que auendose visto por los Señores del Consejo de su Magestad vn libro intitulado Cōmentaria in Regulam fratrum Beatæ Mariæ Virginis de monte Carmelo. Compuesto por fray Thomas de Iesus, Prouincial de la prouincia de Castilla la Vieja, de la orden de nuestra Señora del Carmen de los Descalços que ante ellos fue presentado, y con su licencia impresso; tassaron cada pliego del dicho libro à tres marauedis, y el dicho libro tiene sesenta y seys pliegos, q̄ al dicho precio montan ciento y nouenta y ocho marauedis, cada volumen del dicho libro en papel, y para que dello conste, de mandamiento de los dichos Señores del Consejo de su Magestad di la presente, que es fecha en la Villa de Madrid, à treze dias del mes de Henero, de mil y sey cientos años.

*Pedro çapata
del Marmol.*

EL REY.

POR quãto por parte de vos F. Thomas de Iesus Prouincial dela Prouincia de Castilla la vieja de la ordẽ de nuestra Señora del Carmẽ de los Descalços, nos fue fecha relaciõ, q̃ vos auia des compuesto vn libro intitulado, Commentaria in Regulã fratrum B. Mariæ Virginis de monte Carmeli, en el qual de mas de explicar vuestro instituto y Regla, se declaraba juntamẽte las Reglas è institutos de otras Religiones, y con el fauor de nuestro Señor seria de mucho prouecho para todas las demas Religiones, por q̃ en el se fundaua y apoyaua todo lo q̃ era recogimiẽto, oraciõ, y penitẽcia, y otras cosas pertenecientes a la disciplina monastica. Y asì mesmo auia des cõpuesto otro libro en Romance q̃ se intitulaba, Antiguedad y Cofradia de la orden de nuestra Señora del Carmẽ q̃ sera de mucho consuelo y ayuda para todos los fieles, y nos suplicastes os mãdãsemos dar licẽcia para imprimir los dichos libros, y priuilegio por veynte años, o como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nõro Cõsejo, y como por su mãdado se hizierõ las diligencias, q̃ la pragmatica por nos vltimamẽte fecha sobre la impressiõ de los libros dispone, fue acordado, q̃ deuiamos de mãdar dar esta nõra cedula para vos en la dicha razon, y nos tuuimoslo por biẽ. Por lo qual os damos licẽcia y facultad, para q̃ por tiẽpo de diez años primeros siguientes a nuestra cedula, vos, o la persona, que quisiere, y no otra alguna, podays imprimir los dichos libros, que de suõto se ha de imprimir por sus originales, q̃ en el nuestro Cõsejo se ha de ver rubricados y firmados al fin de Pedro Marmol nuestro Escriuano d̃ Camara, de

los que en el nuestro Consejo residen, y con que antes que se vendan, los traygays ante ellos cō sus originales, para q̄ se vea, si la dicha impresiō esta cōforme a ellos, o traygays fee en publica forma, como p̄r Corrector por nos nõbrado se vio y corrigio la dicha impresiō por sus originales. Y mãdamos al impressor, q̄ asi imprimiere los dichos libros, nõ imprima el principio y primer pliego, ni entregue mas de vn solo libro cō sus originales al autor, o persona, a cuya costa lo imprimiere, ni a otra persona alguna para effeçto de la dicha correçtiō y tasa, hasta q̄ antesy primero los dichos libros estē corregidos, y tassados por los del nõro Consejo, y estãdo hecho y no de otra manera podays imprimir el dicho principio y primer pliego, y seguidamēte pōga esta nuestra cedula, y la aprobaciō, q̄ de los dichos libros se hizo por nuestro mãdado y tasa y erratas, lo pena de caer en las penas cōtenidas en las leyes y pragmatikas de estos Reynos, q̄ sobre ello disponē. e mãdamos q̄ durãre el dicho termino de los diez años, persona alguna sin vuestra licēcia nõ pueda imprimir ni vender los dichos libros lo pena q̄ el q̄ los imprimiere, y vendiere aya perdido y pierda todos y qualquier libros, moldes, y aparejos, q̄ de los dichos libros tuviere, y mas incurra en pena de cinquenta mil maravedis, la qual dicha pena sea la tercia parte para la nuestra Camara, y la otra tercia parte para el juço lo sentēciare, y la otra tercia parte para la persona q̄ lo denunciare. Y mãdamos a los del nuestro Consejo, Presidēte y Oydores de las nuestras audiēcias, Alcaldes, Alguaziles de la nuestra casa y Corte, y Chancillerias, y a todos los Corregidores, Asistētes, Governadores, alcaldes mayores y ordinarios, alsi como a los que agora sũ, como a los q̄ serã de aqui adelante, q̄ los guardē y ha-

y hagan guardar esta nuestra cedula, y contra su tenor y tormano vayan ni passen por alguna manera so pena de la nuestra merced, y de diez mil maravedis para la nuestra Camara . Fecha en el Pardo a veynte y siete dias del mes de Nouiembre de mil y quinientos y nouenta y ocho años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro Señor.

D. Luys de Salazar.

A 3



X commissione supremi senatus summa attentione perlegi commentaria hæc in Regulam primitiuam fratrum B. Mariæ Virginis de monte Carmeli, composita per admodum doctum & Reuerendum Patrem fratrem Thomam de Iesu, Prouincialem Ordinis Discalceatorum Prouinciæ S. Eliæ, in Regno Castellæ, in quibus nihil inueni, quod sit contra fidem Catholicam, neque contra Sanctos Canones, neque contra bonos mores, ab Ecclesia prædicatos & commendatos: Imo in eis plurimè docto & distincto stylo difficultates elucidantur, quæ non solum profunt dictis fratribus Discalceatis, & eiuſdem Regulæ professoribus, sed etiam alijs Religiosis distinctas Regulas profitentibus. Et ideo operæ pretiū esse censeo, hæc nimis docta & elaborata commentaria typis mandari debere, vt ipsa suum debitum finem consequantur. Data in Conuentu Salmanticensi Patris nostri Francisci, die decimanona Nouembris anno Domini 1598.

*Fray Manuel.
Rodriguez.*

Approbatio Ordinis.

Commentaria hac Patris fratris Thoma de Iesu
Prouincialis Prouincia S. P. N. Elie Propheta,
Ordinis B. Mariae de monte Carmeli Discalceatorum,
in Regulã primitiuã eiusdẽ ordinis, iussu Patris nostri
fratris Elie de S. Martino Generalis vidi, diligetẽr q;
& accurate perlegi. In quibus nihil, quod aut fidei, aut
bonis moribus aduersetur, offendi. Quinimò vbique vti
lissima abundant doctrina, & rationibus Theologis &
Sanctorum Patrum autoritatibus, mira quadam eru-
ditiõne (eius quidem digna ingenio) comprobata. Quo
etiam opere humilitati, penitentiã, orationi, cellula cu-
stodia, & rigidiori denique vita, qua nostra proficetur
Religio, mirum in modum fauet. Quare & Deo opt.
Max. gratissimum, & omnibus vtilissimum fore cen-
seo, si ea typis mandandi prabeat licentiã, quod ad se
attinet. Dat. Toleti in hoc nostro Conuentu Spiritus Sã
sti Kalendis Iulij, anno 1598.

Frater Leonardus de
Spiritu Sancto.

Facultas superioris.

Frater Elias de Sancto Martino Generalis ordinis Beatae Mariae de monte Carmeli Discalceatorum, facultatem concedo (quod ad me attinet) ut commentaria in Regulam primitiuam nostri ordinis à Patre fratre Thoma de Iesu Prouinciali Prouinciæ S. P. N. Eliæ prædicti ordinis, composita, & à Patre fratre Leonardo de Spiritu Sancto nostre Religionis professore de mandato nostro perlecta, deindeque maturè approbata, typis mandentur. In quorum fidem has nostras litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostri ordinis munitas dedimus, Toleti, Kalendis Iulij, anno 1598.

*F. Elias de S. Martino
Generalis.*



REVERENDO
ADMODOVM PATRI
nostro Fratri Eliæ à Sancto Martino,
totius Ordinis nouæ reformationis
Carmelitarum, (qui Discal-
ceati nuncupantur)
Generali.

*Frater Thomas à Iesu, eiusdem Ordinis
indignus filius.*



VAE me impulerint causę, vt ad
expositionem nostrę Regulę me
accingerem, & commentarijs ex-
plicarem, tibi que, religiose ad-
modum Pater dedicarem, hac
epistola reddendam rationem
existimaui. Ac primum satis su-
perque mihi erat causa obedientię ministerium, à
qua non solum inuitatus, sed & iussus olim subierã.
Sed non potui perficere, nunc autem cum me
viderem, quanuis breui tempore, tũm ab occupa-
tionibus absolutum aliquantulum, tũm mediocri sa-
nitati restitutum: statui, non solum Religioni obtem-
perare, sed etiam, (vt mihi persuadeo,) Deo optimo
maximo

maximo obsequium gratissimum præstare. Nam quum hæc nostra Regula neque perfectione, neque excellentia, neque etiam antiquitate, vlli ex his, quas Ecclesia veneratur, cedat: ita tamen ab authoribus antiquis, & nostris est parum celebrata, vt iam in oblivionem omnium videatur incidisse. Cuius rei fortasse ea causa fuit, quia post aduentum Carmelitarum in Europam, paruum tempus in primæuo illo rigore, in quo condita est, perduravit. Eugenius enim huius nominis quartus illam notabili decreto anno 1400. (id est, abhinc ducentis annis) temperavit: & cum rigoris mitigatione huius primitivæ etiam Regulæ memoria mitigata est, ne dicam abolita. Ante mitigationem vero Eugenij, pauci erant in Europa Carmelitæ, & hi magis in propullandis laboribus ordinis, & arcendis periculis, quàm in scribendis libris erant occupati. Ac proinde mirum non est, si per tot annorum curricula Regula hæc iacuerit in tenebris. Post nouam demum reformationem, in qua nos hanc primam Regulam profite-mur, adhuc breuissimum tempus fuit, & in quo grauissimæ res, & ad Religionem necessariæ fuerunt stabiliendæ. Quare nullum tempus ante hoc datum fuit huius negotij opportunè tractandi. Nunc verò, rebus iam perfectis, & fauente Deo ritè constitutis, ratio postulare videtur, vt iam tandem hæc fax splendidissima, quæ tandiu in tenebris latuit, admirabilem emittat splendorem: & ad gloriam & honorè omnipotētis Dei, omnibus deinceps comunicetur, quæ pro salute omnium est instituta, & omnibus altissimam ad perfectionem viam ostendit, ac parat.

Mouit etiam me ad hos commentarios perficiendos magna & insignis utilitas, quæ nostræ professioni

professioni ex eis potest accrescere. Nam cum primum huius Regulæ perfectio & integritas omnibus pateat, securius & alacrius ad eius obsequium properabunt: ostensaque huius diuinæ institutionis excellentia, omnium animos ad eius assequutionem, obseruantiamque perfectam alliciet. Huius denique Regulæ exacta intelligentia nostræ professionis athleticis maximè est necessaria. Quid enim unicuique magis necessariū, quam artis suæ nouisse finē & scopum? Aut quis vnquā in instituto suo perfectus esse potuit, qui ipsius regulas, & normas ignorauerit? Nullus certè artifex in artificio suo celebris, aut exactus erit, si nō ad vnguē quid illud contineat intellexerit, ac penetrauerit. Imo verò nihil fædius, aut turpius cuique hominū contingere potest, quā sui status & institutionis rationes ignorare. Multa præterea dāna & incōmoda, nescientem sui instituti normā cōsequuntur. Nā si præcipua viuēdi ratio in Regula cōtinetur, si hæc ignoretur, & frustas, qui ex ea explicata percipi potest, cassus, & inutilis erit. Et si Regula est recta via ad perfectionē cōsequendā, frustra iter facere parat qui viā ignorat. Sūt etiā Religionū omnium Regulæ veluti spirituales quidā aphorismi, quibus infirmitates nostræ, & morbi cōplures eradiciuntur. Ignorata igitur tali medicina, morborū remedia nō consequemur. Longū esset obseruantissime Pater, enumerare mala, quæ ex ignorantia Regulæ possent committere. Quare sanctissime, vt tot mala euitarentur, Conciliū Vienēse statuit, vt Religionū præfecti in Cōuentualibus Capitulis partē aliquā propriæ Regulæ suis subditis declararent, vt suæ professionis cōsiliū, ab ea non aberrēt. Prælati quoque cōducet Regulam exacte cognoscere, vt rite eam obseruare faciant.

ciant. Nam, dùm, multi verum sensum ignorant, in nimium rigorem excurrunt: alij vero, ne rigidi nimis cēseantur, blandi & lenes (quod non sine magno Regulæ detrimento cōtingit,) inueniūtur. Postremò hæc cōmentaria ad regulas alias constituendas, quas cōstitutiones vocamus, mire prodesse possunt. Solet enim contingere, vt Regulæ nouæ, quæ sint veluti huius primæuæ Regulæ appēdices, & expositiones, pro tēporis varietate nascātur. Quæ tunc demū firmæ erunt, & accōmodæ, si iuxta huius verum intellectum efformabuntur. De scopo hætenus.

Nunc ad te, Reuerēde admodum Pater, reuertor, cui hos tenues meos labores multis de causis dicatos esse volui (& forte huius rei nō opus erat accuratam aliquam reddere rationē. Nā tunc sanè instituti mei ratio reddenda fuisset, si tuo patrociniō præterito sub alterius cuiuspiam umbra hos meos labores prodire voluissē.) Nā cui potius horū primitias dicarē filius obsequētissimus, quā tibi, nostræ Religionis sapiētissimo, & meritissimo Patri? Quæ causa etiā si nō extaret, vel illa sufficeret, quod Regulæ obseruatiorē nullū alium possem inuenire. Ex quo quiuis facile potest intelligere, tibi, qui Regulam re & opere seruas, illius explanationē ex Sanctorum Patrū doctrina stabilitā, fore iucundissimā. Alia denique, eaque potissima causa fuit, quam reticere vellem vtpote tibi molestā, sed quia filijs tuis gratissimā animaduerti, nō possū, etiā si lingua tātæ rei nō sufficere non scriptis propalare. Alia (inquam) causa est. Illud nescio quid diuinitus tibi à summo Deo cōcessum, quonos omnes allicis volētes, & suauissimis catenis ligatos deuincis, & arduos charitate perducis. Sed qui videat, te Dei omnipotentis cor arripuisse, non mirabitur

rabitur, si corda hominū constricta pertrahas, & pertracta constringas. Id efficit summa & eximia tua erga Deū charitas, quā neque tu vnquā poteris occultare, neque filij tui possumus nō prædicare. Hinc nata est illa clementia erga omnes, generosi animi certus index. Quid vero dicā de singulari mansuetudine, atque humilitate? Hæc enim quū sit cæterarum virtutū fundamentū & ostiū, etiā si nulla alia tuæ sanctitatis coniectura extaret, vel ea sufficeret, vt te sanctissimū iudicārē, si verū est quod Augustinus prædicat, quanto quis humilior, tātō & sanctior. Quid de vitæ pænitentia & asperitate per tot annorū curricula? ita enim per pænitiæ labores, per morbos & ægrotudines fuisti semper, & nunc aliquādo exercitus, vt post tot annorū spatia ita nunc alacriter & prōpte, ac si denuō inciperes, in stadio percurras. His itaque spiritualibus donis, huius vitæ arētudine, clarissimè ab omnibus cernitur, quo pacto exemplum doctrinæ respondeat, asperitas vitæ intelligentiæ præcepti assimilatur; ac denique operibus quā conlona verba & sermones tui reperiantur. Quantum ex hoc exemplo, & singulari tuo viuendi ritu nostræ Religionis accesserit fructus, non meū est declarare, res ipsa loquitur. Quibus de causis (vt alias ne tibi molestior hāc interim mittā) iā nō audax cuiq; videbor, si charitatis catena, qua oēs trahūtur, ego trahor, & tibi me, meaq; omnia libēter offero, quū præsertim nō iam in hoc ipso vtilitatē querā. Nā si tu, vt omnia poples, meas has cōmētationes hilari vultu acceperis, & tua saltē vmbra contexeris, nemo erit inter tuos filios tā perfricatæ frontis, qui eas libenter nō recipiat, & amplectatur. Vale. & Dñs noster Iesus Christus te nostræ Religionis diu seruet incolumem.

A D.

AD LECTOREM.



Vperiore epistola (religioſe Lector) expoſui, quo conſilio adductus nouum hoc & ab alijs prætermiſſum argumentum, quod in expoſitione noſtræ Regulæ verſatur, fuerim aggreſſus. Nunc vero operæ precium duxi, quæ ſint quæ à me hic diſſerantur, & quo ordine, præmittete. Opus igitur hoc quatuor partibus ſiue libris continetur. In prima regulæ illæ ſiue inſtitutiones, quibus noſter ordo ab initio fuerit aſtrictus proponuntur. In ſecūda prolegomena quædã expediuntur, quibus nõ nullis huius Regulæ antiquitatis, dignitatis, & perfectionis aduerſarijs occurrerem, & propoſito ſcopo maiorem lucem afferrem. Nam & ipſa rei natura poſtulare videtur, vt de regula acturus, nomen, definitionem, originẽ, autorem, finem ſiue ſcopum, nec non dignitatẽ eius & perfectionem prius oſtenderem: quæ omnia ſecunda huius operis parte aperiũtur. Deinde in tertia præcipuã Regulæ capita gloſis & dubitationibus elucidantur. In quarta denique de exhortationibus, quanuis interdum de aliquibus etiam præceptis diſſeritur. Summa igitur huius tractationis eo tendit, vt verus ſenſus Regulæ, ſumpto argumento, ab ipſa, à ratione, à Patribus, vel ab alijs non infimæ notæ autoribus aperiatur, interdũ tamen placuit

placuit, alias Religionū regulas, quę cum nostra conueniunt tum in margine annotare, tū in corpore, & in contextu sermonis sæpe adducere, & explicare. Annotaui igitur regulas omnes, quas in Ecclesia obseruatas olim, & nunc temporis inueni: quia verò multę congregationes loco regulę cōstitutionibus utuntur vt Camandulentes, Carthusiani, necnon & Religio Societatis Iesu, ideo earum constitutiones pro regulis citaui. Siquid verò in his commentarijs, quod in Dei gloriam, & nostri ordinis vtilitatem cedat, inueniatur, eo utatur lector, & Deo omnium bonorum auctori, non mihi ignaro & rudi gratias agat: Si minus vtile, minus verum, aut minus propriè dictum offenderit, nobis parcat benignissimè. In omnibus me, non solum Romanę Ecclesię, quam vt pijsimam matrem, & veritatis magistram colo, verū & cuiusque alterius censurę subijcio.

ERRATAS.

Pag. 2. li. 9. *ostensuri. le. ostensuros. pag. 2. li. 18. ostensuri. le. ostensuros.*
 pag. 2. li. 9. *proprius. le. propius. pag. 9. li. 12. mon. le. monte. pag. 25. lin. 6.*
Ioannis. le. Ioannes. pag. 18. li. 22. antiquum. le. iniquam pag. 46. lin. 19.
cupidem. le. cupidinem. pag. 47. linea 23. perfectionem. le. se. perditionem.
 pagina. 34. linea. 22. *propter te ipsum. le. se. propter se ipsum. pagina. 36.*
 lin. 10. *licita. le. illicita. pag. 56. li. 13. illicita le. licita. pag. 57. li. 15. impediens*
dis. le. impendendis. pagin. 57. li. 16. cultu meo. le. cultui meo. pagina. 60. linea.
 20. *intrahibitis. le. intrabitis. pagina. 65. li. 27. gustare. le. gustata. pag. 88. li. 32*
obijt. le. abiit. pag. 115. li. 25. inter inhomines. le. inter homines. pag. 135. li. 22.
brocardum. le. reginaldum. pag. 145. li. 8. Decembris. le. septembris. pag. 161. li.
 19. *institutioni. le. institutionis. pag. 166. li. 24. officio. le. officij. pag. 172. lin. 27.*
confirmantur. le. confirmarunt. pag. 207. li. 35. precepta. le. preceptina. pag. 113.
 li. 25. *maior. le. maior. pag. 217. li. 11. propterea. le. praeterea. pag. 231. li. 20. infes*
ta. le. infecta. pag. 246. li. 30. sciebantur. le. sciebant. pag. 246. li. 36. designabat.
le. designabatur. pag. 277. li. 32. idem, qua. le. qua. pag. 302. li. 33. legitimis. le. le
gitimus. pag. 308. lin. 13. habet. le. habeat. pag. 309. lin. 30. facere. le. fecere. pag.
 312. li. 2. *facta. le. festa. pa. 334. lin. 4. conseruanda. l. conseruandam. pag. 357. li.*
 36. *prohibet. le. permittit. pag. 378. li. 18. patet. le. pater. pag. 378. li. 24. orbos. le.*
morbos. pag. 431. li. 2. ad concupiscentiam. le. quavis ad concupiscentiam. pagina
 440. li. 30. *antes. le. artes.*

1. Pagina. 350. lin. 22. *ibi. (Que sequuntur.) Post haec verba ponenda sunt ex
 linea sequenti illa verba (Et infra. Bonus autem Prelatus agnoscit se) & conti
 nuanda cum illis verbis (Fratrum suorum. &c.*

2. Pagina. 147. linea ultima, *ibi. (Prout temporis pensata.)*

*De sunt haec (qualitate in Domino prospicit expedire, libenter impendit sua
 sollicitudinis partes. sane cum sit nobis pro parte*

Con estas Erratas esta correcto este libro con
 forme a su original. En testimonio de lo
 qual lo firme. En Salamanca oy ocho de
 Nouiembre. 1599. años.

El Corrector. &c.

Manuel de Montenegro.



PRIMA PARS HUIUS OPERIS DE

Regulis, sub quibus ordo Carmelitarum
ab initio suæ institutionis
instituerit.

Argumentum prima partis.



RECTVS differendi ordo postu-
lat, vt in hac priori operis parte,
quæ præfationis vices gerit, aga-
mus de illis Regulis, quibus ordo no-
ster à prima sua ætate fuerit a stri-
ctus; vt sic gradatim ad Regulam
Alberti descendentes, eius sensum,
& mentem clarius percipiamus.

Cum enim Regula hæc ab alijs prio-
ribus, antiquioribusque fuerit assumpta, his primis fontibus pers-
pectis, facile erit riuulos ex eis fluentes colligere. Cum igitur
Carmelitarum ordo tres viuendi normas à sua prima origine ag-
nouerit; in tria potissimum capita prior huius libri pars dissecta
bitur. In prima, de Regulis à maioribus nostris tempore legis
scriptæ, & primitiue Ecclesiæ vsque ad Ioannis Episcopi Hie-
rosolymitanæ seculum seruatis; In secunda, de Regula à san-
ctissimo hac viro Ioanne Patriarcha Carmelitis tradita dicã:
Et in tertia Regulam Alberti, (quæ hodie in discalceatorum
familia

familia seruetur, & cum suis mitigationibus proponam. Ita tamen hæc erunt à me præstanda, ut circa unam quàmque Regulam constet de authore, de tempore, de loco, & de alijs circumstantijs, quæ rem ipsam notiozem reddere solent.

Cap. I. Quibus regulis ordo Carmelitarum tempore legis veteris, & Prophetarum vixerit, quis ve fuerit huius Ordinis author.



ES hæc à primo fonte deducenda est. Ostendi igitur hic primam nostri ordinis Regulam, oportebat prius huius institutionis magistrum, & authorem tradere. Quare (ut rem hanc debito ordine aggrediamur) primo loco huius instituti fundatorem, ac magistrum inquiramus: postea de priori regula, sub qua tunc religio floruit dicturi.

De Elia Ordinis Carmelitarum authore. §. 1.

HAC prima parte ostēduri, ordinem nostrum à magno illo antiquate legisvate Elia ortū habuisse, oportuit præmittere, totius monasticæ vitæ institutum à viro hoc emanasse, eumque Evangelicæ legis consilia diuino ac Prophetico spiritu præuidisse, primūq; omnium obseruasse. Huius rei testimonia passim apud Patres occurrunt, qui ferè omnes Eliæ, & Eliseo hoc penè diuinum vitæ genus deberi fatentur. Sentit hoc Beatus Hieronymus Paulino scribēs, & in epistola ad Rusticum monachum. Sētūt Isidorus lib. 2. de officijs c. 9. Cassianus lib. 2. c. 17. & c. 2. Et Martyr Dorotheus in sinopsi Prophetarum. Testatur idem S. Macharius in sermone ad monachos, vbi geminum agnoscit fontem, à quo omnes, quotquot religiones sunt, emanauere. Primum in veteri lege Eliam Tesbytem, secundum in hac nostra gratiæ Ioannem Baptistam (illum alterum

Hieronym.

Isidorus.

Cassianus.

Machar.

alterum Eliam) agnoscit. Machario adherent Sozomenus in Tripartita libr. 1. capit. 11. Nicephorus lib. 8. historiarum capit. 39. & alij plures, quos iuniores referunt scriptores. In qua re potissimum consulendi Bellarminus libro 2. de Monachis capit. 5. Mattheus Galienus de origine Monastices, ac nouissimè Henriquez (vt alios plures omit tam, quos ipse refert) tom. 2. libro. 12. capit. 5. in glossa littera B.

Sozomen.
Nicephor.
Bellarmin.
Mat. Gal.
Henriqu.

Eliam igitur hanc arctam, angustamque viam ante omnes ingressum esse, Ioannes Hierosolymitanus Patriarcha, (qui circa annos Domini. 400. floruit) ex scriptura colligit, idque in libro de institutione monachorum cap. 9. & 10. latè probat. De qua re nos in libro de professione monastica latius dicemus. Nunc quasi adumbrasse sufficiat, Eliam, eiusque successores castitatem, paupertatem, & obedientiam seruasse. In scriptura enim vates hic magnus sine vxore, sine liberis, sine familia castam, celibèque vitã degens introducitur. Imò primum authorem colendæ virginitatis ferè omnes Patres eum appellant. In tanta in super paupertate vixit, vt vestiũ loco, zona pellicea amictus 4. Regum. 1. describatur, & modo à vidua, modò à coruo victum, quasi mendicatum accipiens. Vtriusque consilij virginitatis, & paupertatis Eliam fuisse cultorem, in tractatu de voto castitatis, & paupertatis apertius, latiusque sequuti sumus. Ac denique obedientia in Eliseo, ac cæteris Eliæ successoribus (testante scriptura. 4. Regum 4.) resplenduit: cum post Eliæ raptum, Eliseo ad Eliæ familiam reuertenti occurrerunt omnes, eumque proni adoraerunt: quasi hoc externo reuerentiæ signo contestantes, se obedientiam, quam prius Eliæ præstiterant, iam in ipsum transferre. Notiora sunt hæc, & à nobis diligentius probata.

Ioan. Pa-
triercha.

4. Reg. 1.

4. Reg. 4.

Illud præterò, quod nunc probandũ aggredior, difficilius sanè apparet: res est, Eliam, eiusque successores professionem monasticam triplici (ferè vt nunc fit) votorum vinculo obseruasse. Quod etsi pari certitudine cū nuper traditis firmũ non sit: probatione tamè magna non caret. Veritati igitur huic examinãde, cõiecturis, quib⁹ nõ parua fides debetur,

utemur: prius id supponentes (quod & Catholicis certum est , à nemineque illorum hactenus dubitatum) in lege veteri receptum, vltique firmatum fuisse, vouere Deo, votisque pacisci, & obligari. Ita censet Pater noster Vvaldensis in doctrinali libro. 3. artic. 2. cap. 27. cui & subscribunt viri grauissimi. Neq; est cur in hoc amplius immoremur: cum passim in scriptura veteri plura emissa vota legamus. *Genes. 29.* Iacob Patriarcha votum vouit, David quoque de extruendo templo votum vouit Deo Iacob, vt dicitur *Psalm. 131.* ac denique plura alia vota leguntur *Leuit. 27. num. 6. & 30. Deutero. 12. & 23.*

Numer. 6. Constat præterea, (constabatque id olim apud veteres patres) quicquid illud sit, quod ex voti obligatione fit, multo esse præstantius, ac Deo gratius, quam si libera ac soluta voluntate fieret. Cuius veritatis testis est *Diuus Thomas. 2. 2. quæst. 88. artic. 6.* Addit in super promissio voto confirmata voluntati promittentis stabilitatem ac firmitatem non modicam, cum animus nulla humana potestate, nisi à seipso ligari possit, ac sua fragilitate, & in constantia priuari. De quo argumento plura apud Hieronymum *Plato libro. 1. de bono statu religionis. capitulo. 20.* eruditè (vt in alijs solet) scripta reperies.

Tertio id erit præmittendum, in lege veteri Religionis vota expressa fuisse, & obseruata: sic enim Nazareos Religionis voto astringi affirmat *Origenes in 20. cap. Leuitic. homil. 11.* *Isidorus libro. 2. de officijs capit. 4.* & latius *Canisius de corruptellis capit. 2.* Cæterum ad rem proprius accedamus, & de castitatis voto specialiter differentes, hoc votum in lege veteri fuisse etiam fidelibus propositum, ostendamus. Primò ex illis verbis *Isaiæ 56.* in quibus Dominus consolatur eunuchos dicens. *Non dicat eunuchus, ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus Deus Israel, qui custodierint sabbata mea, & elegerint, que ego volui, & tenuerint fædus meum: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus. Nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.*

Quæ

Quæ verba intelligunt B. Hieronymus, Cyrillus ibi, Augustinus de virginitate capit. 24. & Basilius in libro de vera virginitate, de continentibus, id est, de his, qui voluntariè seruant virginitatem, non verò ad litteram de abscissis, vel illis, qui à ventre matris suæ sic nascuntur. Quod patet ex ipso contextu, quia nulla est maior ratio, cur eunuchis sic natis promittatur maior gloria, quam sit filiorum, & filiarum Dei. Et licet ij patres tantum affirmant, in lege veteri prædictis verbis consuli voluntariam continentiam, nihilque exprimant de voto castitatis: mihi tamen certum videtur, ex hoc loco non obscure colligi consilium circa votum castitatis seruandum. Idque ex alio scripturæ simili loco, adiuncta Patrum obseruatione, confirmatur. Tunc enim plenè scripturam explicari existimo, cum eadem scriptura sui est interpret. Locus igitur est Matthei capit. 19. vbi Christus Dominus ait. *Sunt eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnum Cælorum.* Vbi ipsa Eunuchorum appellatio perspicuè indicat ipsum continentiam votum. Non enim est Eunuchus, qui solum continet, sed qui ita continet, vt non possit nõ contineri. Quare Christus Dominus loquutus est non de his, qui solo proposito voluntatis se castrauerunt: sed de illis, qui à se voto continentiam omnem facultatem contrahendi nuptias amputauerunt. Hanc interpretationem rectè confirmat Bellarminus libro, 2. de Monachis capit. 23. ex Epiphanio hæresi 29. Hieronymo, Matth. 9. & Augustino libro de sancta virginitate capitul. 30. vt videnturque prædicto Matthei loco communiter controuersarij contra hæreticos nostri temporis, vt probent castitatis votum à Christo Domino fuisse institutum. Simili ergo ratione locus ille Isaie est interpretandus, vt in illo, Eunuchorum nomine non tantum continentes, sed etiam, qui continentiam firmarunt, intelligantur. Et quia fortassè alicui durum, nouumque videbitur, in lege veteri castitatis votum fuisse expressum, cum potius lex ipsa ex libes, & orbos, semenque post se non relinquentes maledictione dignos ducat: vt constat ex Deuteronomio, capit. 25. aduertat oportet, scripturam non de semine carnali, sed

Hieron.
Cyrillus.
August.
Basilius.

Matt. 19.

Bellarmin.
Epiphan.
Hieron.
Augustin.

Deut. 25.

spirituali accipiendam esse. Et vtrumque (nempe quòd in legè veteri castitatis votum commendetur, & quòd maledictio feratur in carentes spiritali prole) testatur clarissimè Damascenus libro. 4. fidei Orthodoxæ capitulo. 25. vbi virginitatem miris laudibus efferens, postquam eam multis veteris legis patrum exemplis obseruatam fuisse docuit: vt ostenderet, in illa lege non solum virginitatem seruari, sed etiam votum continentix emitti, & laudari, subiungit: *Nonne lex magnum votum castitatem appellauit?* Et vt obiectioni, quæ sese offerre poterat ex ver-
Damascen. bis illis Deuteronomij, *Maledictus homo, qui non relinquit semen post se*, respondeat: statim adiecit. *Oportet igitur spiritalius accipere legis præceptum. Nam est semen spirituale per charitatem, & timorem Dei in mentis utero parturienti spiritum salutis. Sic autem accipiendum est hoc. Beatus est, qui habet semen in Sion, & familiares in Hierusalem.*

Hæc Damascenus. Quibus manifestè confirmat, in lege veteri fuisse castitatis votum: nec reprobata fuisse continentiam. Et quamuis Damascenus non exprimat locum, in quo lex magnum votum castitatem appellet, tamen, præter illum Isaix capit. 56. supra adductum, non video alium in scriptura, ex quo clarius id percipi possit, ni forte illud acceperit ex libro Sapientix capit. 3. vbi dicitur: *Fœlix spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitauit contra Deum nequissima; dabitur enim illi fidei donum electum, & fors in templo Dei acceptissima.* Qui locus eundem sensum cum illo priori Isaix habet. Hæc autem tempore legis antiquæ dicta sunt, ex quibus clarè constat, in illa votum continentix floruisse.

Iosephus. De voto verò obedientix etiam constat, a monachos veteris legis fuisse receptum. Colligitur id apertè ex Iosepho libro 2 de bello Iudaico capit. 7. vbi de Essenis loquens, affirmat, eos post biennium vota quædam, siue iuramenta emittere, inter quæ maioribus obedire iurabāt. Verba Iosephi audiamus. *Prius verò quàm incipiat com-*

munem habere vitam, magnis execrationibus adiurat, se primum colere Deum, deinde quoque erga homines servare iustitiam, & neque propria sponte nocere cuquam, neque ex precepto obesse, & collaborare semper iustitia sectatoribus, fidem omnibus servare, maximè verò Principibus. Neque enim absquè voluntate Dei cuquam posse principatus potentiam contingere. Si verò ipse cæteris præsit, nunquam se abusurum viribus potestatis ad contumeliam subiectorum. (Et paulò inferius) His quidem execrationibus explorant, & quasi præmuniunt accedentes, deprehensos vero in peccatis à sua congregatione depellunt: & qui taliter fuerit condemnatus, miserabili plerumque morte consumitur. Illis quidem sacramentis, ac ritibus obligatus neque capere ab alijs oblatum cibum potest. Hæc Iosephus.

Tandem paupertatè Eliam, eiusque successores fuisse amplexos, docent D. Ambros. & alij, de quibus nos in tractatu de voto paupertatis diximus. Quâvis (vt verum fatear) hi non doceant, Eliam, aut eius familiã votum de servanda paupertate emisisse. Id tamè ego tã de paupertate, quã de alijs votis nunc ostendã. Si enim Elias, eiusque successores monachorũ institutũ amplectentes, Deo se consecrarũ, castitatè, paupertatem, & obedientiã colentes, cũ prædicti patres non ignari essent, fore Deo gratissimũ, longèq; meritorium, propositum suum voto firmare: (hoc enim, vt supra præmissimus, in lege veteri notum, cõpertumque fuit:) Et præterea, cũ aperte scirent, plurimũ valere hanc votorum emissionè ad voluntatem nostrã, quæ lubrica, ac in malum propensa est, in bono firmandam, in rectoque continendã: non est dubium, quin hoc votorum auxilio ad prædictos fines servarentur. Ad hæc accedat, illius societatis viros selectos & lege Iudaico, sapientia, & acumine ingenij ceterã plebè longè superasse, quibus ignorantia tantæ rei contingere non poterat: maximè vero Eliam, & Eliseum vitæ monasticæ duces, qui ex frequentium Deo colloquio, & lectione scripturarũ, diuitias, & vberimos thesauros, qui in votis monasticis laterèt, fuisse adeptos certe credendũ est.

Ambros.

Quare existimo scripturę, & rationi valde consentaneum esse, viros illos diuino lumine ductos institutum monasticum tribus votis firmasse. Maxime cum Elias speciali Dei reuelatione monasticę professioni initium dederit. Hactenus constat, Eliam Prophetam institutorem fuisse monasticę professionis, docuisseque triam votorum, ex quibus religio constat, cultum, & obseruantiam.

Quo tempore, & loco vit excellens Elias monasticam vitam instituerit, aperiamus. De loco in primis constat, tum apud scripturam, tum apud authores, fuisse Carmelum montem. Ita Regum narrat historia, potissimum capitulo 3. & 4. libro 2. Et ne huius nominis æquiuocatio confusionem pariat, sciendum est ex Hieronymo in Amos capitulo. 1. duos esse in Syria Carmeli montes, vnus est in tribu Iuda (qui Hebraicę CARMEL dicitur) insignis, fertilis in pascuis, fructibus, & herbis, ferax vini delicatissimi, in hoc Saul Amalecicum vicit, habitauit ibi Nabal, qui repulit nuntios Dauidis. Alter est in Galilea in tribu Issacar (eodem teste Hieronymo, Isaia, 16. & 29. & Hieremia 2. & 5. & ante ipsum Iosepho de bello Iudaico capitulo 9.) qui dicitur Carmelus maris: mons est excelsus valde, & nemorosus, nobilissimis vineis, oleis, arbutis, fructiferis arboribus, herbisque odoriferis abundans, vt ob summam rerum omnium copiam, fertilitati, & abundantię in scriptura comparetur. Abest à Tholomay de stadijs 120. vt Iosephus tradit, eiusque passim multa fit mentio in Prophetis.

Iosephus.

Basili.

Hic mons, (vt verbis Diui Basilij in Epistola ad Chilonem, loquar) celebris Carmelus est, in quo Elias demotatus, perplacuit Deo, in illo namque vitam solitariam, & ab hominum consortio semotam professus est.

Nazian.

vt præter Basilium sentit Nazianzenus, in oratione de pauperum amore, & in apologetico postquam a fuga redijt, atque in oratione in Maximum. Cuius rei non

Ioan. Hier.

immemor Ioannes Hierosolymitanus Patriarcha, capi-

Volateran:

tulo. 19. de institutione monachorum, & aubi sepe eam

Guill. Tyr.

repetit. Hisque grauissimis patribus consentiunt Volateranus in antropologio libro 21. Guilielmus Tyrus

libro. 5. continuationis belli sacri capitulo 3. Polidorus Virgil. libro. 3. de inuentoribus rerum capitulo. 7. Sabellicus libro 5. æneade. 9 pluresque alij, quorum testimonia retulimus in libro 1. antiquitatis nostri ordinis Carmeli, prope finem, responsione 1. proposit 4. Qui omnes vno ore fatentur, montem hunc mora Eliæ, Elisei, & illorum, qui filij prophetarum appellabantur, fuisse nobilitatum. Imo in hoc monte Eliam vsque ad sui raptum permansisse, non obscure ex Martyrologio Romano die 20. Iulij colligitur: vbi hæc verba habentur.

Polidorus.

In monte Carmeli raptus Eliæ Prophetæ. &c. Cuius etiam rei signum est, Eliæ, post raptum, oratorium in hoc monte erectum: de quo apud Suetonium in vita Vespasiani cap. 5. & Genebrardum, in Chronologia libr. 1. anno mundi 3382. mentio fit: De hoc oratorio Eliæ dicato stat epigramma Gregorij Nazianzeni apud Baronium in Martyrolog, 20. die Iulij: quod sacellum, siue templum postea restitutum fuit per Helenam Constantini matrem, vt author est Nicephorus libro 8. historiae Ecclesiasticæ, capitulo 30. Ac denique iterum per Basilium imperatorem, vt refert Cedrenus in compendio historiae in Basilium.

Martyrol. Romanum.

Suetonius. Genebrard. Nazianz. Baronius.

Nicephorus.

Cedrenus.

Plantauit verò in hoc monte Elias monasticum institutum, tanquam in commodiori, & aptiori ad altissimum hoc vitæ genus. Testatur id Ioannes Hierosolymitanus, capit. 19. in libro de institutione monachorum his verbis. *Studia Elias deinceps religionem, quam inchoauerat, in loco idoneo plantare. Quare ad sui & suorum discipulorum iugem mansionem, elegit, præ alijs Eremitis, Carmeli montem, tanquam commodiorem ad propheticam disciplinam, & vitam monasticam in eo edocendam, & exercendam. Mons quippe præbet Eremitæ homini ex sua solitudine silentium, & quietem: ex suis antris congruam mansionem, ex suo saltu iucunditatem, ex suo eminenti situ aerem salubrem, ex suis herbis, & fructibus pastum vberem, & ex suo fonte aquæ viuæ hauritum dulcem.* Propter quæ omnia Elias in monte isto non

Ioan. Hier.

modò elegit habitare: verum etiam domum orationi consecratam, appellatam (SEVNION) in eo edificauit. Hactenus Patriarcha Hierosolimitanus.

Ioã. Hier.

De tempore verò, quo diuinus hic vates, formã viuendi monasticã tradiderit, non ita clarè apud authores constat. Illud apud Ioannẽ Hierosolymitan. vt sup. c. 20. scriptũ inuenio: post institutionẽ vitæ monasticæ, montẽ Carmelũ per sexdecim annorũ spatium, ante ipsius raptũ, Eliã incoluisse. Quare, siue Eliæ raptũ dicamus cõtigisse anno 3272. ab orbe cõdito, & à tẽpore diluuij ano 1586. secundũ Genebrar. chronographiã lib. 1. fo. 123. siue, secundũ Adonem in Chronicon, ætate quinta à mundo cõdito. 4247. siue, vt Erald. Carthusiens. in fasciculo tẽporum ait, circa annum à creatione mundi 4300. & à natiuitate Abrahæ. 1110. & ante natiuitatẽ Christi anno 932. quã computationẽ alijs veriore existimo: ante hoc tempus, quo Elias raptus dicitur, sexdecim inquam annis monasticus ordo in monte Carmelo initium habuit.

Genebrar.

Ado.

Eraldus.

Probauimus hactenus, Eliam fuisse authorem alicuius religiosi instituti, restat nunc ostendere, institutam ab Elia religionem vsque ad nostra tempora perdurasse: & denique hanc ipsam religionem esse eandem, quã sub tutela B. Mariæ de monte Garmelo Carmelitæ nunc profitentur. In cuius confirmationem non aduocabo domesticos testes, nec nostrę Religionis historiographos, ne forsan suspecti iudicentur, cum adeò externis abudemus authoribus, vt nostri superflue videantur. Quare silentio nũc prætereo D. Cyril. quodã nostri ordinis Priorẽ generalem, qui circa annũ Dñi. 1200. floruit, Vvilhelmum de Samuco, Sibertũ Becã, Phil. Ribot, Philippum Riboti, Ioannem Grossi, & doctissimũ Bachonem, quorũ meminit Trithemius Abbas de laudibus Carmelitarum c. 2. qui omnes libros integros de hac re scripserunt, quorum etiam vestigia sequuti sunt doctissimus Paalenius, Simon Coelhus, & ante ipsos in apologia quadam, Baptista Mantuanus. Et quamuis hos omnes excludam, vnus, aut alterius testimonium, quibus fidem non habere, nefas esset, adducã. Primum est Ioannis Hierosolymitani

D. Cyril.

Vvilhel. de

Samuco.

Siber. Bac.

Phil. Ribo.

Ioã. Gros.

Ioan. Bacõ.

Trithem.

Paalenius.

Bapt. Man.

Ioã. Hier.

Patriar-

Patriarchæ, quondã montis Carmeli splendoris, & cultoris insignis, qui ex priore huius familiæ ad Hierosolymorũ sedem tẽpore Honorij, & Archadij fuit assumptus: cuius admirabilẽ sanctitatem memoriæ non peritura tradidit Nicephorus Calixtus lib. 11. Ecclesiasticæ historiæ c. 18. Scripsit hic librum vnum de institutione monachorum in veteri lege exortorũ, & in noua perseuerantium, in quo Caprasio montis Carmeli præposito rescribens, Carmelitarũ genealogiam à Propheta Elia, tanquam à primo fonte, latè doctè que deducit. Hoc solum testimonio profecto nos contentos esse oporteret, & propter authoris vitã, cũ sanctissimus fuerit, & inter nostri ordinis diuos in Martyrol. Molani die 13. Ianuarij referatur, omniq; mædacijs labe carere credatur: & propter mirã hominis eruditionẽ: is enim sua ætate maximos aduersus D. Hieron. congressus super doctrina Origenis habuit, qui tamen neque à Hieronymo fuit rationibus superatus, nec in disputationibus confusus. Quare credendũ est, illũ in veritate examinãda è latebrisque eruẽda, fuisse diligentissimũ. Si ijs denique addamus authoris grauitatẽ, Patriarchã inuenies. Igitur vir miræ sanctitatis, eruditionis incredibilis, grauitate, & functione alijs non inferior librum hunc Carmelitarũ institutionem ab Elia cõtinentẽ scripsit. Quibus adiiciam, hoc fermè 1. Ecclesiæ sæculo contigisse, cum ille circa annũ Dñi 400. floruisse tradatur, quo tempore, recentior erat præteritorum sæculorum memoria, maximè verò apostolorũ, totiusque euangelicæ prædicationis. Nec minoris est coniecturæ, historiæ veritatẽ fuisse adeptum, cũ librum Hierosolymis conscripserit, vbi tũ rerum Syrię monumenta certiora inueniri necesse erat, præcipuè cum de rebus in illa prouincia gestis agat. Quis ergo de huius viri testimonio queat dubitare?

Nicephor.

Molanus.

Ni fortè aliquis dubitet, vel illũ fuisse Carmelitã, vel librũ hũc scripsisse. Horũ primum latè in tractatione [hispano sermone] de ordinis antiquitate edita lib. 1. c. 11. demonstrauimus. Secũdũ verò ita certũ est, vt de eo ambigi nõ possit. Id sentit Vvald. qui frequẽter hũc Ioan. librũ cõtã hæreticos affert, præcipuè de sacramentalibus tit. 9. c. 89. Cõsentit Armachanus, apud eũdẽ Vvaldẽsem, Morigia lib 1. de origine

Vvaldens.

Plato.

Armacha.

Morigia.

Religio

Trithemius Religionum capit. 30. Trithem. de laudibus Carmelitarum
Gre. Valē. capit. 2. Plato de bono statu Religios. libro 2. capit. 22.
 Gregor. de Valencia. 22. disputatione 10. quæstio. 4. pun-
 cto. 1. pluresque iuniores & grauisissimi scriptores, & no-
 uissimè liber hic circumfertur insertus Bibliothecæ sancto-
 rum Patrum tom. 9.

Fuit autem liber hic Ioannis Bibliothecæ sanctorum pa-
 trum appositus ex consensu grauisissimorum Scholæ Pa-
 risiensis Theologorum: approbatus insuper à Genebrar-
 do, Ioanne Dradeo, Margarino de Laigne, alijsque erudi-
 tissimis viris, vt constat ex. 1. tomo Bibliothecæ: longum
 que esset, recensere peritissimorum virorum scripta, qui
 huius testimonio vtuntur, licet incuria nostra per multa
 tempora latuerit. Hoc vnum tanti viri testimonium ple-
 nissimum sufficiebat: sed, vt vberius constet, eo non con-
 tentos, plura alia addere par erit.

Vvaldensis Quare 2. loco accedat ex domesticis Vvaldēsis, (cuius au-
 thoritas, & doctrina apud catholicos viros laudatur, & ab hæ-
 reticis valde timetur.) Hic scribēs aduersus suæ ætatis fidei
 oppugnatores, præcipuè aduersus Vvicleph, de sacramēta-
 libus ti. 9. c. 89. latè ostēdit, Carmelitas ab Elia, & Eliseo inf-
 titutos, à quibus eorū monasticā professionē emanasse pro-
 bat. Nec credēdū est, Vvaldēsem (qua vulgus solet) pietate
 id asseruisse. Et si enim fas aliquando sit, pietati ex affectu
 ortæ locum indulgere: in re tamen grauisima, vbi fidei cau-
 sa versatur, vera vndique pietas ab eruditis quæri solet, præ-
 cipuè aduersus hæreticorum perfidiam, quibus mos est, ve-
 ritates quacumque ex parte firmas inficiari. Quid facerent
 si dubijs argumētis, aut simulata pietate veritas muniretur?
 Quare hoc Vvaldensis testimonium firmum, & omni fide
 dignum videtur.

Et antequam ad alia testimonia descendam, liceat adde-
 re Trithemij abbatis, qui in inuestiganda historia gen-
 tissimè laborauit, latissimum testimonium. Is enim agrè
 ferens, nostri ordinis antiquitatem in tenebris iacere, opus
 integrum de laudibus Carmelitarum edendum curauit, per-
 fecitque. Vbi non minus verè, quàm latè ostendit, Eliam,
 & Eliseum nostræ Religionis dedisse primordia, seriemque
 ordinis

ordinis con textit ab Elia vsque ad annum Domini . 1220. quo tēpore Carmelitæ in Europam peruenerunt. Ommiffis alijs, quæ sparsim toto illo libro tradit, aliqua eius verba referam : ait enim capitulo. 2. *Elias Propheta Domini eximius rectè, & Catholicè fundator Carmelitanae Religionis dicitur, si eius facta ex voluminibus regum, absque inuidia discutiantur. Enim verò ipse montem Carmeli primus habitasse legitur, à quo fratres Carmelitæ nominantur. Triplici autem ratione ostenditur, quod istius obseruantia princeps Elias habeatur, à loco videlicet, ab habitu, & conuersatione. Cum ergo nomen ordinis à loco sumitur; meritò Carmelitarum princeps Elias memoratur: quia mons Carmelus, cuius ille habitator extitit, huic ordini vocabulum dedit. Non loquor vana, sed testimonijs scripturarum comprobata profero, eum Eliam Prophetam eundem locum longè ante Christi Natiuitatem habitasse dico, qui fratribus Carmelitis Religionis suæ nomen dedit & exordium, (& infra ait) consentit ergo nomen loci, vt Elias sit fundator ordinis Carmelitici. Vnde non sunt vituperandi fratres huius sacratæ Religionis, quod Eliam & filios Prophetarum sui ordinis fundatores, & Principes asseuerant. Quantum vero ad rationem habitus pertinet, in Eliam ordo Carmelitarum pulchra transfiguratione consentit. Legimus, ipsum amictum fuisse pallio, quo tangente Iordanis obstupuit, & se pedibus transeuntis calcabilem dedit. Sic Eliseus, sic filij Prophetarum imitatores Eliæ facti sunt, qui non solum ei loco, sed & habitu similes permanserunt. Quod si nobis de colore putas inferre calumniam, quanquã sit vile argumentum, quod de inuisis coloribus disputat, ad veterum Historias te vocamus, quibus in primitiua Ecclesia fratres Carmelitæ, instar Eliæ, virgularis pallijs leguntur fuisse induci. (Et paucis interiectis ait.) Ratione autem conuersationis, Elias fundator ordinis Carmelitarum extitit, qui eos in mō*

te Car-

te Carmeli sanctis moribus præcessit. Quid fecit Elias, quod fratres Carmelitæ proposse non imitentur? incoluit ille eremū, vasta solitudinis dilexit, soli Deo & sibi vacauit. At fratres Carmelitæ ab exordio suæ institutionis vitam solitariam in monte Carmelo duxerunt, soli Deo vacare per contemplationis secretum eligentes, donec tandem nouissimis penè temporibus Sarracenorum persecutione de eremo expulsi, iubente sede Apostolica, in vrbibus sunt locati. Vnde & antiquitus Eremitæ montis Carmeli vocabantur. Hæc Trithemius.

Trithem.

Quibus quamuis hic author nullā historiam referat, forte reputans, veritati sibi notissimæ confirmandæ opus non esse: nos tamen opere pretium duximus, scriptores aliquos producere, vt plenè aduersarijs nostris satisfaciamus. Prius tamen eiusdem Trithemij verba c. 3. prædicti libri præmittam: vbi de ordine Carmelitarū loquens addidit sequētia.

Hinc de monachorum institutione dicit Hieronymus. Noster princeps Elias est, dux noster Eliseus, & filij Prophetarum, qui in agris & solitudine habitantes habitacula sibi construebāt iuxta fluenta Iordanis. Erāt isti viri multarū virtutū, charitate maximi, deuotione, & integritate summi, qui in contemplatione suspensi mundum cum voluptatibus suis contempserunt: de quibus veraciter dicit Apostolus. Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. In solitudinibus errātes, in montibus, in speluncis, & in cauernis terra, qui perfidem regna vicerunt, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones. Isti sunt viri fortes, atque prudentes, qui monasticæ conuersationis fundamenta iecerunt, qui, post Eliam, montem Carmeli inhabitantes, se habitu & conuersatione Deo dignos exhibuerunt. Ab his ordo Carmelitarum initium sumpsit, & vocabulum. Ipsi enim ordinis Carmelitici conuersationem legis tempore seruauerunt,

à qui-

à quibus nostri Carmelita sub gratia, & nomen acceperunt, & ordinem. Nihil in his omnibus nisi tempus discrepat. Meritò vnus ordo Carmelitarum, & Eremitarum sub lege, & gratia dicitur, qui vnus Dei fide & cultu coniungitur. Neque autem ceteris ordinibus titulus Elianus conuenit, quibus etsi conuersatio vitæ congruat; tamen nomen loci non concordat. Antiquissimus ergo omnium ordinum in Ecclesia Dei Carmeliticus est, à quo ceteri ordines principium, & formam suæ institutionis acceperunt. (Hæc omnia Trithemius.)

Postquem externi alij non defuere scriptores, qui Carmelitanæ Religionis ab Elia ortum, progressumque integris voluminibus ediderint. Præcipue Carolus Ferdinandus Benedictinæ familiæ monachus, cuius meminit Cassaneus in cathalogo de gloria mundi parte. 4. consideratione 70. & nouissimè Arnaldus de Vuion in libro de ligno vitæ parte. 2. His etiam temporibus Paulus Morigia ordinis Iesuatorum, diuersorum monachorum, ordinumque originis diligens indagator libro. 1. capitulo 30. per totum de institutione, & origine Carmelitarum disserens, pluribus innixus authoritatibus Eliam habuisse authorem ostendit. Huius scriptoris testimonium sufficeret stabiliendæ veritatæ nobis intentæ, eò quod serio, & totus huic incumbens rei, Religionum initia, tempora, authoresque diligenter inquirat. Quare iure de illo præsumendum est, rem attentius præ alijs perspexisse, diligentiusque indagasse.

*Carol. Fer.
Cassaneus.
Arnald. de
Vuion.
Paul. Mo-
rigia.*

Hactenus non vno, aut altero mendicato verbo, aut authorum suffragio, sed integris scriptorum operibus, tam familiaribus, & domesticis, quàm externis veritatem propèlitam confirmauimus. Iam vero breuiora, etsi non minus digna testimonia afferamus.

Primum testimonium petendum erit ab authoritate summorum Pontificum, qui hanc veritatem luce clarius expresserunt. In primis Sixtus Quartus in bulla, quæ incipit, Dum attenda meditatione pensamus: Dat. Rome, an-

no. 1477. sic ait. *Ordinem ipsum, ac illius personas sub sedis
 Apostolicæ, & Ecclesiæ Romanæ protectione immediate
 existentes, & inter cæteros regularium ordinum professores
 in firmamento Catholicæ fidei militantes, tanquam religionis
 speculum, & exemplar speciali charitate fulgentes, sanctorum
 que Prophetarum Eliæ, & Elisei, & aliorum patrum, qui
 montem sanctum Carmeli iuxta Eliæ fontem habitarunt, suc-
 cessionem hereditariam tenentes, fructus quoque &c.* Hactenus
 Sixtus. III. Ferè idem repetunt Ioannes 22. Iulius III.
 Pius. Quintus, Gregorius XIII. Sixtus Quintus Ponti-
 fices maximi, qui in bullis ordini concessis eodem ferè ver-
 borum tenore vtuntur. Imo & nouissimè Sãctissimus no-
 ster Clemens VIII. in Bulla, qua nouæ discalceatorum re-
 formationis constitutiones confirmauit, successionem hæc
 hereditariam ab Elia Propheta nos habere declarauit: vt
 videre est in initio nostrarum constitutionum. Et quanuis
 id non ignorem, prædictorum Pontificum testimonia non
 esse fide diuina credenda, cum hoc tanquam de fide non de-
 cernãt: intra limites verò humani testimonij, quod maius,
 aut firmitus proferri potuit, testimonio tot summorum Põ-
 tificum? quorum eruditio, doctrina & rara sanctitas, etiam
 seclusa Pontificali dignitate, quemlibet etiam p roteruum
 ad fidem compellerent.

Cæterum, quo magis moueor in hac re, vt illam maiori
 fide, quam humana, dignam credam, illud potissimum est
 Apostolicæ sedis decretum cum Cardinalium consilio à
 Sixto V. editum, in quo cautum est, vt Carmelitarum Re-
 ligio Eliam, & Eliseum suæ institutionis Patronos coleret,
 & in eorum memoriam dies festos officijs proprijs recita-
 ret. Vbi inter alia, quæ in Eliæ officio & festiuitate à
 Summo Pontifice approbato dicuntur,
 illud est quod in Hymno Eliæ
 decantatur.

(?)

*Hic sacri est ductor, columen, decusque
Ordinis nostri, superisque gratus,
O Pater salue, placidusque tuos
Excipe alumnos.*

FIt etiã de Elia in toto ordine (nisi festũ duplex occur-
rat) quotidie cõmemoratio, quod soli Patrono, ac or-
dinis authori debetur. De ipso præterea Missæ sacrifi-
ciũ Patrono tantũ conueniens celebratur. Hoc testimoniũ
magni roboris est, neque enim alio grauiori innixa funda-
mento Hispania nostra probat, Apostolũ Iacobũ nostrum
calcasse solũ, tantoque Patrono læta gloriatur. Nullo in
quã alio solidiori fundamẽto, quã Romanos Põtifices spe-
cialiori officio natale huius magni Apostoli per vniuersam
Hispaniã celebrari decreuisse, in quo mẽtio fit eius aduẽtus
in has partes, & sub Patroni titulo recitatur. Accedit etiã,
Romanã Ecclesiã errare non posse in rebus fidei, & morũ,
neque in alijs his affinis, & propinquis, maximẽ in his,
quæ vniuersæ Ecclesiæ proponũtur. Quare in Religionũ ap-
probatione, sanctorũq; inter diuos ad numeratione errare ne-
quit, vt certa & firma Theologorũ tenet sententia. Ex quo
nobis licet cõiectare, ferẽ pari firmitate, & certitudine gau-
dere Pontificis decretũ proponẽs Religioni cultũ alicuius
viri sancti, Patroni nomine: præcipuẽ si id faciat, vt creda-
mus, eũ verũ Patronũ esse, authorẽ ve illius ordinis. Nam li-
cet tale decretũ videatur Religioni speciali fuisse propositũ:
tamen, cũ Religio illa sit approbata, & toti Ecclesiæ vt via
ad perfectionẽ proposita, ex cõsequenti videtur, decretũ il-
lud Ecclesiã vniuersam cõcernere. Quibus insuper addo, au-
thorẽ Religionis, hunc, illũ ve sanctũ ab Ecclesia proponi,
verẽ nihil aliud esse, quam eius vitam, moresq; veluti exem-
plar imitandũ profitentibus illũ ordinẽ exhiberi. Quæ om-
nia ad mores pertinere, nemo est, qui nõ videat. Quare, cũ
Apostolica sedes Eliã Thesbytẽ authorẽ Carmelitarũ serio
declarauerit, officioque Patroni proprio eundẽ quotannis
celebrari sanxerit, reliquum est, temeritatis crimine non

esse liberum, qui contrarium sentire præsumpserit.

Molanus.

Quid obstat, quominus illud superioribus adiugamus testimonium (quod et si pari certitudine non gaudeat, quia illa, quæ ab Apostolica sede dimanauit, nulla humana adæquare potest certitudo: infra illam tamen magni est ponderis) desumptum ex Martyrolo. doctissimi Molani, quod ut ipse fatetur, ex varijs alijs ecclesiarum Martyrolog. cōfecit. In hoc ergo 17. die Iunii Raptum Eliæ referens sic ait. 15. Kalendas Iulij, in Arabia raptus B. Eliæ ordinis Carmelitarum Patriarchæ, qui tantam gratiam inuenit coram Domino, ut verbis clauderet, & aperiret cælum. Hactenus Molan. Quæ verba haud dubie, cum in Martyrol. res incertæ, aut dubiæ tradi non cōsueuerint, fidem, assensumque certum circa oppositam veritatem non parum augent.

Præterea quis non plurimum estimet, pie veneret, suscipiatque antiquissimam, nunquamque oblitteratam traditionem, quæ non solum in ordine nostro, verum apud multos alios inualuit, Eliam Carmelitis authorem esse: cum in Missæ sacrificio, in diuino officio, in omnibus denique precepcionibus nostris huius rei veritas commemoretur: ac repetatur. Nec solum Christianis, Religiosisve traditio hæc nota est, nam Sarracenis ipsis Syriam incolentibus (quod maius est) olim fuit etiam cōperta: præcipue verò inter Sultanos obseruata. Cum enim hi terra sancta potirentur, studiosius, quam de Barbara gente credi possit, Carmelli in otis incolas valde sibi gratos, benignitate beneficijsque prosequerentur: Et (quod silentio prætereundum non est) ut Eliæ progeniem & successores admirabant, colebant, & venerabantur. Quodque dictu incredibile apparet, suis elemosynis copiosam illam familiam alebant. Plures id referunt authores, maxime verò D. Antonin. in historiali 3. p. ti. 20. c. 5. Guillelm. Tyri Episcopus in cōtinatione belli sacri, li. 5. c. 3. Chronica mundi in 6 ætate fol. 207. Polydor. Virgil. de inuentoribus rerum lib. 7. c. 3. Sabelicus lib. 5. c. 9. Naucler. to. 2. generat. 41. Pontacus Burdegalen. lib. 2. Chronographiæ circa annum 1180. Supplementum Chronicarum in principio lib. 13. ac nouissimè Garibay to. 12. c. 28. ac denique Cassaneus in Cathalogo gloriæ mundi, quarta parte, cōsiderationem 70. Equum est præterea, in huius rei cōfirmationem (ut nullum argumentum

Antonin.

Guillelm.

Chronica mundi.

Polidorus.

Sabelicus.

Naucler.

Pontacus.

Supplementum

Chronicarum.

Garibay.

Cassaneus.

rum

ſu genus præmittam⁹) ad reuelationes diuinas de re propoſita factas accedere. Et in primis pferã illustrationē, & reuelationē S. Petro Thomæ relatã. Is enim, dũ virginē nræ Religionis Patronã p illius cõſeruatione precaretur, tale virginis accepit reſpõſum. *Cõfide fili, vsq; in finē mudi Religio Carmelitarũ permanebit. nã Elias illius inſtitutor filio meo apparẽti in trãſfiguratione pro eadẽ cauſa poſtulauit, & impetrauit.* Huius reuelationis teſtes ſunt noſtri ordinis ſcriptores, monumẽtaq; omnia, & vltra ipſos eã referũt Philippus Macerius, & Ioannes Fauentinus in vita S. Petri Thomæ.

Accedat aliud alterius claffis teſtimoniũ à Cãtabrigẽſi Academia in Auglia olim celeberrima aũo Dñi 1374. decreta, ac in fauorem ordinis prolata ſententia. Cum enim tempore Gregorij. XI. ordinis aduerſarij eius antiquitati detraherent, iriderentque, nos veros Eliæ ſucceſſores appellari, viſis, ac examinatis noſtris, aduerſariorumque rationibus, Academia vniuerſa decreuit, Carmelitas non ſolum Eliæ, & Eliſei imitatores, ſed potius veros, ac legitimos ſucceſſores fore appellandos. Et quamuis Academia decretum Gregorius XI. confirmauerit, impijſſimus tamẽ hæreticus Vvicleph aduerſariorũ factionē denuo excitauit, & contra Carmelitarum ordinē, eiusque antiquitatē inuehitur. Contrahũc eius verba referens ſurrexit noſter Vvaldẽſis in lib. de ſacramentalibus tit. 9. c. 89. probans noſtri ordinis antiquitatē, hæreditariamque ſucceſſionē. Cuius opera poſtea fuerũt approbata à Martino V. qui ex decreto Cardinaliũ, in Bulla, quæ incipit, Placuit nobis, illa confirmauit.

Quod ſi his adeo quis difficilẽ in origine ordinis ita antiqua agnoſcẽda ſe præbeat, de qua teſtimonia extãt tã præclara: plura alia, licet nõ fortiora, egregia tamẽ addã. In primis Iosephus Antiochenus huius rei ptulit teſtimoniũ, qui in ſpeculo perfectæ militiæ primitiux Eccleſiæ c. 12. & 72. ſic ait. *Perfectõrũ militũ Chriſti coadiutores ſurrexerũt ſtrenuiſſimi, viri ſolitarij, cõrẽplationi dediti ſanctorũ Prophetarũ Eliæ, & Eliſei imitatores, qui de monte Carmelo deſcendentes per Galilæam, Samariam, & Paſteſtinam fidẽ Chriſti conſtantiſſimẽ ſparſerunt. Quique in virginis Mariae honorẽ,*

*Macerius.
Fauentin.*

Greg. II.

*Vvaldenſ.
Martin. 5*

*Iosephus
Antioch.*

Ascensus
Vaddius.
Pineda.
Poleonido.
Chronica
Romana.

in Carmeli montis decliuis fabricantes oratorium, Saluatoris
matri specialissimè seruiuerunt. (Hæc Iosephus) cuius memi-
nere in hoc proposito Ascensius Vadius in Commentarijs
Mantuani lib. 1. Parthenices fol. 88. & Pineda 3. p. Monar-
chiæ Ecclesiasticæ, lib. 22. c. 23. §. 4. Paleonydorus lib. 1. c. 6.
Cui astipulatur Chronica antiquissima Romana, quæ ferè
eadem verba Iosephi repetens sic ait. *A tēpore Eliæ, & Eli-
sei prophetarū, religiosi denumero eorū, qui morabantur in mō-
te Carmelo iuxta ciuitatē Dominæ nostræ Nazaret, secretius
solebant habitare vsq; ad tempora Saluatoris, qui tādē, præ-
dicantibus Apostolis, in fide confirmati in vno latere ipsius mō-
tis primò Ecclesiam in honorē virginis Mariæ construxerunt.*
(Hæctenus prædicta Chronica.)

Sigibertus
Poleonid.

Quæ duo testimonia de Carmelitis apertè loquūtur, cū
ipsi fuerint (vt supra diximus) qui B. Mariæ oratoriū illud
extruxere. Nec lōge distat ab his Sigiber. Gemblacensis in
chronica Hierosol. (quæ refert Paleonidor. vt supra, dicens.
Cū Carmelita in sancta pœnitētia perseuerassent à tēpore san-
ctorū Eliæ, & Elisei prophetarū, tandē Christū prædicantē au-
dierunt. Qui religiosi fidē catholicā confitētes, in Christo bap-
tizati sunt. Deinde perseuerātes in doct̄ina Apostolorū, habē-
tes gratiā ad omnē plebē veritatis euāgelicæ nuntij fideles, &
Religionis Christianæ legitimi cōfessores legitimè effecti sunt.

Erardus.

Præterea id nobis clarissime scriptū reliquit Erard. Car-
thusiē. qui in fasciculo tēporū in descriptione anni 1294 sic
ait. *Nobilissima ciuitas Acconis à Sarracenis destruitur, ac de-
mū Deifera Mariæ in Carmelo monasteriū ad quatuor millia-
ria ciuitati vicinū ab eis igne crematur, fratribus in eo degēti-
bus perfidorū gladijs trucidatis. Et tunc (proh dolor) ordo Car-
melitarū mellifluū locū ex toto perdidit: in quo ab Eliæ, &
Elisei prophetarum tempore duobus millibus, ducentis, & vi-
ginti vno annis perstiterant.*

Idem anno 4300. à creatione mundi, ante Christi or-
tum annis 923. sic ait. *Elias propheta auriga Israel & origo*
Religio-

Religionis Carmelitanae Eliseo viuente rapitur. Item circa annum Domini 450. ita loquutus est. Elisei Prophetæ Carmelitanae Religionis primi, post Eliam, patris & Patroni, Sigiberto Geumblacense teste, ossa transferuntur de Samaria in Palestynam. His tribus locis clarissimè vir hic nostri ordinis Eliam institutorem ac Patronum confitetur.

Accedat prædictis Richardus Armachanus Archiepiscopus Hibernus, qui in quodam sermone habito in festo conceptionis B. Mariæ Aunionæ coram conclaui Cardinaliū, cuius initium est, Ave Maria (præmissis alijs) sic inquit. Quoniã (vt dicunt fidedignæ historiæ) à tēpore Eliæ, & Elisei prophetarū, qui sæpius morabatur in Carmelo iuxta ciuitatē Dñæ nostræ Nazaret ad tria milliaria, secretius solebant homines inhabitare deuoti vsq; ad tēpora saluatoris. Et tūc Eremitæ (scilicet Carmelitæ) prædicantibus Apostolis, in fide solidati, in latere vno montis ipsius primò ecclesiã construxerūt in honorē B. Mariæ virginis, in illo loco, in quo didicerant, ipsam cū alijs sodalibus in vita sua sæpius morã traxisse. Et ob hoc nimirū inter alios Religiosos Dñæ nostræ sunt adscripti, vt vocarentur fratres B. Mariæ de monte Carmelo. Qui insuper in principio nascentis Ecclesiæ in partibus illis, prædicando Euangelium, solidissimè laborarunt. Meritò gaudet igitur præcæteris ordinibus antiquitatis honore.

Hoc testimonium iisdem verbis refert Magister Boruius Anglicus, & Carmelita, Paleonydorus c. 1. primi libri, Vvaldensis de sacramentalibus ti. 9. c. 89. & Nauarr. de horis Canonici. c. 21. n. 27. illud verò in hoc Armachani testimonio notatione dignum est: illū non ex suo Marte, aut ex apocriphis, minusq; verisq; historijs, sed ex fidedignis id desūpisse

Clitoveus Theologus insignis, in sermone habito in comitijs Prouincialibus Carmelitarū, qui habetur inter cōtiones Sanctorum ab ipso editas, paulo post initium ita ait. Animaduertere nō est indignū, Carmelitani ordinis exordium ab tria præcipuè excellentiã quandã habere. Primò, quia ante

Boruius.
Paleonyd.
Vvaldens.
Nauarr.
Clitoveus.

institutionem præcognitum est diuino nutu, & reuelatum. Memoria enim proditū est (vt scholastica refert historia,) Eliam Thesbytē de tribu Aarō progenitū primū Religionis huius fuisse authorē. (Et infra.) At hi, qui primam Carmelitano ordini præstiterūt originem, vt Elias, & Eliseus, ex Iudæis nati sunt. Qui verò cæteris Religionibus iecerunt fundamenta, ex gentibus progeniti sunt. Coustat itaque, antiquiorem Carmelitane Religionis, quàm aliorum ordinum, esse originem, & ratione exordij cæteris præstare.

Phil. Ab.
Paleonyd.

Philippus Hieropolytanus Abbas apud Paleonydorum lib. 2. c. 1. de antiquitate ordinis nostri his verbis meminit. O Carmelitarum Religio quàm magna facta es in domo domini? Nunquid olim à modico fonte Eliæ Dei prophetae principium habuisti? Et ecce nunc in magnum fluuiū creuisti. Tu olim plāta in Eremo, nunc facta es ciuitas plena populo. Tu fundatorem habes adhuc in Paradiso videntem, & gloriosam virginem Mariam Reginam cœli, Dominam mundi, in Patronam singularem. Sicut enim de te olim processerunt Patriarchæ & Prophetae: sic nunc de te procedunt sacerdotes, & Leuitæ, Doctores, & Euangelistæ. Qui Patres Patroni omnium Religionum facti sunt. (Hæc ille.)

Guillelm.
Eysengre
nus.

Denique longum esset, adijcere plura alia, quæ in huius veritatis confirmationem scriptores multi tradidere. Tantum adijciam duo validissima testimonia, alterum Guillelmi Eysengreici, qui contra centuriatores scribens in sua Ecclesiastica historia, centenario 1. distinctione in titulo de Religionibus, & monasticæ vitæ cultoribus, specialem articulum sub hac verborum serie ponit: De monachis Carmelitis tempore Prophetarum: & ibi inter alia sic ait. Elias propheta primus Carmelita, & infra. En heretice Eliæ posteritatem dici Monachos Carmelitas. Itidem sic ait. Sanctus Eliseus Carmelita, Princepsque Eliadum, idest, Carmelitarum. Et postquam aliqua attulit testimonia, vt probet, ordinē Carmelitarum tempore Prophetarum floruisse, infert contra

centu.

centuriatores. En quàm antiquus sit ordo Beatae virginis:

Alterum verò testimonium est Genebrardi, nostri temporis diligentissimi historiographi, qui, vt doceat Carmelitas ab Elia propheta initium sumpsisse, reijcit Polydori sententiam, qui Aymerici tempore censebat, ordinem hunc incepisse. Verba Genebrardi referam. Ordo Carmelitarum (qui tunc variegata chlamyde induebatur) initiū habuit in desertis Syriae Aymerici Antiocheni antistitis opera (vt refert Polydorus Virgilius lib. 7. de inuentoribus rerum c. 3.) Sed eorum origo altius repetenda est: nempe à prophetis Elia, & Eliseo, qui Carmelum montem terrae sanctae primi consecrarunt, & discipulos ibi reliquerunt: quos scriptura filios prophetarum appellat. In Europam eum postea adduxit Albertus Patriarcha Hierosolymitanus. Primi sunt mendicantiū. Prædicta Genebrardus. Cuius viri quanta sit in conscribendis historijs authoritas apud omnes (præcipuè viros doctos) ita notū est, vt eius testimonio securè possimus hic stare.

Genebrard.

Quòd si duorum hominum testimoniū verū, & recipiendū est, quantò magis quod per tot testes, ac tam illustres confirmatur? tot summorum Pontificum decretis fulcitur? tot sæculis roboratur? ac non solum in Ecclesia, verum apud Barbaras nationes traditione receptum ac comprobatum est? Nēpe id falsum, aut fictum existimet quis, quod tot viris dignissimis, vetustioribus, ac recētoribus probatur? Nempe ignarus, aut suspectus testis sanctissimus ille (quē sic appellat Trichemius) Ioānes Patriarcha Hierosolymitanus, qui opere integro nobis astipulatur? Num Vvaldensis accerrimus hæreticorum malleus, leuia, aut friuola traderet? Nū tot ordinis pij, grauisimique viri in scribendis his, si vera non essent, tot voluminibus defatigarentur? Fortè tot Pōtiffices errarunt? aut in suis decretis decipi potuerunt? Num reuelationibus veris tot retro sæculis in ordine receptis fides adhibēda nō est? Oblatrēt hi ordinis nostri veteres, nouiq; aduersarij quātū libuerit: aperta sūt enim, & luce clariora, quæ diximus, ni ipsi ita cæcutiāt, vt aperta luce solē nō videāt.

Cæterum, vt res hæc omni ex parte absoluta maneat

rationibus perficienda erit. Prima, nam (vt refert Hieronymus in Epistola ad Paulinum scripta) habet vnum quodque propositum, siue institutum principes suos . Idque sanctus Doctor varijs confirmat exemplis. Hic tantum nobis sufficiat, nosse, quæcumque religiosæ vitæ instituta ab aliquo primo fonte dimanasse : nullamque esse Religionem, quæ aliquem sui Patriarcham institutorem ve non cognoscat. Sic Basylios, Benedictinos, Franciscanos, Carthusienses, per singulaque si discurras, à fundatore aliquo, Patrono ve emanare compertum est. Quem ergo Patronum agnoscunt Carmelitæ, aut quæ institutorē vnquā, nisi Eliam sunt venerati? Quis vnquam historiographus vero, probabili ve fundamento nixus alium nobis authorem potuit adinuenire? Legat, reuoluatque quis authorum historias, & verè compertiet, apud illos nullum alium determinatum posse authorē reperiri, si excludatur Elias . Nam qui ab Alberto Patriarcha ordinem cepisse asserunt, ipsimet fatentur, Albertum tantum ordinem iam prope labentem sua Regula erexisse. Qui verò ab Aymerico ordinis primordia computant : ipsi etiam liberè concedunt, Aymericū tēpore Alexādi III. Carmelitas per Carmeli saltus dispersos in vnū cōgregasse, ad cōmodioremque viuendi formam rede gisse. Qui verò à Ioanne Hierosolymitano circa annum Domini 400. Regulam nos accepisse docent: ipsi quoque admittūt, Ioannem Hierosolymitanum, antequam regulam Carmelitis traderet, eorum conuersationem, institutumque fuisse amplexatum. Alij tandem, qui nostra initia ad Apostolorum tempora referunt, nullum certè authorem designant, neque explicant quando, & quomodo id contigerit. Quare confusè nimis loquuti, rem, & operam perdūt. Et veluti Nil ignotum caput, sic nostri fontis initia hic, atque illic quærunt. Quæ omnia, si in vnum iugantur, ineuitable conficiunt testimonium, Eliam nostrum extitisse authorem.

Vltimò, si memoria repetamus, quæ in initio huius primæ partis diximus: constabit, Eliam alicuius instituti Religiosi in Euangelica lege adhuc florentis fundamenta iecisse. Quæ autem nunc extat, vel præteritis temporibus floruit Religio, quæ Elia patrono gaudeat, aut glorietur, &
tantum

tantum sibi vsurpet honorem? nullam certè, præter nostrâ, nec præteritis, nec presentibus sæculis inuenies. Cuius institutio monasticæ vitæ, exemplarique illi, quod Elias in monte Carmeli plantauit, similior reperitur, quàm carmelitarum? Præcipuè dum maiores nostri Carmeli fontem, spelûcasque habitarunt? Testis est Ioannis Patriarcha Hierosolymitanus, & Trithemius superius adducti, qui latè in suis libris demonstrât, Carmelitas in omnibus veros fuisse Eliæ imitatores. Ni fortè aliquis dicat, post Eliam Prophetam, filiosque prophetarum, in Carmeli monte aliquando veros Eliæ successores defuisse. Sed certè id nemo verè poterit affirmare, cum ex nulla historia, nullis ve coniecturis certis colligi possit, hanc Eliæ familiam aliquo tempore vsque ad annum Millesimum Ducentessimû, in quo Carmelites in Europam aduentarunt, illius montis habitationem dereliquisse. Præcipuè verò id constabit, si quis perlegerit ea, quæ nos in libro de ordinis antiquitate de hac re tradidimus. Si Elias ergo author Religiosæ vitæ agnoscitur, eamque in Carmelo sitam reliquit, & nunquam abolitam fatentur authores: quos Eliæ dicemus successores, præter eos, qui in Europam venerunt, à mellifluo illo expulsi monte, qui modo Carmelitæ nuncupantur.

Regula, diuinaque institutiones à Carmelitis tempore Eliæ, & prophetarum vsque ad tempora Ioannis 44. patriarchæ seruata. §. 2.

B Eatus Cyrillus montis Carmeli quondam Prior, vir doctrina, & sanctitate præclarus, in libro de peculiari bus gestis Carmelitarum, & in Epistola ad Abbatem Ioachim agēs de Regulis, quibus Carmelitarum ordo olim Deo famulabatur, sic ait. *Sacri huius Religionis professores institutionem suam in diuina scriptura, tanquam in amœno Paradiso speculabantur: ubi & fundatorum dictæ Religionis virtuosa exemplaria ab eis imitanda intuebantur, à Prophetis commendata, & multis sacrorum voluminum testimo-*

D. Cyrill.

Trithemius

nij approbata. Ex quibus dicti profectores diuersos profunda sapientia tractatus deducebant, quibus tanquam copiosis dapibus reficiebantur. Haecenus Cyrillus. Cui sententiae aperte fauet Trithemius in libro de laudibus Carmelitarum c. 4. dum ait. Sancti enim fratres, qui in monte Carmelo iuxta fontem Eliae ante Christi natiuitatem habitabant, Regulam conscriptam habuisse non leguntur, sed ipsi norma, & regula sibi fuerant, qui exemplo Eliae concorditer vivebant. Ex quibus Patribus colligitur, scripturam sacram monachis illis fuisse viuendi normam, & ultra ipsam, Eliae exemplum, eiusque successorum pro Regula fuisse veneratos. Hoc vero plenius, latiusque profertur Ioannes Patriarcha Hierosolymorum Episcopus libro de institutione monachorum c. 16. Ideo (inquit) Elias (ve suo exemplo animos omnium praedictorum monachorum eius discipulorum prouocaret ad suae Religionis exercitium) studuit, secundum formam per Deum sibi traditam, pollere coram eis frugalitate paupertatis, uti abstinentia, parsimonia, domare concupiscentias carnis, nitere candore Castitatis, abnegare libertatem voluntatis, vitare tumultum plebis, & ardere seruire charitatis. Et quia in eius imitatione decreuit Deus consistere huius Religionis prophetica perfectione: propterea Elias ipse magna prophetica disciplina, & monastica vita exemplaria (scilicet gesta sua, & merita) demonstrauit cordibus professorum huius Religionis, per quae ipsi ornarent penetrabilia mentis: ut ad rationem eius, saeculo, ac terrenis omnibus ex totis praecordijs renuntiantes, & carnales concupiscentias per continentiam, & abstinentiam crucifigentes, voluntatemque propriam abnegantes, & eam superiori humiliter committentes, a conspectu etiam hominum abscondi, prophetalem vitam eremiticam (quam Elias ipse vixerat in solitudinibus, & maxime in monte Carmeli) monachi praedicti in eodem monte Carmeli, & in alijs Eremitis, ac locis ad hunc finem continuerent, quatenus, eam accollerentes, liberius etiam mentes suas cum Deo per amorem perfectum unirent. (Et infra.) Quidquid igitur est perfectionis in hac Religione ab

ne ab

ne ab hoc propheta Dei Elia exēplariter emanauit. Hæc, & alia ibi, & alibi Ioānes Hierosolym. docēs, qua ratione Elias se præbuerit exēplū, ac viuā filijs prophetarū, alijsque successoribus viuendi regulā. Idem author c. 21. Sigillatim refert alia Eremiticæ vitæ instituta, & obseruātias, quas maiores nostri colebāt: vbi præcipue tractat de oratorio, vbi certis horis, ad peragenda diuina officia, conueniebāt: & de cellis, in quibus soli, & separati habitabāt: & de silentio, quod miro cultu assidue prosequiebantur. Ac denique in eodem c. concludit, his verbis. *Omnes quippe huius Religionis veri sectatores, tam in monte Carmeli, quam alibi habitantes, profiteantur, se humiliter sequi illā sanctā vitā, & propheticā iusticiā vitæ monasticæ, quā propheta Dei Elias seruauit, & instituit ac quā esse sequendā, ipse secundum formā à Deo sibi traditā, verbo, pariter, & exemplo discipulis suis tradidit; et in Ere-mo montis Carmeli residendo docuit maximè, ac demonstrauit.* Et hæc de Regula tempore Eliæ, & Elisei prophetarum seruata. Restat nunc, vt de modo viuendi ab Eliæ discipulis seruato dicamus. Reliquit igitur Elias in monastica professione multos post se successores, quorū alij in mōte Carmelo, in Galgala, & Bethel, alij in Hiericho, & alijs terre sanctę locis habitabant, vt latè idē Ioannes Hierosol. c. 23. & 24. docet. De his igitur Eliæ, & Elisei successoribus videamus, quibus institutionib⁹ ad perfectionē vitę monasticæ satagerūt.

Mihi id cōpertum videtur, Eliæ, & Elisei discipulos non vna, eadēque Regulā vixisse. Nā filij Prophetarum (de quibus B. Hieronym. Ad Paulinum, & ad Rusticum, Isidorus lib. 2. de offic. c. 9. & Ioannes Patriarcha ferè pertotū librū meminere) illā Regulā, quā idē Ioannes Hierosolym. tradidit, obseruarunt. Permanseruntque hi Prophetarum filij vsque ad Apostolorum tempora, vt ex Eusebio Cesariens. lib. 2. Ecclesiasticæ hist. aperte probatur. Is enim ita prædicto loco scripsit. *Apud Antiochiam floridissima congregatur Ecclesia, in qua etiam fuerunt prophetici ordinis viri quam plurimi, & infra.)* Qua tempestate Agabus vnus ex his, qui aderant, Prophetis. Alij verò Eliæ successores (nempe

B. Hiero.
Isidorus.
Ioannes.
Eusebius.

pe, Esseni, qui in desertis Hierycho morabantur) supra Eliæ institutiones alias supererogauerunt, fortè ab Eliseo propheta eorum magistro, & auctore acceptas. Quauis non dubitem, Essenorum genus etiam filiorum prophetarum nomine olim contineri, licet specialiter Esseni appellarentur, quia in perfectione monasticæ vitæ potissimum ab Eliseo propheta sunt instituti.

Plinius.
Solinus.

Pro quo recolenda existimaui, tum Essenorum genus, & Originem, tum cultum, & Religionem. Essenorum familiã, si Plinio lib. 5. naturalis historiæ. c. 17. & Solino. c. 36. credendum est, planè compertum erit, esse antiquissimam. Id enim Plinius præfato loco de Essenis tractans scriptum reliquit. *Ita (ait) per sæculorũ millia (incredibile dictu) gēs æterna est, in qua nemo nascitur* &c. Solinus quoque fidelis Plinij imitator ferè eisdem verbis Essenorum antiquitatem commendans dicit. *Itaque per immensum spactum sæculorũ*

Baronius.

(incredibile dictu) æterna gens est, cessantibus puerperis. Hæc Solinus. Et licet doctissimus Baronius 1. tomo annal. anno Christi 64. c. 6. 7. & 8. Plinio, & Solino dicentibus, Essenorum sectam per multa sæculorum millia extitisse, non credendum existimet, ea ratione ductus, quia qui res Iudæicas sunt profèquuti, tam antiquum originem Essenis non tribuunt: quare ipse, vel post Christum, vel paulò antea tempore Herodis maioris viros hos elaruisse existimat: nulla enim (vt ipse ait) antiquior apud Iosephũ de eis habetur memoria: tamen in hoc illustrissimus Baronius forte deceptus est. Nam apud Iosephũ eadem ferè verba, quæ apud Plinium, & Solinum potuit facillè inuenire. Is enim lib. 18. antiquitatum Iudæicarum c. 2. de desertis Iudæorum agens sic inquit. *Iudæi patria sapientia studiosi, iam inde à multis retro sæculis in tres sectas erant diuisi, Essenorum, Saduceorũ,*

Iosephus.

&c. Idemq; author lib. 13. c. 9. docet, tempore Ionathæ Pontificis, & Antiochi Regis has etiã sectas floruisse. Quod cõset Genebrardus libro. 2. anno mundi. 3944. Hoc est. 143. anno ante Christi aduentum. Imo neque ibi apud Iosephũ eorum initia expresse recensentur: sed potius in confuso adnotatur, multis retro sæculis incepisse. Quæ verba tempora

Genebrar.

pora longissima denotant. Quare id certum videtur, eos à sanctissimis prophetis Elia, & Eliseo originem ducere. Idque in primis probo ex Genebrardo viro grauisimo lib. 1. Chronologiae anno mundi 3272. Eliseus (ait) construxit celas prophetis in Hiericuntis solitudinē. Atanauit institutum, & loci Religio ad posteros, fuitque desertum hoc vsque ad Engadi ab Esbeas habitatum, hominibus continentiae incredibilis. Eodemque loco habitasse Essenos, (nempe in desertis Hiericho,) Pinius, & Solinus vt supra senserunt. Et quanuis Genebrardus expresse non affirmet, Essenos ab Eliseo propheta immediate in monastica disciplina fuisse institutos: clarè tamen docet, ab ipso, siue à prophetica sua familia ortos fuisse. Idque colligitur aperte ex Nicephoro lib. 2. Ecclesiastic. histor. c. 15. qui de Essenis narrans, Eos (ait) vitam propheticam flagrari, atque feruenti fide meditari, atque amulari. Quae est igitur haec prophetica vita, nisi ea, quam Elias, & Eliseus, filijque prophetarum coluerunt? In huius verò rei confirmationem argumento vtatur in hac materia validissimo. Nam Essen, de quibus Philo, & Iosephus (vt infra dicemus) plura admiratione digna scripserunt, fuerunt à diuo Marco in Aegypto legibus, & institutionibus Euangelicis imbuti, alijsque canonibus, & obseruantijs monasticis instructi: vt post Nicephorum, & Eusebium lib. 2. c. 15. & 16. & Hieronymum de scriptoribus Ecclesiasticis in Marcum, communis tenet Catholicorum sententia. Qui etià cēsent, ab his Marci discipulis Christianorū monachorum postea in Aegypto, & Palaestina agmina descendisse, vt cum Nicephoro. cap. 15. (& expresse cap. 16. illis verbis, Cum ad hodiernum vsque diem non apud alios, quàm apud nostros homines, Regulas tales, viuendique mores conseruari, cōpertum sit, & lib. 8. c. 39. prope finē, Equidē ab illis Aegyptijs tantopere hoc viuendi genus inualuisse conijcio: quae ferè verba habentur apud Sozomenum lib. 1. c. 11.) & Eusebio vt supra c. 15. & 16. eruditè Cassianus lib. 2. c. 5. demonstrauit, dicens. Nam cum in primordijs fidei pauci quidem, sed probatissimi monachorum nomine censerentur, qui à beata memo-

Nicephor.

Nicephor.

Eusebius.

Hieron.

Sozomen.

Cassianus.

ria Evangelista Marco normam susceperere viuendi &c. & infra, Ea igitur tempestate, cum ecclesia illius primitiua perfectio penes successores suos adhuc recenti memoria inuolata duraret, &c. Quibus, & alijs eo c. & c. 4. precedenti manifestè ostèdit, disciplinam à B. Marco primis illis Euangelicis monachis traditam vsque ad sua tempora perdurasse Idq;, & fortè expressius, in præfatione ad Castorem prope finè indicauit dicens. Secundum eam, quam vidimus, monasteriorum Regulam per Ægyptum, & Palestinam antiquitus fundatorum, vel adijciam, vel recidam. Nequaquam enim credas, rationabilius quidquam, vel perfectius in Occiduis Galliarum partibus reperiri potuisse, quàm illa sunt instituta, quibus ab exordio prædicationis Apostolicæ, à sanctis, ac spiritalibus patribus fundata monasteria ad nos vsque perdurant. Hactenus Calsianus. Placet igitur Calsiano, Eusebio, Nicephoro, & alijs, Ægypti monachos in professione Essenis, hoc est, discipulis B. Marci successisse. Porrò argumentum (vt ad propositum redeamus) hac ratione formare licebit. Idem Calsianus lib. 1. de institutis renuntiantium ferè per totum, Monachos Ægypti, & Palæstinae ab Elia, & Eliseo, filijsque prophetarum originem ducere, sæpe docet, ac repetit: cui subscribunt Nicephorus lib. 8. ca. 39. & Sozomenus lib. 1. c. 11. & Hieronym. ad Rusticum, & Paulinum: Si ergo Ægyptij Ascetæ, siue monachi ab Elia, & Eliseo ortū habuerunt, & hi præterea ab Essenis disciplinam susceperere viuendi, eorumque successores extiterunt: necessario fatendum erit, Essenos etiam ab Elia, & Eliseo, siue filijs prophetarum eorum successoribus promanasse. Quod præterea demōstrat nominis etymologia. Nam licet demus, Essenos à vitæ sanctitate esse dictos (quod voluit Chrysostomus homilia 44. in act. Apost.) idque Philo in lib. cuius titulus est, quod liber sit probus, apertè significat: tamen, si nominis etymologia attentè consideretur, Essenos, siue Esseos (vt alij volunt) ab Eliseo potius dictos, quasi Elisenos, verius apparet. Quæ denominatio placuit etiam patri Henriquez nostri temporis authori graui, & docto in secundo

Chrysost.
 Philo.

do tomo, libro. 12. capitulo. 5. in glossa in littera. B.

His visis, oportet, vt de Essenorum institutione, & Regula dicamus: breuiter tamen id prius præmittentes, Essenos tam Alexandria, quàm Palæstinæ inhabitantes (vtrobique enim horum secta florebat) Christi, & Apostolorum prædicatione ad fidem fuisse conuersos. Quod eruditè, vt solet, docet Baronius vt supra: colligiturque apertè ex Eusebio, Nicephoro, Sozomeno, & Cassiano relatis, qui vno ore fatentur, Essenos primos fuisse in Ecclesia vitæ monasticæ cultores, ab eisque ad posteros Aegypti, & Palæstinæ monachos institutum, Religionemque manasse. De Essenorum igitur Regulis, & vitæ sanctitate plura scripsere Iosephus vt supra, Philo Iudæus natione Alexandrinus in libro de vita contemplatiua, siue de supplicibus in scripto, à quo postea ea, quæ de Essenis tradidere, acceperunt Eusebius, Sozomenus, Nicephorus, & alij. Breuiter tamen ex his legibus, atque sanctionibus, quibus Esseni insigniores pietatis cultores, imo & Christiani monachi seipfos addixerant, aliqua appingamus. Et omisis illis, quibus imbuti erant, opinionibus, dogmatibusq; catholicis de Deo, & de immortalitate animæ, solum statuta circa mores referam.

*Eusebius.
Nicephor.
Sozomen.
Cassianus.
Iosephus,
Philo.*

1 In primis omne iuramentum, quasi periurium esse vitandum, quia quicquid vir perfectus dixerit, iusiurandi vim habere debeat, & quod is veluti mendacij reus condemnetur, cui sine teste Deo non creditur.

2 Summam post Deum exhibendam esse legislatori Mosi reuerentiam, quem si quis blasphemauerit, morte morietur.

3 Præcipuum studium diuinis litteris, ac veterum Patrum scriptis adhibendum, indeque petenda, quæ animorum curæ expendant.

4 Communis sodalitij præfecto ita parendum esse, vt nihil sine eius præcepto fieri liceat.

5 Continentem, ac cælibem vitam ducere, & ab omni prorsus coniugio per omnem vitam abstinere.

6 Omnes facultates communes esse, vnumque omnium patri-

patri-

patrimonium, quod per communes procuratores dispensetur (Ecce. 4. 5. & 6. præcepto tria religiosorum vota adumbrata.)

7 Nihil inter se aut mercari, aut vendere, sed cunctis esse liberum accipere à quibus libuerit quod opus sit.

8 Albis vestibus utendum, & amictum, & calceos non mutandos, nisi omnino aut concisis prioribus, aut longi temporis usu consumptis.

*Similis lex
habetur in
Deutero.
cap. 23.*

9 Tantam etiam in naturalibus purgamentis habendam esse munditiæ curam, ut unusquisque sibi quotidie in secretissimis locis foueam dolabella effodiat, in qua ventrem exoneret, demissa primum circumquaque veste, contegen- di corporis gratia, ac deinde terra, quam effoderat, in locum suum reducta, ne scilicet diuinæ lucis splendori fiat iniuria.

10 Ante solis ortum publicis laudibus authorem nascituri luminis celebrandum, postea verò ad suas cuique artes, ac studia accedendum.

11 Hora quinta diei in commune cænaculum, sacris vestibus, hoc est, lineis velaminibus indutis, coeundum: ibique ex eodem pane, & pulmento, in silentio residentibus vescendum: nec aliquid gustare cuiquam fas sit, nisi publica oratio prædium præueniat, & sequatur, quæ Deum datorem victus & ante, & post cibum collaudet.

12 Post prandium, depositis sacris indumentis, ad sua cuique opera usque ad vesperam recedendum.

13 Ad eorum Religionem nuper venientes, non statim in consortium assumendos: sed candida veste, & perizomate indutos & dolabella incinctos à curationibus suis explorandos per tres integros annos, donec probatæ virtutis experimenta dederint. Hactenus de Essenis.

Trithem. Tempore verò ecclesiæ primitiæ, Carmeli cultores, alij que Eliæ successores Euangelicam Regulam studiosissime obseruarunt, ut Trithemius c. 4. de laudibus Carmelitarum scribit his verbis. *Deinde post passionem Domini, multiplicata per Iudeam fide Christiana, hi, qui in monte Carmeli vitam imitatione Eliæ ducebant eremiticam, secundum Euangelium Christi*

Christi viuere cœperunt, sicut in actibus Apostolorum scriptum est. Erant vnanimiter in oratione perseverantes, & erat illis cor vnum, & anima vna: nec quisque inter eos aliquid habebat proprium, sed erant eis omnia communia. Hæc est vita Apostolica, quam fratres Carmelitæ in primitiua Ecclesia studiosissimè observabant, Regulam super his Euangelicam in cordibus suis habentes conscriptam. Successu verò temporis cum homines paulatim inciperent ab Apostolica vita recedere, & proprium sibi quisque possidere: timentes zelosi montis Carmeli habitatores, ne & ipsorum sancta conuersatio per successum temporis deficeret, de remedio in posterum caperè cogitare, scientes, ordinem suum deinceps non satis tutū existere, nisi per Regulam confirmaretur. Hæc Trithemius. Quæ vero fuerit hæc Regula, quam post tempora primitiua Ecclesiæ Carmelitæ susceperè, sequenti capite declarabimus.

Cap. II. De Regula, sub qua Carmelitæ vixerunt ab anno Incarnationis. 400. vsque ad annum 1171.



Datus Cyrillus olim montis Carmeli eremita in libr. de peculiaribus gestis Carmelitarum, & in Epist. ad Abbatem Ioachum, quæ hodie habetur in speculo ordinis, lib. 8. à c. 1. ita scripsit. Fuit autem tempore Archadij

D. Cyrillus

& Honorij Imperatorū quidam dictorum Religiosorum pater miræ virtutis, & perfectionis, Ioannes nomine, qui ceteros consortes suos eiusdem montis monachos exemplo suo, & magisterio sollicitè inducebat ad perfectionem acquirendam, secundum propheticam disciplinam vitæ monasticæ per Eliam prophetam institutæ. Quam disciplinam Ioannes eis exponebat ex diuersis litteris, tam veteris, quàm nouæ legis, & ex

nonnullis tractatibus editis à prædecessoribus suis : qui tandē propter eius sanctitatē in Pōtificē Hierosolymitana Ecclesiæ sublimatus Apostolo Iacobo in Episcopatu eiusdem Ecclesiæ quadragesimus quartus successit. Hūc Ioānē charissimus eius discipulus, Caprasius nomine, eiusdē mōtis, & Religionis monachus suppliciter flagitavit: ut quæ de institutione huius Religionis, & primis eius fundatoribus, & de perfectione ad exemplū eorū acquirenda frequēter disseruerat, dignaretur sibi, & suis cōsortibus breuiter reddere in vnū volumē, in quo omnia per ordinē intuerentur, ne oporteret, eos librorū numerositatē euoluere. Ioānes ergo cernens, quod propter occupationē suscepti officij non posset vltius iugē in monte Carmeli residentiā trahere: quod Caprasius ab eo flagitauerat, opere compleuit. Scripsit enim eloquio, & litteris Græcis in quodā libro primariā nostræ Religionis institutionē, & fundatorū eius dignitatē, atque præcorū professorū gesta sancta, & gloriosas virtutes, exteriorēque habitus ornatū. Propterea prædictus Ioannes breui, & lucido eloquio ordinatē descripsit successores dictorum patrū in illo libro, ut tam quā in nitido speculo institutionē suā intuentes, eā obseruare propensius conarentur: & sanctā vitā, ac virtuosos mores dictorū patrū ex totis præcordijs imitarentur. Quem librū ipse Ioannes sed alibus suis Religiosis Eremitis mōtis Carmeli legendū, & obseruandū tradidit tēpore Honorij Imperatoris, anno Dñi. 412. Et ex tūc professores nostræ Religionis satagerūt ad perfectionē, & finē vitæ solitariae tēdere secundū formā institutionis prophetae Eliæ per dictū Ioānē in præfato libro descriptæ. Haftenus Cyrillus. De hac regula Ioannis meminit Trithemius in lib. quē edidit de laudibus Carmelitarū c. 2. dicens. *Sauētissimus illic Patriarcha Hierosolymorū Ioannes quid aliud in suo libro de principio, & profectu huius ordinis exprimit, nisi quod Elias fundator eius fuit?*

Trithem.

Margar.

Estque præterea hæc Ioannis institutio à Margarino de Laigne eruditissimo viro, to. 9. Bibliothecæ sanctorū Patrum

trū inserta. Fuit verò Bibliotheca hæc approbata à facultate Theologiæ Parisiensis, potissimū à Genebrardo, Ioanne Dradeo, ac Frācisco Feuardētio: Et in ordine perpetua, cōstātiq; traditione receptum est, olim maiores nostros sub hac Regula Ioānis ad Religiosæ vitæ perfectionē properasse. Nā præter D. Cirylli testimoniū superius adductū (quod in hac parte magni ponderis, & authoritatis censendū est, cū sanctissimus hic vir ferè attigerit tēpora, quibus hæc Ioānis institutio in ordine vigeat, vt infradicā) meminuit etiā prædictæ Ioannis Regulæ lucidissimū Ecclesiæ lumē Vvaldensis de sacramentalibus ti. 9. c. 89. his verbis. *Ordo Carmelitarū à Ioāne Patriarcha Hierosolymitano prius Carmelita Regulā viuēdi Græcè cōscriptā accepit, quā pleniori post, sub Alberto itidē Patriarcha, forma digestā inspexit. Hic Ioannes tēpore Archadij, & Honorij imperatorū ad Caprasij monachū mōris Carmeli, de peculiaribus gestis Carmelitarū, quod hæctenus trāslatū in Latinū habetur, volumen descripsit. Ita Vvaldensis, qui præterea adducit in confirmationem suæ sententiæ Armachani Hiberniæ Archiepiscopi testimoniū qui de Carmelitis scribens sic ait. Qui insuper (nēpe Carmelita) in principio nascentis Ecclesiæ, in partibus illis prædicando Euangeliū, sollicitè laborarunt: & consequenti tēpore à Ioanne Hierosolymitarum Patriarcha Regulam viuendi comuniter susceperunt. Habetur insuper præfata Regula in speculo ordinis: ibique olim scholijs à Philippo Riboti per decē libros multos ante annos fuit exornata. Nec de sunt inter iuniores exterofq; authores, qui huius Regulæ recordētur. Nam Paulus Morigia li. 1. de origine Religionū c. 30. Hieronymus Plato, de bono statu Religiosi li. 2. c. 22. Carol. Tapia. in athen. Ingressi, verbo, monasteria c. 17. Greg. de Valē. 2. 2. dif. pu. 9. q. 4. pūcto. 1. Ioānes Burlet doctōr Parisiēsis in sermone Cōceptionis B. Virginis & F. Emanuel Rodriguez. 1. to. Quæst. Regul. q. 1. de origine Religionū, Regulā hanc Ioāni Patriarchæ adscribūt: eāq; Carmelitis dedisse referūt. Quod expressius ex ipso lib. cōstat. Imo Ioānis intētio eo potissimū tēdit, vt p̄bet, monachos Carmelitas ab Elia, & Eliseo,*

Genebran.
Ioā. Drad.
Feuarden.

Vvaldens.
Armach.

Phil. Ribo.

Morigia.

Plato.

Caro. Tap.

Gregor. de

Valencia.

Ioā. Burl.

Emanuel

Rodrig.

107. Hier.

& alij filij Prophetarum originē, vitæq; institutionē haufisse: vt patet fere ex toto libro, præcipuè. c. 11. 16. 17. & 21. vbi sic ait. *Quia ergo dicti Monachi ad exemplum Eliæ coluerunt iugiter in Carmelo iustitiā vitæ monasticæ: propterea appellati sūt Eremitæ Carmeli. Et infra. Sed, & ceteri huius Religionis monachi habitātes alibi cupiunt idcirco Carmelitæ appellari, quia eorū Religio, & sancta cōuersatio est ab illis deriuata, qui prædicto modo satagerūt in mōte Carmeli continuē religiosam vitā Prophetæ Eliæ (Et vsque nūc satagūt) humiliter imitari. Oēs quippe huius Religionis veri sectatores, tā in mōte Carmeli, quā alibi habitātes, profitētur, se humiliter sequi illā sanctā vitā, & propheticā iustitiā vitæ monasticæ, quā Prophetæ Dei Elias seruauit, & instituit. Nec est cur in hoc diutius immoremur, cū inter alia, quæ Caprasius à Ioāne sciscitatus fuerit, hoc vnū sit: quare monachi Eliæ succelsores dicerētur Carmelitæ, cū Elias cōuersationē hāc nō in Carmelo, sed in Carith inchoauerit: vt videre licet in. c. 17. huius Regulæ. Cōstat igitur ex dictis, hāc Regulam fuisse à Ioanne Carmelitis traditam.*

Hieron.

Lipoman.

Quis verò sit hic Ioānes, & quo tēpore Regulā hanc tradiderit, restat vt aperiamus. Hic vir Monasticæ fuit cultor professionis, vt cōstat ex D. Hieronym. in Epistol ad Theophilū Episcopū Alexandrinū. Et quāuis Lipomanus in vita S. Epiphaniij asseueret, Ioannē simul cū Epiphanio in monasterio Hilarionis in Palæstina vitā monasticā fuisse amplexatū: id tamē certius apparet, virū hunc Carmelū montē cū reliquis ibi Eremitis habitasse. Quod in primis cōstat ex testimonijs B. Cirylli, & Vvaldensis nuper relatis, & ex Martyrologio Molani, vbi, 12. die Ianuarij scriptū habetur. *Itē S. Ioannis Episcopi Hierosolymitanæ Ecclesiæ, ordinis Carmeli professoris. Quibus subscribūt Hierony. Plato, Paulus Morigia, & alij relati. Cōstatq; id apertissimē ex suo libro, in quo læpe se huius mōtis professorē fatetur, præcipuè in. 1. c. dū Carmelitis scribens ait. Sicut hæc omnia antiqui huius nostræ conuersationis sectatores ante nos intellexerunt.*

Martyrol.

Molani.

Hier. Pla.

Paul. Morigia.

(Et

(*& infra.*) Quanta sanctorum precipuorum auctoritate hæc nostra vitæ Religio confirmetur, & cū quanta mētis securitate formam huius conuersationis sequentes, viam, & corda nostra Domino dirigimus. Ex quibus patet, se inter Carmelitas quibus hanc institutionem scripsit, connumerare, tanquam eiusdem vitæ affectu, & cultorem. Postea verò ob eius merita, probatosque mores, ad dignitatē Patriarchæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ fuit assumptus: successitque Cyrillo, vt testatur Nicephorus lib. 12. Eccles. hist. c. 24. Theodoretus li. 5. historię Ecclesiasticę. c. 35. Ruffinus lib. 2. ecclesiast. hist. c. 21. & Genebrardus in chronologia lib. 3. anno Dñi. 403. Fuit in ordine 44. vt apertè fatetur Nicephorus in sua Chronologia, his verbis. *Ioannes. 44. sedit annis 16.* Fuit præterea Ioannes hic sanctitate præclarus. Quare cū Trithemius (vt supra) sanctissimū appellat, Molanus vero inter diuos, quos in suo Martyrologio refert, adscribit, S. Cyrillus eū à vitæ sanctitate cōmendat. Et, vt ad superiora cōscendā, Nicephorus lib. 14. c. 30. ita de Ioanne nostro scriptū reliquit. *Deinde Hierosolymis Cyrillo diuinus Ioannes successerat: Et infra in eodē cap. illū D. Ioannē appellat, dū ait: fuit cōdiscipulus D. Ioannis & c.* S. Theodoretus li. 5. vt sup. c. 25. & 37 sic ait. *Hierosolymorum Ecclesiæ præsidebat Ioānes vir mirabilis, successor Cyrilli.* Quæ à nobis relata sunt, vt virū hunc contra D. Hieronymū acriter ipsum impugnantē, defendamus. D. enim Hieronymus, imo, & S. Epiphanius Ioānē Patriarchā, vt Origenistā frequēter, grauitēq; accusant: vt cōspicere quis poterit in Epistolis à Hieronymo tã ad eundē Ioannē, quã ad Theophilū Alexandrinū missis. Tamē quę ibi S. Hieron. nimio zelo, & ardore scripsit: postea, veritate cognita, retractauit: & quę antea vt Origenistā abiecerat, postea vt veræ, & Orthodoxę fidei cultorē (teste Baronio to. 5. circa annū. 399.) amplecti non dubitauit. Nec solus B. Hieronymus Ioannis sanctitatē agnouit: sed & D. Augustinus (eodē teste Baronio) Ioannis mores, sanctitatēque suo tēpore fuit veneratus. Puto Hieronymū ab incepta contra Ioannē quæstione ideo destitisse: quia is vidēs, se Origenis-

Nicephor.
Theodor.
Ruffinus.
Genebrar.
Nicephor.

Baronius.

Gennad.

Trithem.

Honorius

August.

Anast P P.

tarum labe notari, librū scripsit, in quo, se nō Origenis doctrinā, sed ingeniū potius fuisse sequutum, ostendit: vt sequentibus verbis Gennadius in Cathalogo Illustriū virorū adnotauit. *Ioannes Hierosolymorum Episcopus scripsit in obtre cōtatores studij sui librū, in quo ostendit, se Origenis ingeniū, non fidem sequutum: vt notauit etiā Trithemius de scriptoribus Ecclesiasticis, & Honorius Augustudunensis. c. 30. de lumina. Eccles. Id verò, quòd in hac re Ioānē nostrū ab omni suspitione liberat, testimoniū est Anastasij Pape, qui Ioāni rescribēs d̄ Ruffino sententiā, eū vt Origenistā dānat, Ioānē verò vt sanctissimū his verbis cōmēdat. *Vt amori tuo gratias ago, ita splendorē tuæ sanctitatis, & eas, quas in Dño habes virtutes, subinde quodāmodo paruitatis nostræ fauorabilis sermo prosequitur. Tā eminēter, vir omnium præstantissime, laudū tuarū fulges nitore cōspicuus: vt par esse meritis sermo nō possit. Porro autē tāto titulorū tuorū rapior incitamento: vt etiā quā impetrare nequeo, audere nō desinā. Iā hoc de laudibus est tuis, quod me tantū de celestis animi istius serenitate laudasti. Tui enim Episcopatus ordo perspicuus per diuersum orbē vclut radiās etiā ad nos splendoris sui detulit claritatem, &c. Hæc sunt Anastasij. Cū igitur huius Pontificis tēpore orta fuerit cōtra Ruffinū in oriēte cōtentio, quod Origenem de Græco in Romanā linguā deriuauerit: videreturq; se nimium Origenis doctrinis dedisse: perlataq; esset lis ad Anast. Pontificē: ipse Ruffinū vt minus Orthodoxū notauit. Ioānes verò nō solū ad Anast. aures vt Origenista nō peruenerat: verū eius sanctitas, pbataq; virtus sese vsq; ad Romā diffuderat. Nec eū Anast. Pōtifex ita seriò laudaret: si aliqua Origenis labe inureretur. Et hæc de Ioānis Hierosolym. Episcopi sanctitate dicta sufficiāt. Floruit hic vir (vt sentiūt Theodor. li. 5. Eccles. hist. c. 35. Nicephorus lib. 12. hist. Eccles. c. 24. & Trithemius vt supra) tēpore Archadij, & Honorij, circa annū Dñi 400. vel secundum computationem Baronij tomo 4. circa annum 386. ætate & tempore Theodosij, hoc eodem anno. 386.**

Theodor.

Nicephor.

Trithem.

Restat, vt de tempore, quo regulam hanc Eremitis Carmeli

meli tradiderit, dicamus. De quo certā tēporū rationē apud
 authores inuenire non potui. Illud tamen ex B. Cyrillo, &
 Vvaldēsi, alijsq; iunioribus colligitur, Ioānē assumptū iā
 in Patriarchā hāc regulā confratribus suis scripsisse. Quod
 credo verissimū, quāuis determinatē, quo anno id præstite-
 rit, non appareat. Solum id pro cōperto habetur, circiter
 annum. 400. contigisse.

Cyrillus.

Vvaldens.

De Regula verō id vltimo huius præfatiūculæ loco no-
 tare par erit, Ioannē in hac sua institutione quasi mixtā Re-
 gulā ex historia veterū Patrū à tēpore Elia in Carmelo cō-
 moratiū, & ex admonitionibus proprio Marte ab scriptu-
 ra sacra cōfecisse. Eā ob causam (vt ipse, i. c. asserit) de fun-
 datore supremo huius Religionis, & primaria eius institu-
 tione edisserit. Deinde refert aliqua exēpla, gloriosas virtu-
 tes, & exteriorē habitū Elia, eiusq; successorū, vt per hāc
 Carmelitæ discerēt, formā horū patrum conuersationis se-
 quētes, corda Dño Deo dirigere. Tradidit hāc Regulā idio-
 mate Græco conscriptā, sub cuius directione Carmelitæ vs-
 que ad Aymerici Patriarchæ Antiocheni tēpora permanse-
 runt. Qui anno 1120. hanc Ioānis institutionē in Latinum
 sermonē fecit trāsferri, quousque Albertus Patriarcha Hie-
 rosolymitanus circa annū 1171. nouā Regulam, seu potius
 hanc Ioannis planiori, breuiorique forma digestā eis obser-
 uandā imposuit. De quo nos latē li. 1. de ordinis antiquita-
 te scripsimus & inf. quoq; 2. p. dicemus. Nunc verō tātum
 D. Cyrilli testimoniū adijciā: qui loco superius adducto re-
 ferēs persecutiones, quas, post Regulā à Ioanne Patriar-
 cha susceptā, à Cosdroa Persarū Rege, & Hūmar Arabiq; Prin-
 cipe, Christiani & omnes monachi Palæstini passi sunt vs-
 que ad annum Domini 1099. in quo terra sancta in di-
 tionem Principum fidelium redacta est, his verbis res in
 ordine gestas prosequitur. *In Carmelo monte, & in qui-
 busdam alijs Eremitis terræ sanctæ permanferunt sub disci-
 plina vitæ Eremiticæ per Eliam prophetam institutæ, &
 in prædicto libro Ioannis descriptæ. (Et infra subiungit.)
 Propter quod, cepit tunc cultus Religionis in monte Car-
 meli ampliari. Quam plures enim deuoti peregrini, qui*

Cyrillus.

ab occidente superuenerāt, odore huius sancti loci tracti, & deuotione Religiosorum Eremitarum montem hunc inhabitantium per moti, mundo renuntiabāt, & pro contemplatione celestium se eorum contubernio iungebāt. Erat autem in diebus illis Patriarcha Antiochenus & in Terra sancta Apostolica sedis legatus, vir quidā amabilis Deo, & hominibus, nomine Aymericus Malosayda, natione Lemouicensis, de villa appellata Salamiacum, qui prædictorum antecessorum nostrorum Eremitarum fratrum, B. Mariæ de monte Carmeli laudabilē conuersationem attendens, eos multum specialiter suo tempore in Domino enutriuit. Intelligens autem, quosdā eorum, qui ex occidente superuenerāt, spiritus seniorum monitis, non rectē ambulare ad veritatem Religiosæ vitæ Eremiticæ in prædicto Ioānis libro descriptæ, & perpendens, hoc ideo maximè cōtingere, quia Græcas litteras ignorātes nesciebāt codicem illum legere, fecit librum illum de Græco in Latinum trāsferri. Et ob hanc causam prædictus Aymericus nostri ordinis reformator censetur à Polidoro, de inuentoribus rerum, lib. 7. cap. 2. Sabellico, libro. 5. æneade. 9. Onufrio Pambino in Chronicō Ecclesiasticum circa annum. 1141. sub Anacleto secundo, Genebrardo libro. 4. suæ Chronologiæ, anno. 1180. Guillelmo Tyri Episcopo, in continuatione belli sacri, lib. 5. c. 3. & ab alijs à nobis relatis lib. 1. Antiquitatis nostri ord. cap. 9. Ioānis igitur Regula in ordine ab anno 400 vsque ad 1171. in quo Albertus aliam tradidit, perseuerauit.

Sed de hoc plenius lib. 1. de ordinis antiquitate scripsimus. Nunc ad Regulam ipsam Ioānis reuertamur.

(?)

Polidorus.
Sabellicus.
Onuf. Pāb.
Genebrar.
Guillelmus
Tyri.

Diui Joannis Hierosolymitani Patriar-
cha liber de institutione primorum mona-
chorum in lege veteri exortorum, & in noua
perseuerantium, desumptus ex vetustiori-
bus ordinis codicibus, & ex Bibliothe-
ca sanctorum Patrum to-
mo nono.

Argumentum Regulae, siue institutionum Ioannis.



In hoc libro dum principium, & origi-
nem ordinis Carmelitarum Ioannes per-
scrutatur, ab Elia primo huius religio-
nis autore sumit initium, docens, quo
tempore magnus hic propheta floruit,
à quo genitus, vnde ortus, & qui-
bus in locis in primordijs suae vitae fue-
rit conuersatus. Deinde, quã institutionem obseruauerit, ob-
seruã àque successoribus reliquerit, ostendit. Praeterea de locis,
quae primitus huius religionis professores incoluerunt, qualiter
que in eis, secundum institutionem ab Elia traditã, vixerunt:
necnon etiã de ascensu Eliae in Paradisum, & de successore
eius in monastica professione Eliseo loquitur. Subinde verò des-
cendens ad tempora primitiuae Ecclesiae, tractat de tempore, in
quo primum huius vitae professores baptizati sunt, ad cog-
nitionemque euãgelicae veritatis peruenerunt. Denique causam
reddit, cur Carmelitarum ordo B. Mariae Virginis titulo insi-
nietur, & pallio albo baculo. Zona & scapulari ornentur. Ple-
nus est liber hic monasticis rudimentis, alijsque sublimioribus

nstitutionibus, tum ex scriptura, tum ab Elia vita, & exemplo collectis. In quo Auctor allegoricis sensibus, mysticisque interpretationibus mire abundat, ita, vt recte de illo Gennadius scripserit, Origenis ingenium, non doctrinam fuisse sequutum.

*Cap. I. De Elia parentibus, ortu, patria
& de loco, ubi primo fuerit con-
uersatus.*



Rincipium religionis huius, & quemadmodum, & vnde primò ipsa processit, ratione petis, dilecte Caprasi, ante alia perscrutandum. Quamuis namque conuersationis huius ratio in sola experientia consistat, & nequaquam posset hæc ratio plenè verborum doctrina nisi ab experto tradi, neq; etiã à te totaliter percipi nisi eã pari studio, ac sudore per experientiã apprehendere laboraueris: multò tñ efficacius poteris susceptæ huius professionis assequi disciplinã, & ad illã capessendã alios ardentius incitare, cum auctorum, atque fundatorum eius agnoueris dignitatẽ, & primariã Religionis ipsius sciueris institutionẽ. Propter quod (vt ordine debito procedamus) de supremo huius Religionis fundatore, & primaria eius institutione eloqui paulisper inchoabimus: deinde aliqua sancta gesta, & gloriosas virtutes, & exteriorẽ habitus ornatũ, deque ipso fundatore, & primis eius discipulis, cæterisque huius religionis priscis professoribus succinctè disponemus, sicut hæc omnia antiqui huius nostræ conuersationis sectatores ante nos intellexerunt, & nobis tã in veteri, quã in noua lege, doctrinis & exemplis philosophati sunt: vt per hæc discas, quãta sanctorum præcipuorum auctoritate hæc nostræ vitæ religio cõfirmetur, & cũ quãta mētis securitate, formã huius cõuersationis sequẽtes, nõ per nouitatẽ sumptas, neque per inanes fabulas, sed per approbata totius vitæ monasticæ primaria exẽplaria, viã & corda nostra domino dirigimus

gimus & semitas veniendi ad nos Deo nostro rectas facimus, vt, cū venerit, & pulsauerit, confestim ei aperiamus, qui ait: Ecce sto ad ostiū, & pulso, si quis audierit vocē meā, & aperuerit ianuā, introibo ad illū, & cœnabo cū illo, & ipse me cū. Scio igitur, & animaduerto, ab initio regni Achab Regis Israël vsq; ad Christi aduētū in carnē, decades annorū circiter nonaginta quatuor fluxisse, per quas, (vt Chronographi tradūt) cœpit Achab regnare ante incarnationem Dñi Iesu. In diebus verò huius Achab Regis Israël, & in regno eius fuit quidā propheta magnus de tribu Aarō, cui nomen erat Elias, ex patre vocato Sabacha, ortus in ciuitate Thesba, quæ est in regione Galaad. Ex qua Thesbi Elias est Thesbites dictus: qui Elias fuit post modū habitator ciuitatis Galaad, quæ ab ipso monte nomē est sortita, sicuti & regio monti illi circumuicina trans Iordanē sita in sorte dimidiæ tribus Manasse.

Luca. 12.

Apoc. 3.

Cap. II. De recessu Eliæ in Eremum, & de duplici sine vitæ Eremiticæ, & de renuntiatione rerum transeuntium.



Hic propheta Dei Elias Monachorū princeps primus extitit, à quo sãcta eorū primæua institutio sumpsit exordiū. Ipse enim, obtentu contēplationis diuinæ, & desiderio sublimioris profectus, longe ab vrbibus recedens, & seipsum cūctis terrenis ac mundanis exuēs, religiosam & prophetalē vitā eremiticam primus hominū à proposito ducere cœpit, quā, sancto dictate, & mādāte spiritu, inchoauit, & instituit. Quippe Deus ei apparēs mādauit, vt cōmunē hominū habitationē fugeret, & se à turbis in deserto absçoderet, atq; deinceps in eremo monasticè secūdū formā ei indiētā viueret: qđ euidēti sacra scripturę testimoniō cōprobat. Legimus enim de hoc ita scriptū in libro regnorū: *Factū est verbū Dñi ad Eliā, dicēs, recede hinc, & va-*

3. Re. 17.

de cōtra oriētē, & absçodere in torrēte Charit, qui est cōtra Iordanē, & ibi de torrēte bibes, coruisq; præcipi, vt pascāte te ibi.

Hæc

Hæc autem præmissa salubria mandata, ad quæ implenda Spiritus sanctus Eliam instigauit, & desiderabilia promissa, ad quæ adipiscenda eum erexit, tantò debent maiori intentione, non solum historicè, sed potius mysticè à nobis monachis eremitis per singula verba pensari, quanto in eis plenior comprehenditur institutio, id est, forma ad perfectionem propheticā, & finē eremiticæ vitæ, religiosè perueniēdi. Cuius vitæ duplex dignoscitur esse finis, vnus quidem, quem per laborem nostrum, & virtuosum exercitium diuina adiuuante gratia, acquirimus. Hoc autem est, offerre Deo cor suum purum ab omni actuali sorde peccatorum.

*Prov. 10.
1. Pt. 4.*

Quem finem attingimus, cum sumus perfecti in charitate, id est, in charitate illa absconditi, de qua Sapiens ait, & *vniversa delicta operit charitas*. Ad quē finē volēs Deus Eliā peruenire ei dixit: *Abscondere in torrente Charit*. Alius autē huius vitæ finis est mero Dei dono nobis collatus: videlicet, non solū post mortē, sed etiā in hac mortali vita aliquo modo gustare in corde, & experiri in mente virtutem diuinę præsentia, & dulcedinem supernę gloriæ. Hoc autē est, de torrente voluptatis Dei bibere. Quem finem promisit Deus Eliæ, dicens, & *ibi de torrente bibes*. Propter utrūque finem horum duorum prophetalis vita eremitica est à monacho assumenda, testante propheta: *in terra* (inquit)

Psal. 61.

deserta inuia, & in aquosa, sic in sancto apparui tibi, ò Deus, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuā. Per hoc enim, quod in terra deserta, inuia, & in aquosa manere elegit, vt sic in sancto (id est) in corde puro à peccatis appareret Deo: monstrat primum electæ per eum vitæ solitarię finem, qui est, offerre Deo cor sanctum, id est, ab omni actuali peccato purum. Per hoc autem, quod addit, *vt viderem virtutē tuā, & gloriā tuam*, monstrat manifestè secundum finem vitæ prædictæ, qui est, iam in hac vita aliquo modo experiri, seu mysticè videre in corde virtutem diuinę præsentia, & gustare dulcedinem supernę gloriæ. Ad primum autem horum, scilicet, puritatem cordis, peruenitur per laborem, & exercitium virtuosum, diuina gratia adiuuante. Et

per

per perfectionem dilectionis deuenitur ad secundum, scilicet, ad experimentalem gustum diuinæ virtutis, & gloriæ cœlestis, dicente Dño. *Qui diligit me diligitur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum.* Idcirco Deus per ea, quæ in superioribus omnibus præmissis verbis sancto Eliæ proposuit, Prophetæ illi, primò, & præcipuè monachorum Principi, & nobis eum imitâtibus suadere maximè voluit, *Vt simus perfecti, sicut & pater vester cœlestis, (inquit,) perfectus est, & super omnia charitatē habentes, quod est vinculum perfectionis.* Quapropter, vt ad perfectionis suæ, & visionis gloriæ dona valeamus promissæ pertingere: fornam ad hoc perueniendi, per Deum in dictis verbis B. Eliæ propositam, curemus aure intenta, distinctè per ordinem percipere, & opere adimplere. Loquens enim Dominus sancto Eliæ, atque etiam tam in veteri, quam in noua lege cuiuslibet monacho vitæ eremiticæ, ait: *Recede hinc (scilicet, à rebus caducis mundi, & transitorijs,) & vade contra Orientem, scilicet, contra originalem cupidinem tuæ carnis: & abscondere in torrente Charit: ne in vrbibus moreris similiter cum turbis, qui est contra Iordanē; vt, scilicet, per charitatem sis diuisus à delictis.* His namque quatuor gradibus ad culmen propheticæ perfectionis conscendes, *& ibi de torrente bibes.* Sed vt in hoc queas, perseverare, *coruis præcepi, vt pascant te ibi.* Hæc autem intelliges melius, si per singula discurrendo, ea distinctè per ordinem exponamus.

Ioan. 14.

Math. 5.

Col. 3.

3. Re. 17.

Cap. III. De primo gradu professionis monastica, nempe, de abrenuntiatione diuitiarum, & de recessu à patria, & cognatione propria.

Gen. 12.



A, quæ tibi suadeo, sigillatim intellige per ordinem, & discurre. Nam primò dixi tibi in mea visione, *recede hinc*, scilicet, de terra, & de cognatione tua, & de domo patris tui, non solum animo, vt terrenis possessionibus tui generis, & caducis Mundi diuitijs

Luc. 14.

cor tuum non apponas: sed etiam opere, vt ipas non possideas. *Nisi enim quis renuntiauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*: Quoniam, licet possessæ diuitiæ non claudant diuiti introitû cælestis regni, si cor suum ad eas non opponat, sapiente dicente, *Beatus est diues, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec sperauit in thesauris pecuniæ*: tamen, per hoc, quod sapiens protinus subdit, dicens, *Quis est hic, & laudibimus eum* ex prof

Eccl. 31.

fit sanè manifeste difficultatem reperiendi talem virum, qui diuitias possidens, ad eas cor non apponat: cor enim facile adhæret his, quæ frequentat. Propter quod, cum possidentur diuitiæ multæ, non possis maiorem flammam accedere in corde, & vehementiorem cupidem gignere, quemadmodum sapiens ait, *saturitas diuitis non finit eum dormire*: occupatus quippe in superuacuo possessarum diuitiarum amore, cum habeat ipse rebus domesticis intendere, affligitur assiduè ab ærumna continuarum curarum, quæ non sinit ad ipsum ingredi desiderium adimplendi verbû, quod audiuit diuersorum præceptorum. Ærumnæ enim sæculi, & deceptio diuitiarum, & circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, & sine fructu efficitur: propter quod, *diues difficilè introibit in regnum cælorum*. Tu ergo fili mi, si vis perfectus esse, & de torrente bibere: *recede hinc*, scilicet, à rebus caducis mundi huius, relinquendo corde, & opere omnes possessiones tuas terrenas, & facultates propter me: quoniam facilior, & tutior via ad perfectionē propheticam tendendi, & tandem ad Regnum cælorû perueniēdi, est ista. *Omnis, enim, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut uxorē, aut filios, aut agros*

Matt. 19.

Matt. 19

propter nomen meum, centuplum accipiet, iam in hac vita præ gustans

gustans suauitatis meæ dulcedinem, cunctis terrenis centu-
pliciter præualentē, & tandē vitam æternam possidebit. Ec-
ce breuiter audisti primum gradum, quo conscendere pos-
sis ad propheticæ perfectionis summum.

Cap. III. De ab renuntiatione propria vo-
luntatis, & de coercendis car-
nis desiderijs.

Nunc attede secūdū. Sequitur enim in exer-
citatione mea, & vade contra Orientē, scili-
cet, cōtra originalē tuæ carnis cōcupiscen-
tiā. Scire nāq; debes, quod in die ortus tui,
non est à peccato præcissus vmbilicus tuus:
quoniā in peccatis natus es totus, quemadmodum in perso-
na cuiuslibet hominis geniti à viro & femina, ait Propheta,
Eccē in iniquitatibus cōceptus sum, & in peccatis cōcepit me
mater mea. Ab hoc autem originali peccato, in quo cōcipi-
tur homo, illud prouenit, quod, Caro hominū aduersus spi-
ritū concupiscit. Video (inquit Apostolus) aliā legem in mem-
bris meis repugnantē legi mentis meæ, & captiuantē me in le-
gē peccati, quæ est in mēbris meis. Hæc lex peccati est illa
lata porta, per quam quis intrat, cū ei consentit, & fit spatio
sa via, per quā homo ambulat, dū secundū eam viuit, quæ
ducit ad perfectionem, & multi sunt, qui intrans per eā. Ac-
cedentē verò ad seruitutē Dei oportet abstinere à carnali-
bus desiderijs, quæ militāt aduersus animā, & stare in iusticia,
timore Dei, & præparare animam suā, non ad requiem, ne-
que ad delicias, sed ad tentationē, & angustias, quoniam oportet
per multas tribulationes introire in Regnū Dei. Angusta
nāque est porta, & arcta via, quæ ducit ad vitā, & pauci sūt,
qui inueniūt eā: quoniā pauci sunt electi, & pusill⁹ est grex,
cui cōplacuit patri dare regnū. Tu ergo fili mi, si vis esse pfe-
ct⁹, & vsq; ad finē monasticæ, vel eremiticę vitę peruenire,
ibique

Ezech. 16

Psal. 50
Galat. 5.

Rom. 7.

Mat. 7.

1. Pet. 2.

Act. 14.

ibiq; de torrēte bibere: vade contra Orientē, hoc est, contra originalem tuæ carnis cupidinem, ac concupiscentias eius. Ego enim noui (inquit diuina sapientia) iniquos in die iudicij reseruare cruciandos: quanto autem magis eos, qui post carnem in concupiscentias immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt. *Post ergo concupiscentias tuas non*

Eccl. 18.

cas, & à voluntate tua auertere, eam prorsus relinquens, &

Matt. 10.

superiori, recto arbitrio, vsque ad mortē propter me humiliter te submittens, non est enim discipulus supra Magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius. Ego vero Dominus prophetarum, & magister descendi de cælo, nō vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me patris, ei factus obediens vsq; ad mortē, mortē autē crucis.

Ioan. 4.

Phil. 2.

Quamobrē, Siquis vult venire post me, abneget semetipsum & collat crucem suam quotidie, & sequatur me. Qui enim non baiulat crucem suam, & venit post me: nō potest meus esse discipulus. Si ergo vis contra Orientem, id est, contra originalem tuæ carnis cupidinem, post me venire, attende, qualiter oportet, te crucem baiulare. Sicut namque crucifixus quis, iam non pro sui animi volūtate membra sua quam mouendi, vel conuertendi habet potestatem: sed illic tantum hæret immobiliter, vbi crucifigens ea fixerit: ita non ad id, quod tibi placet, teque delectat ad præsens, tuam voluntatem conuertas, sed quò te mea voluntas constringerit, tuam vniuersam voluntatem applicare debes: vt iam non hominum desiderijs, sed voluntati Dei, quod reliquum est, in carne viuas, temporis. Et quemadmodum ille, qui crucis patibulo est affixus, præsentia non contemplatur, præteritorum obliuiscitur, de crastino non sollicitatur, nulla concupiscentia carnali promouetur, nulla superbia, nulla cōtentione, nulla vltione, nulla æmulatione succenditur: sed cū adhuc aspiet in corpore, se mundo credit esse defunctum, illuc tantum permittens sui cordis intuitum, quò se non dubitat illico transiturum: ita quoque te timore Domini confixum, oportet, his præmissis omnibus esse defunctum: illic tantū oculos animæ tuæ habendo defixos, quò te sperare debes

debes singulis momentis intraturū . Hoc ergo modo vade contra Orientem, scilicet, contra originalem tuæ carnis cupidinem. Sic enim qui Christi sunt, carnem suam crucifixerūt cum vitijs, & concupiscentijs, Semper mortificationē Christi in carne sua circumferentes, vt & vita eorum in corporibus eorum manifestetur, in quam cum fuerint transformati, perueniunt ad illam supernam gloriam, quæ est aterna, quemadmodum eis ait Apostolus. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, cum enim Christus apparuerit, vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Ecce ostendi succintè secundum gradum, quo peruenire queas ad Prophetalis perfectionis gradum.

Cap. V. De tertio gradu professionis monastica, scilicet, de castitate, & de solitudine à monacho amplectenda.



Odò amplectere tertium: sequitur enim in persuasione mea: & abscondere in torrente *Carrith*. Nolo enim te vltius morari inter turbas in vrbe, quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate: die ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas, & labor in medio eius, & in iniustitia: & non defecit de plateis eius *vsura*, & *dolus*. Propter quæ omnia vitanda, ipse Propheta in exemplum tibi datus maluit in solitudine habitare: quā in vrbe. Ecce (inquit) elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Ait enim sapiēs, *Nō pecces in multitudine ciuitatis, nec te immitas in populum, nec alliges duplicia: nec enim eris in vno immunis* Quia ergo secundum sapientem, in *Mōvo* (idest, in vno seu in singulari) degens, nō eris à peccato immunis: ideo debes solitarius pauere, & flere, idest, monachi officium exercere:

Psal. 54.

Psal. 54.

Eccles. 7.

cere: *μόνα* enim Græcè Latine dicitur vnus, siue singularis, aut solus: *Αχος* autem Græcè, dicitur Latine tristis. Inde itaque dictus est monachus, quasi singularis, & tristis, sua scilicet, & aliorum peccata solitarius lugens. Et hoc tibi eligibilius, quam inter turbas conuersari in vrbe. Si enim, teste Sapiente, in vno, (idest, in monade, seu singularitate, aut solitudine) degens non eris à peccato vsque quaque immunis: quanto magis, ipso testante, si te immittas in populum, duplicia tibi peccata alligabis, ac per hoc pauere amplius, & flere oportebit? Declina ergo frequentias turbarum, ne in ciuitate positus facere compellaris, quæ te non tam natura cogit facere, quam voluntas, videlicet, ne alterius furore mouearis, ne aliena bella patiaris, ne te capiat oculus meretricis, ne auaritiæ, cæterorumque vitiorum alligeris vinculis: quæ omnia vitantur in solitudine. *Quis nam dimisit onagrū liberū, & vincula eius quis soluit, nisi qui ei dedit in solitudine domū, & tabernacula eius in terra salsuginis? Idcirco cō-*

Iob. 39.

tēnit multitudinē ciuitatis, clamorē exactoris nō audit. Onager quidem animal solitudinem diligens, illum significat, qui remotus a turbis popularibus, solitarius conuersatur. Cuius peccatorum vincula Deus soluit, & liberum à peccati seruitute eum dimittit, dum sibi domum in solitudine cōstituit, & tabernacula eius in terra salsuginis, quæ sitim attendit, vt iustitiam coelestis patriæ sitiat, qua tandem satietur. *Beati enim, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur.* Tu ergo fili mi, si vis perfectus esse, & ad finem Monasticæ vitæ eremiticæ peruenire, ibique de torrente bibere: abscondere in torrente. *Carith*, colens, scilicet, in absconsa solitudine silentium. Quippe sciens imbecillitatem tuam, & vas fragile, quod portas, timere debes in vrbe offendere, ne inter turbas impingas, & corruas, atque frangaris. Sedebis ergo solitarius, & tacebis: quia bonum est homini prestolaricum silentio salutare Dei. Quamobrem abscondere in torrente *Carith*, qui diuisio interpretatur: quia expedit ad tui prophetica perfectionem, vt ita abscon-

Matth. 4.

sus, & diuisus sis ab humano consortio, quod etiam

Tren, 3.

mulic-

mulieri non iungaris coniugio . Bonum est homini mulierem non tangere : porro hæc ad vtilitatem tuam dico, & ad id, quod honestum est, & quod facilitatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi. Oportet enim te diuidi ab his, quæ te impediunt, vt perfectè tendas in Deū. Sollicitudo verò sæculi istius, & fallacia diuitiarum suffocant verbum Dei: ac per hoc impediunt animum, ne perfectè diligat Deum . Teste enim sapiente, qui diligunt Deum, conseruabunt verbum eius: qui vero cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, & propterea retrahitur, ne perfectè inhæreat perfectioni Dei: sed cogitat, quomodo placeat vxori: qui autem sine vxore est, sollicitus est quæ sunt Domini, & cogitat, quomodo placeat Deo. Quamobrem, si non es alligatus vxori, noli quarere vxorem: beator enim eris, si sic secundum meum consilium permanseris, vt sis ex illis eunuchis, qui se castrauerunt propter Regnum cœlorum. Quoniam dabo eis in domo mea locum, & nomen melius filijs, & filiabus, & nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Ecce expressi tibi tertium gradum, quo peruenire valeas ad Propheticæ perfectionis altum.

1. Cor. 7.

1. Cor.

Isai. 56.

Cap. VI. De perfecta Charitate, & fuga vitiorum.



Modo percipe quartum: sequitur enim in admonitione mea. Qui (scilicet torrens Carith) est contra Iordanem. Certè Iordanis descensio eorum interpretatur: per quem hoc in loco non absurde peccatum significatur. Quid enim facit tã descēdere homines à dignitate imaginis, & similitudinis Dei in miseriam, & turpitudinem, quam peccatum, quod est trāsgressio diui

- Prou. 14.* norum præceptorum ? Teste enim sapiente, *Miseros facit populos peccatum.* Hinc Moyses populo præcepta Dei transgressuro dixit: *descendes, & eris inferior*. Omnis enim natura, licet in suo genere sit munda, superiori tamen comparata redditur turpis, & immunda: & à sua dignitate cadit, atque sordescit res nobilis, cum inferiori naturæ miscetur, licet in suo genere natura inferior non sordidetur. Nam & aurum cum argento sordidatur, si ei misceatur. Ego autem (ait diuinum responsum, testante scriptura) feci tam excellentis naturæ hominem, quòd eum constitui vniuersę creaturæ præsidem. Quamobrem, licet creaturæ sint mundæ in suo genere: humana tamen corda cadunt à sua dignitate, & sordescunt in creaturarũ fruitione. Hinc de his, qui corda
- Zachar. 11.* in rebus creatis figunt, per Prophetam dicitur. *Vastata est superbia Iordanis, scilicet peccati.* Quia videlicet vnde peccatores (contemnendo Dei præceptum in peccato) contra Deũ superbiunt: inde in vastitatem corruptionis, & abominationis descendunt, dicente Propheta. *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus.* *Carith* verò diuisio interpretatur, per quam charitas meritò intelligitur: quia ipsa sola hominem diuidit à Iordane, scilicet, à peccatorum descensione. Hinc nãque *Carith* (scilicet charitas) perhibetur esse cõtra Iordanem, id est, contra peccatorum descensionem: quia (sicut ait Apostolus) quilibet homo, si ceteris omnibus polleat bonis, etiam si loquatur omnibus linguis, & habeat omnem prophetiam, & omnem scientiam, & distribuatur omnẽ substantiam suam in cibos pauperum, & tradat corpus suũ ita, vt ardeat, charitatem autem non habeat, nihil prodest, nec transfertur à morte peccati in vitam. *Qui enim non diligit manet in morte.* Ab hac tamen morte diuiditur per charitatem, & ad vitam (dicente Ioanne Apostolo) transfertur.
- 1. Ioan. 3.* *Nos (inquit) scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Bene igitur *Carith* (id est charitas) est contra Iordanem, scilicet, contra peccatorum descensionem. Quoniam (sicut ait sapiens,) vniuersa delicta operit charitas. Tu ergo fili mi, si vis esse perfectus, & ad finem monasticę vitæ eremiticę perueni
- Prou. 10.*

peruenire: & contra Iordanem, idest, peccatorum descensionem abscondi: debite in *Carith* (idest, in charitate) abscondaris. Si hoc adimplere renueris, miser, & improbus efficieris, & non in *Carith*, sed in Iordane, idest, in peccatorum descensione eris. Si enim quicquam aliud amas plusquam, iam non me diliges ex toto corde tuo: nec es in *Carith*, scilicet, in charitate: quare non es dignus videre me. *Qui enim amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus, Aut qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus.* Sed etsi quicquam aliud tantum amas, quantum me, nodum me diligis ex toto corde tuo, nec es in *Carith*, scilicet, in charitate. Si enim toto corde tuo me diligeres: quantumcunque anima tua, & cætera omnia essent tibi cara: eis omnibus dilectionem meam præferres, & cuncta, quæ cor tuum ab ea abduceret, protinus respue res & odio haberes. *Siquis enim venit ad me, & non odit patrem, filium, aut matrem & uxorem, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam: non potest meus esse discipulus.* Si verò cor tuum mihi tanto amore offeras, & te ipsum mihi tanta dilectione committas, vt quod volo, & tibi prohibeo, (quantumlibet sit difficile caueri) totum tamen amore mei vites, & odias: quod autem volo, & tibi præcipio (quantumcunque sit durum fieri) nihilominus totum amore mei serues, & adimpleas: tunc enim incipies me vtcumque diligere ex toto corde tuo, & ex totamente, & in *Carith*, (scilicet, in charitate) esse. *Qui enim habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me.* Primum autem mandatum omnium est, *Audi Israel: Dominus Deus tuus Deus vnus est, & diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Hoc est primum, & maximum *Deut. 6.* mandatum: Quod quia seruari non potest sine dilectione proximi, eo, quod *qui non diligit fratrem suum, quem videt, non potest Deum diligere, quem non videt: ideo i. Ioan. 4.* secundum mandatum simile huic est, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum, scilicet in quo, & propter quod de-* *Matth. 5.*

- bes diligere te ipsum in bono verò & non in malo diligere
 te debes. Si enim in malo te diligeres: iam nō te ipsum ama-
 res, sed odio haberes: qui enim *Diligit iniquitatem, odit ani-*
nam suam. Ideoque proximum debes, sicut te ipsum,
 in bono, & non in malo diligere, *ut omnia, quaecunque*
vis, ut faciant tibi homines, facias et tu illis: & quod ab
 alio oderis tibi fieri, vide ne feceris aliquando alteri.
Dilectio enim proximi malum non operatur. Quapropter
 hoc in proximo amare, & operari debes, per quod iustus
 permaneat, si bonus est. Rursum te debes diligere non
 propter te ipsum, sed propter Deum. Quod enim prop-
 ter se diligitur, in eo finis lætitiæ, & vita beata constitui-
 tur: cuius adipiscendæ etiam spēs iam hoc tempore conso-
 latur. In te verò, vel in alio homine non debes spem beatæ
 vitæ ponere: *Maledictus enim homo, qui confidit in homine,*
& ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor-
cus. Debes ergo in Domino finem tuæ lætitiæ, & bea-
 tam vitam constituere, Apostolo dicente, *Nunc autem li-*
berati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum
vestrum in sanctificationem, finem verò vitam eternam
in Christo Iesu Domino nostro. Ergo si liquide aduertas,
 Deum debes diligere propter te ipsum, te verò non prop-
 ter te, sed propter Deum. Cumque debeas diligere pro-
 ximum tuum, sicut te ipsum, debes utique eum diligere,
 nō propter se, nec propter te, sed propteret Deū. Hoc au-
 tem quid aliud est, quàm in proximo diligere Deum? In
 hoc (inquit Ioannes Apostolus) *cognouimus, quoniam*
diligimus nos Dei, cum Deum diligimus, & mandata
eius facimus. Quæ omnia utique in præparatione animi
 facis, si Deum diligas propter se ipsum, & si propter Deum
 diligas proximum, sicut te ipsum: *in his quippe duobus*
mandatis vniuersa lex pendet, & prophetæ: plenitudo au-
tem legis est dilectio. Propter quod, ad eam præcipue ha-
 bendam hortatur Petrus Apostolus, dicens, *Ante om-*
nia, mutuam in vobis meritis charitatem habentes: quia
 chari-

charitas operit multitudinem peccatorum. Sed tanto minus Carith, idest, charitas tua operit peccata, & est contra Iordanem, idest, contra peccatorum descensionem, quanto minus Deum, & proximum diligis. Quoniam maior dilectio maiorem meretur remissionem peccatorum, quemadmodum scriptum est, *Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum.* Ecce exposui tibi quartum gradum, quo contingere queas ad prophetalis perfectionis domum. Luc. 7.

Ca. VII. Ad perfectionem charitatis monachis maximè conducere paupertatem, castitatem, obedientiam, & eremi solitudinem, aliaque vitare, quae charitatis ardorem remittunt.



Estat nunc attendere, qualiter ad culmen perfectionis Propheticae, & finem monasticae vitae eremiticae, per hos praemissos quatuor gradus peruenias: sequitur enim in propositione mea, & *ibi de torrente bibes.* Nempe expedit tibi, sapientis eloquio, abstrahere à vino carnem tuam, ut animum tuum transferas ad sapientiam, deuitesque stultitiam: *luxuriosa enim res est vinum, & tumultuosa ebrietas, quicumque his delectatur non erit sapiens.* Propter quod, ut facilius ad veram peruenias sapientiam, à vino in Carith abstinebis, & in remedium tuam sitis, ac tutamentum vitae tui corporis, *bibes ibi de torrente materiali, scilicet, de aqua torrentis.* Reminisceris tunc, qualiter antea dixerim tibi, & *ibi de torrente bibes.* Praemissi autem, *abscondere in torrente Carith.* Quod ideo praedixi, quia ad hoc, ut de torrente spiritualiter bibas, oportet te prius in Carith, scilicet, in charitate abscondi. In qua non illico absconderis, cum in ea esse inceperis: quoniam (sicut dictum est) non quantalibet *Charitas, sed sola perfecta operit vniuersa dilecta.* Licet ergo mox, ut me incipis ex toto corde tuo diligere (etsi verè in Carith, idest, in charitate) tamen non es protinus absconditus in Carith, scilicet, in charitate: quia non confestim es totaliter diuisus ab actuali peccati cupiditate. Non enim mox quiescunt, imo surgunt in te carnales concupis-

Præm. 10.

centiæ, & cogitationes immundæ, conantes cor tuum in ve-
 tita trahere, & à dilectione mea totaliter euellere. Propter
 quod nondum potes perfectè diligere me ex toto tuo cor-
 de. Nam etsi cor tuum retineat tunc assiduè dilectionem
 meam habitualiter in se: adhuc tamen non potest tranquil-
 le per actualem amorem, & perfectè ferri in me. Quin ne to-
 taliter decidas à mea dilectione, oportet, te tunc intendere
 ad expugnandum insurgentes cogitationes immundas, &
 carnales concupiscentias, contrarias dilectioni meæ: quas
 cum velut elicitas edomaueris, non tamen continuo in Ca-
 rith, idest, in charitate, absconditus eris: quia nondum me
 ex toto tuo corde perfectè amabis. Adhuc enim resta-
 bunt tibi multa illicita, quæ per me nec præcepta sunt ti-
 bi, nec vetita, vt nuptiæ, diuitiæ, negotia sæcula-
 ria, & similia, quæ supra commemorauit: quibus cum te
 implicas, etsi cor tuum non diuellant totaliter à mea dile-
 ctione, & sinunt te de me cogitare: sed tamen frequen-
 ter te impediunt à mea desideratione: & cor tuum subdu-
 cunt à meæ dilectionis feruore. Quo quantò minus inflam-
 maris, tantò minus in charit (idest, in Charitate) absconde-
 ris, & quanto minus in charitate absconderis, tantò minus
 ad perfectionem propheticam, & ad finem monasticæ vitæ
 eremiticæ tendis. Tu ergo [fili mi] vt promptius queas abs-
 condi in Charit (scilicet in charitate) & ad finem destinatū
 pertingere, ibique de torrente bibere: euita non solum per
 me tibi prohibita, quæ te totaliter à mea dilectione separāt
 (vt sunt carnales concupiscentiæ ei contrariæ, & cogitatio-
 nes immundæ): sed etiam diffuge ea, quæ te ab ardore dile-
 ctionis retardant: vt sunt ea, quæ propterea tibi prius dis-
 plicent. *Nemo enim militans Deo implicat se secularibus ne-*
gotijs, vt ei placeat, cui se probauit. Illa verò summo studio
 exquire, quæ te ad meæ dilectionis ardorē vocant: vt sunt
 præcepta legis meæ, & ea, quæ propterea tibi sup. persuasi,
 scilicet, paupertas, & carnalis cōcupiscētix crucifixio, obe-
 dientia, & voluptatis propriæ abrenuntiatio, continentia,
 & eremi solitudo. Nam cum in mandatis, & consilijs meis
 taliter exercitatus fueris, vt non solum cogitationes immū-
 das, & carnales concupiscentias dilectioni meæ contrarias,
 sed

2. Timo. 2.

sed etiam cætera feruorem dilectionis meæ impediencia, & retardantia à te fugaueris, & ea, quæ amori meo opitulantur elegeris, si inde tam feruenti amore me tranquillè diligas, tamque vehementi dilectione mihi totaliter adhæreas, vt nullum desiderium contrarium dilectioni meæ, vel eius impeditiuū, aut re tardatiuum in mente tua sentias: tunc incipis me diligere perfectè ex toto corde tuo, & in Carith, (scilicet, in charitate) absconditus esse, adque finem destinatum pertingere. *Finis enim præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Quicquid enim in lege tibi præcipio, aut consulo, siue defugandis à te cogitationibus immundis, & carnis ac mundi concupiscentijs, vt cor tuum ab his purum teneas, siue de exhibendis proximo officijs, & vitandis eius offensis, vt sine reprehensione conscientiam bonam ad eum habeas, siue de impediendis cultu meo obsequijs, vt ex fide non ficta, sed vera mihi deseruias: totum hoc adhuc finem tibi suadeo, vt de corde tuo puro, & feruens, & vehemens amor totum pacificans cor tuum procedat, quo totaliter mihi sine renisu coniungaris: vt nihil penitus contrarium dilectioni meæ, vel eius retardatiuum cor tuum in se sentiat, sed tranquillum in amore meo totaliter cōquiescat, quòd nihil aliud est, quàm habere cor purum ab omni peccati actualis sorde, & esse absconditum in carith, idest, in illa charitate, de qua sapiens ait, *Vniuersa delicta operit charitas.* Cum ergo adhuc finem monasticæ, ac prophetalis vitæ eremiticæ peruenieris, & ita in Carith (scilicet in charitate) absconditus fueris: tunc *ibi de torrentes bibes.* Quia in hac tam perfecta cognitione tui ad me, potabo te, & tuos sodales illo torrente, de quo Propheta mihi loquens ait, *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Scriptum est enim, *si reuersus fueris ad omnipotentem, edificaberis, & longe facies iniquitatem à tabernaculo tuo, dabit pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos, eritque omnipotens contra hostes tuos & acernabitur tibi argentum: tunc super omnipotentem delicijs afflues, & eleuabis ad Deum faciem tuam.* Vbi vide, si ad Deū ex toto

I. Timo. I.

Prou. 10.

Psal. 35.

Iob. 22.

corde tuo (vt præmittitur) reuertaris, qualiter in bonū gra-
 datim ædificaberis. Primò quidem *longè facies iniquitatem*
 à tabernaculo, idest, à corde tuo: quia aliter cū omnipotente
 coniungi non posses, sicut scriptum est, *si dixerimus quoniã*
societatem habemus cū Deo, & in tenebris ambulamus, men-
timur: quoniam iniquitates nostræ diuiserunt inter nos, &
Deū nostrum, & peccata nostra absconderunt faciem eius à
nobis. Secundò pro terra (idest pro terrenis affectionibus, &
 diuitijs à te dimisis), dabit tibi Deus *silicem*, idest, fortem, &
 ardētem charitatem: est enim silex lapis durus, & focarius,
 à quo salit ignis, & significat illam perfectam charitatē, de
 qua sapiens ait, *Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus*
amulatio: lampades eius lãpades ignis, atque flãmarum. Hanc
 Deus dat, sicut ait Apostolus, *Charitas Dei diffusa est in cordi-*
bus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Tertio,
 pro silice forti, idest, perfecta charitate seruata à te, dabit ti-
 bi Deus *torrentes aureos*, illas, videlicet, ineffabiles, & sua-
 ues delicias spirituales, de quibus scriptum est, *Oculus non vi-*
dit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ prepara-
uit Deus his, qui diligunt eum. Hæ quidem delitiæ dicuntur
 torrentes, quia instar torrentis cum impetu, & magna vo-
 luptatis abundantia ad mentem Prophetæ fluunt, sicut scri-
 ptum est, *Torrentes redundãns fons sapientiæ.* Sed sicut torrens
 orto solis ardore, citò arefcit: ita dapes illæ spirituales, orta
 carnis cupiditate, mox à mente Prophetæ descendunt, &
 torrescunt. Sunt verò hi torrentes aurei, idest, fulgentes, tã
 ex ardore dilectionis Dei, ex qua ad mentem Prophetæ
 fluunt, quàm ex manifesta notitia Dei, ad quam hominem
 propheticum mysticè perducunt, sicut Dominus ait, *qui di-*
ligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligã eum, & manife-
stabo ei me ipsum. Quarto, cum ad talem notitiam Dei per-
 ueneris, erit *omnipotens contra hostes tuos*, visibiles, & inuisi-
 biles, *protegens te ab eis*, sicut ipse ait, *protegã eum, quoniã co-*
gnouit nomen meum. Quintò, *aceruabitur inde tibi argen-*

2. Ioã. 1.

Isa. 59.

Cãt. 8.

Rom. 5.

1. Cor. 2.

Ioã. 14.

Ps. 90.

rum, de quo Propheta ait, *Eloquia Domini eloquia casta, arguentur in igne*, (idest charitate) *examinatum*. Quia enim propter charitatē Dei, mundū, & confortia hominū relinquas, vt puro corde Deo inherereas mereberis diuino colloquio abūdē perfrui, ita, vt occulta, & futura interdū reuelētur tibi à Deo. Tu ergo super omnipotentem delitijs in ætītimabilibus afflues, & eleuabis, ad Deum libere contemplādū, faciem mētis tuæ. Ecce docui, qualiter ad pfectionē propheticā puenias, & finē monasticę vitę eremiticę attingas.

Cap. VIII. De redemijs ad perseuerandū humiliter in perfectione vitę eremiticę.



Deinceps oportet, quod vltimō videas, quomodo in perfectione vitę Propheticę perseuerare debeas. Sequitur enim in propositione, mea *Cornis*, præcepi, vt pascāt te ibi: quod vtique ad tui consolationem necessarium iudicauī. Nempe, licet in enarrabilibus affluas delitijs quandiu bibes de torrente meæ voluptatis: duplici tñ ratione tuū gaudiū nondū erit plenū. Primō quidē qm̄ vehemētissimē, & ex totis tuis p̄cordijs desiderabis tūc faciē meā clarē cōspicere, quam tñ non poteris perspicuē videre, *non enim videbit me homo & vinct*, quia ego *lucem in habitō inaccessibilem, quam nullus homo in hac vita videt, sed nec videre potest*. Secundō, quoniam dum in illis ineffabilibus delitijs, quas bibes de torrente meæ voluptatis requiescere diutius conaberis, repēte iā propter fragilitatem tui corporis ab eis se motus ad te ipsū reuerteris: *corpus enim, quod corrūpitur aggrauat animā, & terrena habitatio deprimit sensum multa cogitātē*. Hac itaq; duplici ratione, quia sanctā faciē meā nō poteris clarē cernere, & quia oppressus corruptibili corpore non valebis diutius degustare, nec permanere in illa gloriosa dulcedinis contemplatione: orabis tunc, si vis in perfectione perseuerare, & dices incipiens gemere, *Deus Deus meus ad te de luce vigilio, sicut inuit anima mea in te, quā multipliciter tibi caro mea: in terra deserta inuis & iniquosa*

Exod. 33.

1. Tim. 6.

Sap. 9.

Psal. 62.

sic

sic in sancto apparui, ut viderem virtutem tuam, & gloria tuam. Verum, ne tunc irremediabilibus gemitibus, & cordis molestitudine inconsolabiliter dissoluaris, & desiderio vidē dīne, & fame gustandi suauitatem dulcedinis gloriae meae: ad consolationem tui, *Coruus praeccepti, ut pascant te tibi.*

Quippe coruorum nomine cum ratione intelliguntur sancti Prophetæ, tibi in exemplum dati à me: quia nequaquam de iustitiæ suæ luce superbiunt, sed per humilitatis gloriam & infirmitatis propriæ notitiam, peccatorum in se nigredinem confitentes, aiunt: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Proinde

Iob. 39. de eorum quolibet scriptum est. *Quis preparat coruo escam suam quando pulli eius clamant ad Deum vagantes, eo quod non habeant cibum?* Coruus eius est naturæ, quod pul-

lorum suorum in ortu candidorum ora hiantia, huc, illucque in nido vagantia, & cibos expetentia respicit, quibus cibum prius non ministrat, donec per pennarum nigredinem proprii coloris similitudinem in eis recognoscat: postquam verò nigrescere eos conspicit, totis suis viribus eos deinceps pascit. Sic interdum Prophetæ sancti à me missi nascuntur pulli, scilicet, discipuli, ad tantam tandem gratiā peruenientes Eliæ exemplo, ut bibant *de torrente voluptatis meae*, quemadmodum & Propheta ille. Sed cum ex infirmitate propriæ naturæ, nondum fuerunt ad gustandum illam suauitatem perducti, huc, illucque vagantes desiderio ad me clamandi, eo, quod desideratos cibos illius internæ dulcedinis nequeant adhuc sumere: etiam iuxta id, quod

Matt. 18. scriptum est, *nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnum cælorum*, debent se tunc per humilitatem adhuc reputare pullos (id est paruulos in bono) & formidare ne augmentum ostendant ex malo: scriptum

Iacob. 3. est enim: *In multis offendimus omnes.* Et tamen ipsi plerumque à peccatis suis memoriam auertunt, & considerare propriam infirmitatem nesciunt, ac per hoc nigredinem, quam assumi oportet, contra mundi nitorem non ostendunt. Tanto autem minus spiritalem illam refectionem interius sumere

mere possunt, quantò exterius per cultum vitæ præsentis quasi magis nitescunt . Coruus igitur in pullis ora hiantia respicit, sed antequam cibum ministrat, corpus indui penarum ingredine in eis quærit. Quia missus à me Propheta priusquam ad absconsam escam voluptatis meæ discipulos perducatur, admonet eos, & expectat, vt (exemplo sui) à nitore vitæ præsentis per humilis lamenta pœnitentiæ nigrescant, & peccatorum priorum nigredinem in se recognoscant. Qui si in confessione vitæ præterita lamenta sui gemitus (velut nigrescentes plumas) ex interioribus proferrant: illico Propheta hiantibus in ore præparatam à me escam ministrat: quia ad gustandum dulcedinem de torrente voluptatis meæ emanantem eos inuitat. Quos tanto ardentius de torrente reficit, quantò verius à mundi nitore eos nigrescere, per humilis lamenta pœnitentiæ, cognoscit. Sed vt cognoscant discipuli se escam, ad quam Propheta eos vocat, à me recipere, cum ratione proponitur sub petitione, *Quis præparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum vagantes, eo quòd non habeant cibos?* subaudis nullus præparat nisi Deus, qui sicut scriptum est, *dat escam pullis coruorum inuocantibus eum.* Tu ergo fili mi, cum ad perfectionem Propheticam, & finem monasticæ vitæ eremiticæ perueneris, & de torrente meæ voluptatis biberis: ne inde de tanta suauitate gustata extollaris, repenti ab ea ad tempus remoueberis propter fragilitatem, & corruptionem tuæ carnis. Caue ergo tunc, ne de perfectionis teo descendas tollere aliquid ex his, quæ renuntiâs abdicasti. Nemo enim *mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Quamobrem, quæ retro sunt obliuiscens, ad ea, quæ sunt priora, extendens te ipsum, per se quere, donec peruenias ad destinationem brauium supernæ vocationis. Non enim qui hæc præscripta incepit, sed, *qui in eis perseverauerit usque in finem, hic saluus erit.* Et propterea vagans, instar pullorum corui, debes ad me incessanter clamando, dicere: *Quæmadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Nam si ad illam dulcedinis meæ prægustatam suauitatem non confestim reduceris, hoc ideo fiet, primò, vt

Iob. 39.

Psal. 146.

Luc. 9.

Phil. 3.

Psal. 41.

fcias

scias, te non ex tuis meritis, sed ex mea gratia ad illam suauitatem prius peruenisse: secundò, vt ardentius eam desideres, & multiplicius desiderando, capacior reddaris ad eã adipiscendam. Ne autem interim à perfectione penitus corruas, *Coruis præcepi, vt pascant te ibi: quia prædecessoribus tuis Prophetis mandauit, vt te doctrina exemplorum humilis pœnitentiæ pascant, qua peccatorum in se nigredinem humiliter recognoscebant, & nitorem vitæ carnalis vitabant. Quapropter, vt interim saturatus esse queas, eorum doctrina auidè pascaris, sicut scriptum est, Sapientiam Antiquorum omnium exquiret sapiens, & in Prophetis vacabit.* Quoniam si eorum exemplo, à nitore vitæ præsentis, per propriæ fragilitatis notitiam, & verè humilitatis modestiã, instar pullorum corui totus nigrescas: per deuotam orationem, ac debitam peccatorum confessionem copiosos lamenti gemitus, (velut nigrescentes plumas) ad Deum proferas: tunc reducet te Deus iterum ad gustandam gratiæ dulcedinem effluentem de torrente voluptatis suæ. Hinc enim scriptum est, *considerate coruos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est necessarium horreum, & Deus pascit illos.* Ecce docui te, quomodo debeas humiliter perseverare in perfectione vitæ eremiticæ.

Cap. IX. Eliam Prophetam per abrenuntiationem diuitiarum, castitatis puritatem, & voluntatis propriæ negationem, ad perfectionem vitæ eremiticæ peruenisse.



*E*lias itaque, audita à Deo præfata lege perueniendi ad propheticã perfectionem, & monasticæ vitæ eremiticæ finem, & perseverandi in eadem, considerauit, quòd non auditores, sed factores legis iustificabuntur: propter quod ex totis suis præcordijs studuit ad dictam perfectionem propheticã, & finem monasticæ vitæ eremiticæ perueni-

peruenire: & legē ad eā perueniēdi, quā à Deo audierat, ope
 re adimplere, sicut de eo ita legimus scriptū in superiori le-
 ctione libri Regnorum: *Abijt ergo Elias, & fecit iuxta ver- 3. Reg. 17.*
bū Dñi: cūque abijisset, sedit in Torrente Carith, qui est contra
Jordanē, corui quoque deferebāt ei panem, & carnes manē: si-
militer panē, & carnes vespere, & bibebat de torrente. Hæc
 autē verba præmissa exponemus, tã historicè, quã mysticè:
 quia utroque modo de Elia verificata fuere. *Abijt ergo Elias.*
 Quo abijt? cōtra Orientē, hoc est, cōtra originalē suę carnis
 cupidinē. Quia enim in carne eius nō in habitabat bonū, ar-
 bitratus est, se esse debitorē nō carni, vt secūdū carnē viueret, quia si
 cut inquit Apostolus, *si secūdū carnē vixeritis, moriemini: si Rom. 5.*
autē spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Ideo Elias
 (vt in spiritu perfectē Deo viueret) *crucifixit carnē suā cum vi- Gal. 5.*
tijs, & concupiscentijs, mortificās mēbra peccati, quæ sunt su-
per terrā, fornicationē, libidinē, immunditiā, & concupiscē-
tiā malā, altiori quodāmodo antecessoribus suis: quoniā, vt
per puritatē castitatis, & incorruptionē suę carnis æquare
tur Angelis ad conuersationis imitationē, seipsum (propter
Deū) virginitate perpetua prim⁹ haminū spōte decorauit.
 Qui semetipsum prorsus abnegās, & volūtati propriæ ab-
 renūtiās, semper superioris (idest Dei) volūtātē prorsus se-
 quutus fuit, quemadmodū de eo scriptū est, *abijt quocūque eū*
ferebat volūtas, scilicet Dei. Sequitur, *& fecit iuxta verbum Dñi.*
 quia scilicet de terra, & de cognatione sua, & de domo patris sui in-
 solitudinē recessit, Deo pro ipso *aliquid melius. tūc providente,*
 vt scilicet à morte eriperetur, & ad perfectionē vitæ mona-
 sticæ traheretur. Quippe populus Israël per Achab Regē
 recēter seductus adorat tūc Baal, tanquā Deū largitorē plu-
 uiarū, & fertilitatū, ceterorūq; tēporaliū bonorū. Non ad-
 uertebat autem populus ille, omnia hæc provenire à verò
 Deo Israël, & nō à Baal, sicut Dñs cōquerit per Prophetā,
 dicēs, *& hæc nesciuit, quia ego dedi ei frumētū, vinū, & oleū, & argē- Ose. 2.*
tū multiplicauit, & aurū, quæ fecerunt Baal. Ob hoc volens Elias
 tunc Regi Achab, & populo Israël ostēdere, illū esse verum
 Deū, quē ipse colebat, & Baal esse falsum Deū, quē Rex (in-
 stigatē Regina) nouiter à populo adorandū introducebat:
 prædi-

prædixit eis in verbo Domini, quod quantumlibet inuocarent Baal, pluuiam eis largiri non posset, neque annis illis ros, aut pluuiæ super terram descenderet, donec pro hoc ipse Elias Deum Israël peroraret. Et quia propter carentiam pluuiæ sequuta fuit tunc fames vehemens in Regno Samariæ: ideo quærebat eum Rex interficere. Sed Elias prius, quàm à Rege quæreretur, fecit iuxta verbum Domini: quoniam, ne à Rege inueniretur, recessit nutu Dei de terra, & de cognatione sua, & de domo patris sui in solitudinem, relinquens de cætero mundanas diuitias, non solùm mente, sed etiam opere: ne per domesticam curam, aut per facultates, & terrenas possessiones impediretur à consequutione perfectionis vitæ monasticæ, ad quàm tunc vocabatur ipse a Deo.

Cumque abiisset, sedit in torrente Carith, qui est cõtra Iordanem: quia, scilicet, squalorem eremi ex tunc Elias cum silentio æquanimiter sustinens, monachalem vitam eremiticam primus hominũ ex proposito seruare studuit: quàm bene, secũdũ etymologiam nominis, in solitudine torrentis Carith inchoauit: interpretatur enim Carith, diuisio, vt etiam nomen loci, in quo sedit, indicaret, eum esse diuissum à consortio, & vita sæculariũ hominũ. Sedit itaque solitarius in torrente Carith, *deducens quasi torrentem lachrymas per diem, & noctem:* vt sic esset contra Iordanem, (idest contra peccatorum descensionem) quatenus ex suæ vitæ conuersatione innotesceret: quam rectè à proposito primus hominum officium monachi ipse tunc inchoaret. Monachus enim verè deinceps ipse fuit: quia singularis, siue solus, & tristis sedit, peccataque sua, & aliorum solitarius vberimè luxit.

Cumque abiisset Elias contra Iordanem (idest contra originalem suæ carnis cupidinem, sedit *in torrente Carith, qui est contra Iordanem:* quia in Carith, (idest in Dei charitate) eum diuidente à Iordane (idest à peccatorum descensione) extunc semper stetit sicut ipse ait, *Viuit Dominus exercituum ante cuius conspectum sto.* Iure autem merebatur ipse antecelsitudinem diuinæ maiestatis stare, quia in tanto culmine perfectionis extiterat. Licet namque Saluator dixerit.

Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista: Eliam

Ibren. 2.

3. Reg. 17.

Matth. 23.

Eliam tamen esse æqualem Ioanni, Angelus Gabriel euidēter testabatur, dum Zachariam affatus, Ioannem *in spiritus & virtute Eliæ* præire Christum assensit. Cuius Eliæ cor, vt in deserto ex feruenti charitate intra se concaleret, & in meditatione sua ignis diuini amoris exardesceret, gustabat frequēter ineffabilē Dei gloriā, & sedebat (idest quiescebat) in torrente voluptatis diuinæ, quo Deus potat diligētes se, dicente Propheta, *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Sed quamuis satageret tunc Elias in contemplatione tā ineffabiliū diuitiarū, siue deliciarū, assidue quiescere: oppressus tamen corruptibili corpore nequibat in eis diutissimē permanere. Qui ad se ipsum reuersus modò lætabatur in corde tacite ex recordatione suauitatis gustatæ, modo verò gemebat validdē ex desiderio, & fame gustādi suauitatē dulcedinis tā iucundæ. Sequit̄, *corui quoq; deferebāt ei panē, & carnes manē similiter panem, & carnes vesperi,* quibus cibis Elias exinanitum corpus in deserto reficiebat: tantum ne deficeret. Nec dubiū, quin Deus panē, & carnes illi ministrabat, per coruos ei deferendo. Sic enim, antequam iret ad torrentē Carith, prædixit ei Deus, *Coruis præcepi, vt pascant te ibi.* Propter quod Elias, dū in Carith existeret, confidens in Dño, escā suā in manu Dei cōmittebat, cui cura erat de eo. Illa autē omnia ad vitā necessaria adiciebat ei Deus: quia ipse *primū quærebat Regnū Dei, & iustitiā eius.* Mysticē vero Prophetæ prædecessores eius (dicti corui ratione superiori) deferebāt ei panē doloris, & poenitentiae, & carnes humilitatis vere, *manē*, idest, quando ipse ex recordatione suauitatis gustare lætabatur: *similiter & vesperi*, dū, scilicet, de absentia illius suauitatis gustatæ tristabatur. Quippe, ne de ineffabili iucunditate sibi subtracta ipse ex tristitia dissolueretur: *corui deferebant ei panem*, de quo scriptū, est *cibabis nos pane lachrymarū.* Nam sancti Prophetæ (exemplis suis illi in diuinis scripturis relictis) reducebāt ei ad memoriā nigredinem suorum peccatorum, ex quorū consideratione satiabatur pane lachrymarū, & doloris: propter quod humiliter reputabat se indignū bibere illā ineffabilē suauitatē, quam non ex suis meritis, sed ex Dei gratia considerabat, se prius gustasse. Similiter, ne in lætitia ex recordatione suauitatis gustatæ ipse per inanē gloriā extolleretur

Isai. 4.

Psal. 41.

Eccles. 15.
Psal. 41.

retur: *corni deferebant ei carnes, quia sancti Prophetæ suis exemplis ad memoriam ei reducebant suæ carnis fragilitatem, & corruptiones, quæ auferrebant ab eo illas delicias tam suaves: cuius fragilitatis passus agnitione, humilis manebat in se, cernens, quod Omnis caro fenum, & omnis gloria eius, tanquam flos agri.* Tam igitur ex fragilis carnis consideratione, quæ ex peccatorum suorum recordatione, fuerunt ei lachrymæ suæ panes die, ac nocte, dum *Corni* (idest Prophetæ) dicebant ei quotidie, ubi est Deus tuus? Hæc vero dicentibus Prophetis, recordatus scilicet, quod ex peccatorum nigredine, & ex propriæ carnis fragilitate remouebatur ipse ab illa arcana Dei participatione, effundebat in se *animam suam*: quia per deuotam orationem, & humilem peccatorum confessionem copiosos lamenti gemitus ad Deum proferebat. Et bibebat de torrente, idest, de aqua torrentis, abstrahens à vino carnem suam, ut animum suum transferret ad illam salutarem sapientiæ aquam, de qua dicitur, *aqua sapientiæ salutaris potabit illum Dominus, à cuius ybertate inebriabatur, & torrente voluptatis eius potabatur.* Rursum in spiritu raptus transibat Elias in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. Hoc itaque prædicto modo prophetalem vitam monasticam ducebat Elias in eremo.

Cap. X. Eliam in torrente Charith cepisse suos discipulos, nempe, filios Prophetarum, ad vitam monasticam erudire, & quare appellati sint Prophetæ.



Enique Elias in monastica vita eremitica, quam primus hominū à proposito inchoauerat, successores post se in perpetuum relinquere disposuit. Qui, ut pater primus Monachorum fieret, in suos discipulos elegit quosdam viros, qui idcirco ad ipsum in solitudine torrentis Charith tunc latentē confugiebant, ne per Regē Achab, & Reginā Iezabel cogērētur, sicut & cæteri

teri populares, adorare Baal. Viri quippe isti timore Dei repleti, cernentes, Eliam ita verbo Domini tunc continere cœlum, quod pluuiam nō dabat super terram, ad eū, tanquam ad Dei cultorem, accedebant occultè in solitudine Carith, vt sub eius doctrina in cultu veri Dei persistere possent, & idolatriam vitarent. Hos itaque Deo deuotos viros Elias secundū formā à Deo ei traditam habuit suæ monasticæ vitæ primos discipulos, & imitatores veros, quos etiā docuit prophetare, id est, ad laudem Dei Cantica, Hymnos, & Psalmos cū instrumentis musicis cantare. Considerauit enim, quod *bonum est confiteri Domino, & psallere nomini eius altissimo, ad annuntiandam manè misericordiam suam, & per noctem veritatem suam, indecachordo Psalterio cum cantico in cythara.* Sapiens ergo his omnibus Eliam cominēdans, siue in eius laudem ait. *Prophetas facis successores post te.* Hæc autem sapientis verba quidā in cortice considerantes, adhunc sensum interpretari conati sunt: vt, quia Eliæ prædixit Deus, *Eliseum vnges post te:* ideo æstimarent, sapientem consequenter sancto Eliæ dixisse, *Prophetas facis successores post te:* quasi ex hoc licuerit Eliæ suos successores facere Prophetas (id est futura prænuntiantes:) quia Deus ei dixit, *Eliseum vnges Prophetam post te.* Sed an hic sensus intētionis sapientis cōueniat, satis patet. Ait enim Apostolus Petrus, *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia sed Spiritu sancto loquenti sunt sancti Dei homines.* Quomodo ergo Elias faceret Prophetas (id est futura prædicentes,) qui non à voluntate humana, sed a solo Spiritu sancto efficiūtur? quemadmodū Apostolus Paulus testatur dicēs, *Alij datur operatio virtutū, alij prophetia, alij discretio spiritūū.* Hæc autē omnia operatur vnus, atq; idē spiritus, diuidēs singulis prout vult. Non ergo est putandū, quod Elias tales Prophetas fecerit, quos solus Spiritus sanctus cōstituerit. Quapropter præmissum sensum, vt ab intentione sapientis deuium, relinquentes, ad mentem sapientis indicandam properamus. Scimus quidem, in diuinis scripturis non solum appellari Prophetas illos, qui futura præuident, & prænūntiant: sed etiā illos, qui ad hoc officium sunt instituti, vt scilicet cum instrumentis musicis deuotè Deum laudent, & ei psallant. Quid enim aliud est, quod in libro Paralipomenon sic legitur? 2. Paral. 35

Porro cantatores, filij Asaph stabant in ordine suo iuxta præceptum David. & Asaph, & Eman, & Ydithum Prophetarum David. Hoc quippe in loco Asaph, & Eman, & Ydithum ideo dicti sunt Prophetæ dauid: quia per eum erant instituti cantores ad psallendum Deo cum instrumentis musicis, quemadmodum alibi in eodem libro sic scribitur, *David & magistratus exercitus segregauerunt in ministerium filios Asaph & Emã, & Ydithũ qui prophetarēt cū cytharis, psalterijs, & cymbalis secundũ numerũ suum dedicato sibi officio seruientes: & post pauca, Ydithũ in cythara prophetabat super omnes cõfidentes, & laudantes Deũ* Filij igitur Asaph, Eman, & Ydithũ hoc in loco dicti sunt Prophetæ, non ideo, quia futura tũc præuiderēt, vel prænũtiarēt: sed quia Deũ laudabant, & cū instrumentis musicis ei psallebãt, sicut paulo post, ibidẽ scribitur, *uniuersi sub manu patris sui ad cãtãdũ in tẽplo Dñi distributi erant in Cymbalis, & Psalterijs, in ministerio domus Domini, iuxta Regẽ Asaph, & Eman, & Ydithũ.* Quãobrem, dũ sapiens S. Elię dicit, *Prophetas facis successores post te: nō ideo hoc dixit, vt spiritũ præuidendi, vel prænũtiãdi futura cõferret: sed ideo poti⁹, quia Elias monachos successores post se instituit, non tantũ ad vitã monasticam obseruandam secundũ formã à Deo sibi traditam: sed etiam ad hoc seruitiũ, vt prophetarēt, hoc est, vt in Psalmis, & cãticis deuotẽ Deo psallrēt, & vt Deũ non solũ corde, & ore, sed etiã cum instrumentis musicis laudarent.* Et propterea appellati sunt Prophetæ (idest psallẽtes) & eorũ vita dicta est prophetica, idest, ad Psalmos: cū instrumentis musicis Dño canẽdos dedicata. Et quia in Psalmis taliter Dño canẽdis, & obseruãda vita monastica, secundũ formã per Deũ traditã Eliã, obtẽperabant ipsi, prompto corde, illi S. Prophetæ: meruerunt ob hoc benedici à sapiẽte, dicẽte eorũ Patri Eliã. *Beati sunt qui te viderũt, & in amicitia tua decorati sunt.* Hi quidẽ illi sunt Prophetæ Dñi, quos liber Regnorũ meminit cõtũ fuisse à nece per Abdiã præseruatos, cū Regina Iezabel ceteros eorũ interficeret. Quos diuina scriptura illic appellat Prophetas Dñi, nō quia tũc futura præuiderēt, vel prænũtiarēt, sed

2. Par. 25.

Eccles. 48.

sed quia (vt prædiximus) cum instrumentis musicis Psalmos, Cantica, & Hymnos Deo deuote psallebant. Quod ex his tibi perspicuum fiet. Legimus enim in libro Regnorum, quod, cum Eliæ indicasset Abdias, se inspeluncis abscondisse, & seruassee centum ex dictis Domini Prophetis, Elias mox in monte Carmeli populo dixit Israelitico, *Ego Propheta Domini solus remansi.* Sed cum Elias tunc non ignoraret, centum ex his Prophetis Domini per Abdiam fuisse à nece præseruatos: quomodo salua à mēdacio conscientia poterat vir Dei populo dicere, *Ego remansi Propheta Domini solus?* Absit autem vel suspicari, quod mentiretur tantus Propheta, cuius verbum, teste sapiente, *ardebat quasi facula*, vel arbitrari, quod ignoraret tunc alios Prophetas Domini præter se viuere. Quomodo enim hos viuere ignoraret Elias, qui nec numerum Prophetarum Baal ignorabat, quos, tunc reuelauit, quadringentos quinquaginta, & Prophetas Luccorum quadringentos esse? Nonne etiam per Abdiam recēter certificatus erat, quod Domini Prophetas centum Abdias ipse inspeluncis absconderat, & à morte præseruaauerat? Cum ergo hos Prophetas Domini viuere Elias non ignoraret: quomodo populo verum loquebatur dicens, *Ego Propheta Dñi remansi solus:* nisi ideo verū diceret, quia sciebat, quod nullus, præter eū, erat tunc in Regno Israel Propheta Dñi talis, qui futura prænosceret per spiritū Dñi, vel nobis prænūtiaret: quāuis, eo sciēte, essent tūc in Israel hi Prophetæ Dñi, quos Abdias in speluncis abscondēs, à morte præseruaauerat? Sed quia isti viri Prophetæ in sacra scriptura sunt appellati, eo quod deuotē eū instrumentis musicis Deo canebāt, nō autē quod vētura tūc præuiderēt, vel prænūtiarēt, sicut solus Elias in Regno Israel tūc per spiritū Dñi futura præuidebat, & prænūtiabat: propterea adhūc sensum, verē, & à sua mēte mēdacio propulsato, Elias dixit tūc populo, *Ego remāsi Propheta Dñi solus.* Nullus quippe, præter eū Propheta prænoscerēs per Dñi spiritū futura in Regno Israel tūc remāserat: qm̄ filij Israel eos omnes occiderāt, quemadmodū Elias post modū fugiēs inspeluncā mōtis Oreb, propter metū Reginæ lezabel volētis etiā eū occidere, conquerēs d̄ nece dictorū Prophetarū, Dño dixit, *Dereliquerūt pactū*

3. Reg. 18.

Eccles. 48.

3. Reg. 18.

3. Reg. 19.

Domini filij Israel, altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & relictus sum ego solus.

Cap. XI. Quo tempore Elias in monte Carmeli prima professionis monastica fundamenta iecerit, & quare eius discipuli fuerint filij Prophetarum nuncupati.



Vin autem de spelunca montis Oreb, in qua aliquandiu manserat, fuisse Elias iussu Dei reuersus in terrā Israel, ipse, collectis in vnū discipulis suis in monte Carmeli, protinus studuit secundū formā à Deo sibi traditam denuo inducere eos ad obseruandam vitam monasticam: quos etiā sollicitè docuit disciplinā propheticam, ordinans, vt deuotè in psalterio, in cythara, & in cymbalis iubilationis Deum laudarent. Cui officio prius nō poterant perfectè intendere, propter graues persecutiones, quas passi fuerāt à Rege Achab, & præcipuè a Iezabel vxore eius. Sedatis autē per Deū persecutionibus illis, ex tūc, quosdā horum monachorū excellentes viros, cæteris perfectius cū instrumentis musicis Deo in Psalmis deuotè iubilantes, cōstituit Deus Prophetas, qui scilicet, sicut Elias, prophetarent. Per hūc quippe Psalmorū iubilū aperiebant ita deuotè Dño penetralia mentiū, vt frequēter in eorū corda immitteret Deus prophetiæ spiritū. Propter quod, dū de occultis certificari à Dño volebant, adhuc Psalmorū iubilū deuotissimè recurrebant. Hinc in libro Regnorū legimus, quod Elifeus in hac disciplina eruditus, cum per Regē Iosaphat esset quadā vice de futuris cōsultus, & deesset sibi tūc prophetiæ spiritus, Psalteriū ad se adfert, fecit, in cuius cātū cor deuotè Dño aperiēs, prophetiæ spiritum de quaesitis à Deo accepit. Diuina itaque disponēte sapiētia, ex tūc factū fuit, quòd Elias, multiplicatis illis monachis per eū institutis, quosdā ex eis excellētes Prophetas, qui futura præuide-

bant,

bant, assumpsit ad hoc officiū, vt scilicet cū eo, & post eū dīctos monachos solicitē in vita monastica, secūdū formā ei traditā à Deo, erudirent: vt in disciplina prophetica, & in Psalmis Psalterio canendis eos instituerēt: & ita diligentem curam eorū gererēt, ac si filij eorū essent. Et propterea hi Monachi, qui prius (vt prædixi) vocabantur Prophetæ, fuerūt post modū appellati filij Prophetarū: quia dictorū excellētū Prophetarū huius religionis erāt discipuli, & in prophetica, ac in monastica disciplina sub regimine ipsorū, tanquā patrū suorū Prophetarū. Et sub hoc titulo, quo dicebantur filij Prophetarū, fit sæpe in libro Regnorū de his monachis mentio.

Cap. XII. De discipulis Elia, & primò de Iona Propheta.



Gitur, cū eorum Religio esset iā tēpore Elię ita multiplicata, quòd tam in eremis, quā in ciuitatū suburbijis erant plures eorū cunei: necesse fuit, vt (præter Eliā) quidā ex eis excellētes Prophetæ, discipuli Elię, eos regerēt, & gubernarēt: quos monachi prædicti vocabant patres suos: & ipsi dicebantur filij Prophetarū. Horum autē Prophetarum, Elię discipulorū, non quidē omniū, sed paucorū (videlicet quatuor ex præcipuis) decet hic aliqua succinctē narrare. Inter hos Prophetas, Elię discipulos, primus ordine tēporis ad vitā monasticam per Eliam vocatus, fuit sanctus Ionas, de regione Geth, quæ est in Ofir, filius illius mulieris viduæ, cui ligna colligenti, in Sarepta Sydoniorum Elias obuiauit, & in cuius domo latuit, dū Rex Achab per omnes gētes, & Regna, eū ad mortē perquiri fecit. Hunc Ionā puerū Elias tunc resuscitauit à mortuis: eum sustentaretur in domo matris illius. Quem ob hoc mater ex deuotione tradidit Elię erudiendū in disciplina prophetica vitæ monasticæ, & factus Elię discipul⁹ ministravit ei. Cū autē oraret Deū Elias, p̄ pluuiam in mōte Carmeli, misit semel hūc Ionā puerū, vt d̄ mōte p̄spiceret, si aliquid in mari appareret. Qui cū cōtēplaretur ait, *Nō est quicquā. Et rursū*

dicit ei Elias, reuertere septem vicibus: & in vna vice vidit Ionas nubem paruum quasi vestigium hominis ascendentem de Mari. Quod cum Elia renuntiaisset, agnouit Elias, pluuiam grandem tunc descensuram super terram. Quam pluuiam venturam Ionas per Eliam missus Regi Achab eam desideranti indicauit. Post raptum verò Elia in cœlum, Ionas ab Eliseo in Ramoth Galaad missus, vnxit Iehu in Regem Israel, ad vltiscendum necem Propretarum Elia discipulorum. Demum monitus à Deo Ionas, vt in Niniuem pergens prædicaret, eam intra quadraginta dies subuertendam: vidit, sancto spiritu reuelante, Niniuitas per suam prædicationem conuertendos ad poenitentiam: & consequuturos Dei misericordiam. Ideo ne falsa videretur eis renuntiare, renuebat illuc ire, donec in mare proiectus, & à bellua marina deuoratus, post triduum à pisce in terram euomitur. Qui, sancto reuelante spiritu, sciens conuersionem gentium fore ruinam Hebræorum, prædicans Niniuitis, ideo de eorum conuersione dolebat: quia hac occasione suum populum Israel ruiturum timebat. Sed Dominus ostendens ei, tempus nouissimæ ruinæ populi Israel nondum venisse, iussit eum ad terram Israel redire, & prophetare, terminos Israel ab introitu Emath, vsque ad Mare solitudinis, restituendos per Ieroboam Regem Israel.

Cap. XIII. De vocatione Prophetæ Elisei, præcipui Elia discipuli.



3. Reg. 19.

Eliseus Prophetæ, & supremus Elia discipulus fuit sanctus Eliseus, ex patre vocato Saphat, de vrbe Abelmeula sita in regione Zelmaan. Hic, sicut in libro Regnorum legitur, dum de spelunca montis Oreb reuerteretur Elias in terram Israel, inueniens hunc Eliseum arantem in agro, misit super eum pallium suum, & ita elegit eum in discipulum. Qui, post impositionem pallij, par boum mactans conuiuium populo fecit, & inde relictis patre, & matre, & terrenis omnibus, Eliam sequens, & ei ministrans, monasticam, & Prophetalem vitam imitatus est.

Hoc

Hoc sancto Eliseo nascente, magnum contigit prodigiū. Vnum quippe idolū ex vitulis aureis, quos filij Israel adorabant, in ortu Elisei acutè mugiuit. Quod cum sacerdos Domini in Hierusalem audisset, diuino nutu ait, Propheta natus est in Israel, qui sculptilia Deorum destruet, & fili-
lia. Sanctus verò Eliseus, postquam discipulus Eliæ fuit factus, Spiritum prophetiæ à Deo accepit, per quem spiritum indicabat Regi Israel omnes insidias, quas contra eum Rex Syriæ parabat. Quadam autem vice exercitum Regis Syriæ percussit cæcitate, & adduxit ad Regem Israel in ciuitatem Samariæ. Hanc quoque ciuitatem obsessam à Rege Syriæ, & oppressam fame releuauit Eliseus à fame, & obsidione. Denique per signa, & prodigia, quæ incessanter operabatur, reuocabat populum Israel ad veri Dei cultum, destruēs miraculis, & prædicatione cultum falsorum Deorū. Quod perspicuè tunc monstrauit, cum vnum ex religiosis filijs Prophetarum (scilicet Ionam) in Ramoth Galaad misit, vt vngeret Iehu in Regem Israel. Qui mox, vt fuit in Regem vnctus, iussu Elisei omnes Prophetas Baal occidifecit, & statuam de Fano Baal, proferens combussit, ædèquè destruēs, de Israel deleuit Baal. Mortuus autem Eliseus, sepultus fuit iuxta sepulchrum Abdiæ Prophetæ in ciuitate Samariæ. In cuius sepulchro cum quidam posuissent cadauer vnus hominis mortui: ille homo reuixit mox vt tetigit ossa Elisei.

4. Reg. 6.

4. Reg. 10.

4. Reg. 13.

Cap. XIII. De Michæa Propheta discipulo Eliæ.



Michæas quoque Propheta, ex patre vocato Hyempsa, fuit Eliæ discipulū. Sed iste non est ille Michæas Morastites, qui temporibus Ionathan, Achaz, & Ezechie Regum Iudæ, prophetauit, & in numero duodecim Prophetarum ponitur: quoniā iste Michæas Eliæ discipulus longè antea prophetauerat, scilicet, in diebus Achab, Ochoziæ, & Ioram Regum Israel.

3. Reg. 22.

Hic adhæsit Eliæ, cum Elias de spelunca montis Oreb fuisset iussu Dei reuersus ad terram Israel. Et eruditus Michæas iste per Eliam in disciplina prophetica monasticæ vitæ, cū esset ipse ex filijs Prophetarum, tandem accepit à Deo spiritum prophetiæ. In quo spiritu prædixit Regi Achab duplicem belli victoriam, quam reportauit Achab de Benadab Rege Syriæ. Sed quia Achab in secunda victoria Regem Syriæ Benadab morte dignum, quem ceperat permisit abire illæsum: ideo Michæas Regi Achab in spiritu Domini dixit, *Hæc dicit Dominus, quia dimisisti virum dignum morte de manu tua: erit anima tua pro anima eius: quod ei euenit.* Nam dum ascendisset Achab cum Iosaphat Rege Syriæ, vnus de parte Benadab tetendit arcum, in certum sagittam dirigens, & casu percussit Regem Achab inter pulmonem, & stomachum, ex quo vulnere eadem die Achab vespere obiit, iuxta verbum, quod loquutus ei fuerat Michæas, dicens, *Audi sermonem Domini. Vidi Dominum super solium suum sedentem, & omnem exercitum coeli assistentem ei à dextris, & à sinistris. & ait Dñs. Quis decipiet Achab Regem Israel, vt ascendat, & cadat in Ramoth Galaad? Et dicit vnus à sinistris verba huiusmodi, & alius aliter. Egressus est autem spiritus, & stetit coram Domino, & ait. Ego decipiã illum, Cui locutus est Dñs. In quo? Et ille ait, Ego egrediar, & ero mendax in ore omniũ Prophetarũ eius. Et dicit Dominus. Decipies, & praualebis.* Postea, cum regnaret Ioram filius huius Achab, redarguebat eum Michæas de cultura Idolorum: quem Rex Ioram præcipitio interemit. Et ita martyrio coronatus sepultus est in Morasti solus iuxta sepulturam Senachim.

Cap. XV. De Abdia Propheta discipulo Eliæ.

3. Reg. 18.



Alter verò Propheta discipulus Eliæ, fuit beatus Abdias, de terra Sichem, ortus in agro Bechataran, qui, vt in libro Regnorum legitur, tenuit ab infantia sua valde Dominũ. Et prius quidem

quidē Abdias dispensator Regis Achab existens, cum Regina Iezabel interficeret Prophetas Domini, tulit ipse, sicut prædiximus, centum ex illis Prophetis Eliæ discipulis: quos durante illa persecutione, quinquagenos in speluncis abscondens, pane, & aqua pavit. Deinde, mortuo Achab Rege: cum filius eius Ochozias Rex principes duos quinquagenarios ad Eliam misisset, qui, orante Elia, fuerūt cum suis ab igne de caelo descendente cōbusti: rursus misit Rex Abdiam cum quinquaginta viris. Qui in monte Carmeli coram Elia genua flectens, pro anima sua, & pro animabus suorum quinquaginta Eliam humiliter exoravit. Porrò Elias cernens Abdiæ humilitatem, & recolens, quod centū suis discipulis vitam restaurauerat, vicissitudinem ei rependit, quoniam sibi, & suis quinquaginta vitam clementer seruauit. Hanc igitur gratiam ab Elia obtentam Abdias recognoscens, relicto obsequio Regis Ochoziæ, factus fuit discipulus Eliæ, dimissis filijs Prophetis in domo sua cum vxore. Igitur, quia centum Prophetas Eliæ discipulos pauerat, accepit & ipse à Deo spiritum prophetiæ: in quo spiritu præuidit, Idumæos adiuturos exercitum Assyriorum contra Hebræos: propter quod prophetauit, dictos Idumæos tandem per exercitum Nabuchodonosor dissipandos.

Cap. XVI. Eliam tam factis, quam verbis, exemplar monastica vite se discipulis suis præbuisse: ab ipsoque omnem monasticam perfectionem dimississe.



Quoniam autem, qui alijs se ipsum præbet exemplar viuendi monasticè, necesse habet, vt vitam suam ita rectè intra se componat, ne cæteros per malam exemplum offendat, dicente dño, *Vt homini illi, per quē scā dalū venit: propterea vir Dei Elias sic vitam suam*

Matth. 18.

Tit. 2.

suam in se disposuit : quod ab omni offendiculo se terfit. Sed quia non sufficit magistro monasticæ vitæ propheticæ, vt studeat conscientiam habere sine offendiculo ad Deū, & ad homines, ni suo exemplo ad bonum prouocet cōsortes, dicente Apostolo, *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorū operum*: ideo Elias, vt suo exemplo animos omnium prædictorum monacherum eius discipulorum prouocaret ad suæ religionis exercitiū, studuit, secundum formam per Deum sibi traditam, pollere coram eis frugalitate paupertatis, vti abstinentia parsimonix, domare concupiscentias carnis, ni tere candore castitatis, abnegare libertatem voluntatis, vitare tumultum plebis, & ardere seruore charitatis. Et quia in eius imitatione, decreuit Deus, consistere huius Religionis prophetica perfectionem : propterea Elias ipse magna propheticæ disciplinx, & monasticæ vitæ exemplaria (scilicet gesta sua, & merita) demonstraui cordibus professorum huius Religionis, per quæ ipsi ornarent penetralia mētis: vt ad rationem eius, sæculo, ac terrenis omnibus ex totis præcordijs renuntiantes, & carnales concupiscentias per continentiam, & abstinentiam crucifigentes, voluntatemque propriam abnegantes, & eam superiori humiliter committentes, à conspectu etiam hominum absconsi, prophetalem vitam eremiticam, quam Elias ipse vixerat in solitudinibus (& maximè in monte Carmeli) monachi prædicti in eodem monte Carmeli, & in alijs eremis, ac locis ad hunc finem continuarent: quatenus eam accolentes, liberius etiam mentes suas cum Deo per amorem perfectè vni-
rent. Qui dum per legem disciplinx propheticæ, & vitæ monasticæ, ab Elia eis traditam pergunt, & ardenti amore dogmata Eliæ, tam ore cordis, quam exequutione operis audiunt : proculdubio de animarum suarum salute securi sunt: quemadmodum testatur sapiens sanctum Eliam ita alloquens, *Beati sunt qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt*. Quic quid igitur perfectionis est in hac vestra religione eremitica, ab hoc Propheta Dei Elia, tanquam à primordiali, & principe Monachorum authore, exemplariter emanauit: & primò quidem in præmemoratos viros filios Prophetarum eius discipulos: deinde ab illis in cæteros nostræ
Religio.

Eccles. 48.

Religionis professores, ei tam in monastica eorum conuersatione, quam in locorum habitatione, succedentes: & demum ab his in reliquos alibi degentes. Sed & omnium monachorum conuersatio sancta ab Elia, & dictis eius discipulis, filijs Prophetarum, est deriuata: quamuis etiam in diuersis mundi partibus, post Eliam, surrexerint in lege noua diuersi Monachorum principes, qui conati sunt, secundum diuersa statuta, siue instituta specialia, suos discipulos principa iter perducere ad illum finem, & per illos gradus, per quos Elias ad finem, & perfectionem vitæ monasticæ, secundum formam per Deum ei traditam, suos discipulos perduxit. Propter quod prædicti monachorum principes in sana doctrina vitæ monasticæ fuerunt velut quidam particulares riuuli ab Elia, tanquam à primordiali, & vniuersali omnium riuulorum fonte, deriuati.

*Cap. XVII. Redditur ratio, cur monachi
Elia successores, dicantur Carmeli-
ta potius, quam Ca-
ritha.*



Ntereà sciscitaris (dilecte Caprasii) qua ratione monachi in religiosa disciplina conuersantes appellantur Carmelitæ? Cum nãque Elia conuersationem hanc, non in Carmelo, sed Carith iussu Dei inchoauerit: videtur nonnullis, (vt asseris) quod deberent potius Carithæ appellari, quam Carmelitæ. Verum, si diligenter aduertas, perpêdes, Deū voluisse, quod Elias conuersationem, quam acceperat ab eo obseruandam, ideo insolitudine Carith inciperet, & ibi ad tēpus à facie Regis Achab, & Reginae Iezabel lateret. vt ad eum haberent facilem (licet occultum) accessum quidam viri timorati, quorum ipse in vita monastica pater fieret. Tunc enim (vt iam prædiximus) viri quidam Deum timentes confugerunt illuc ad
Eliam

Eliam, ne per Achab, vel Iezabel cōpellerentur, sicut cæteri populares, adorare Baal. Hi pauco tempore in Carith cum Elia monasticè conuersantes, didicerunt ab eo illius loci significationem mysticam, conuersationi monachali necessariam, quam supra exposuimus. Deus autè non iussit, quod Elias inchoaret hanc conuersationem monasticam in Carith, vt illic eam plātaret, hoc est, vt diuturnam mansionem ipse, vel eius discipuli in loco illo facerent: quoniam locus ille erat ineptus habitationi monasticæ propter carentiam aquæ. Vnde post dies aliquantos, quibus Elias sedit in eo, iussu diuino ab eo discessit: quia torrens siccatus fuit. In diebus autem illis Elias, propter Regis Achab, & Reginæ Iezabel idolatriam, & alia eorum, ac populi peccata, ita continebat virtute diuina cœlum, quod nec rorem, nec pluuiam dabat super terram, sed erat fames vehemens in Samaria. De qua fame, indignata valde cōtra Eliam Regina Iezabel, procurauit, vt Rex Achab faceret ad mortem perquiri cū per omnes gentes, & regna. Propter quod Elias in nulla eremo poterat tunc secure prophetalem vitam monasticam assidue colere: sed vagus, & profugus eam excolebat, modo in eremo torrentis Carith, modo in domo mulieris viduæ Sareptanæ, modo autem in deserto Bersabee, modo verò in spelunca montis Oreb. Quem cum non reperirent, effudit Regina Iezabel vltionem famis in eius discipulos, interficiens aliquantos, quos deprehendit ex Prophetis Domini. Quos alia, atque alia ratione vsque ad mortem persequebatur: quia, cū ipsa esset idolatra, moliebatur cultum Baal per totum Regnum Israel extendere, & cultum veri Dei de Israel delere. Ad quem iugiter restaurandum, Elias nouiter instituerat (vt prædictum est) Religionem horum Prophetarum Deo psallentium. Qui in eremis latitantes, in nulla solitudine Regni Israel audebant tunc iugem moram trahere, propter metū Regis Achab, & prædictæ Iezabelis vxoris eius. Sed, sicut ait Apostolus, *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & in speluncis, & cauernis terræ.* Quamobrem, cum tunc in Carith,

Heb. 11.

rith, vel alibi iugiter non manserint: non potuerunt à Carith dici Carithæ, neque ab alio loco denominari congrua: quoniam propter persequutionem, quam patiebantur, nullius loci fuerunt tunc incolæ, qui, teste Apostolo, compelliebantur hinc, & inde vagari, ac fugere.

Cap. XVIII. Dominus apparet Elia in monte Oreb, & præcipit, ut reuertatur in terram Israel.



Denique compatiens Deus tribulationi eorum, & finem debitum eis imponere volens, apparuit Eliæ manenti in spelunca montis Oreb, & dixit ei, *Quid hic agis Elia?* quasi redarguens ipsum, eo, quod non manebat in Regno Israel. Elias autem de hoc se excusans,

respondit Domino, *Zelo zelatus sum pro Domino. Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel, altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio.* Sicut autem ait sapiens, *Audiuit tunc Elias in Oreb iudicia defensionis.* Quoniam Dominus ostendit tunc illi in visione mirabilia iudicia, quibus se, & suos cultores defendere decreuerat de omnibus illis, qui de Regno Israel cultum veri Dei abiecerant, & suos Prophetas occiderant, & ibi introduxerant cultum Bael, quorum quosdam per Azahalem, alios per Iehu, nonnullos verò per Eliseum occideret, & de Regno Israel extirparet. Ad Eliæ quoque consolationem, reuelavit tunc illi Deus, adhuc in Regno Israel plures eius discipulos veri Dei cultores remansisse, qui pactum Dei non reliquerant, quos cum illo ab inimicis eorum defenderet, & deinceps in Regno Israel in tranquillitate pacis seruaret. Vnde dicit ei, *Egre- dere, & sta in monte coram Domino: qui egressus stetit in ostio spelun- cæ, & ecce spiritus grandis, & fortis subuertens montes, & conterens petras transijt ante Dominum; non in spiritu Dominus. Et post spiritum commotio: non in commotione Dominus. Et post commotionem ignis:*

4. Reg. 19.
Eccles. 48.

3. Reg. 19.

4. Reg. 8.

nō igne Dominus. Et post ignem, sibilus auræ tenuis: ibi Dominus. Spiritus quippe grandis, & fortis transiens præterdit, Azahalem, quem Deus in prædicta visione ostendit Eliæ, transiturum per Regnum Israel, subuertēdo montes (idest maiores) & conterēdo petras (idest fortes populos Israel.) Hinc Azahel interpretatur *fortitudo Dei*: quia per eum voluit Deus subuertere maiores, & cōterere fortiores populi Israel, qui ab eius cultu recesserant, quemadmodum Elieus Propheta Azaheli prædixit: *Ostendit mihi Dominus, te Regē Syriæ fore, & scio quæ facturus es filijs Israel mala: ciuitates eorum munitas igne succendens, iuuenes eorum interficies, gladio, paruulos eorum elides, & prægnantes diuides.* Hæc autē, omnia testatur liber Regnorū manifeste, per Azahelē postea in populo Israel completa fuisse: & quidem iuste. Nam sequitur, *Non in spiritu Dominus*: quia in populo, qui spiritu Azahelis fuit punitus, non erat Dominus, quem per idolatriam abiecerant. Commotio verò trāssiens præmōstrauit, Iehu, quem Deus in prædicta visione ostendit Eliæ, transiturum per Regnum Israel, commouēdo inde domū Achab. Hinc Iehu interpretatur commotio: quia per eum commouit Deus de Regno Israel domum Achab, qui cultum Baal in Regno Israel introduxerat, & cultum veri Dei abiecerat, & Prophetas Dei occiderat: quemadmodum Ionas Propheta ipsi Iehu prædixit, dicens, *Hæc Dominus Deus Israel vixi te in Regem super populum Dei Israel, & percussis domum Achab domini tui, & vlciscar sanguinem seruorum meorum Prophetarum, & sanguinem omnium seruorum Domini de manu Iezabel, Iezabel quoque comedent canes in agro nec erit qui sepeliat eam.* Hæc autem omnia, testatur liber Regnorum perspicue, per Iehu in domo Achab postea completa fuisse: & quidem iuste. Nam sequitur, *Non in commotione Dominus*: quia in domo illa per Iehu (vt præmittitur) commota non erat Dominus, à quo per idolatriam totaliter recesserat. Ignis autem transiens designauit, Eliseū, quem Deus in prædicta visione ostendit Eliæ, transiturum per Regnum Israel, instar ignis, consumendo pueros idola-

trorum

trarum. Hinc Elifeus interpretatur *Dei mei salutare*: quia con-
 sumptis per eum filijs Idolatrarum, quibus in nomine Do-
 mini maledixit, aduenit Dei salus Dei veri cultoribus. Nec
 mirum, si pueris illis hoc accidit: nam sequitur : *Non in igne*
Dominus, quia non erat Dominus in pueris instar ignis con-
 sumptis, & qui à parentibus nutriebantur ad culturam ido-
 lorum. Sibilus vero auræ tenuis transiens significauit Eliã,
 cui Dominus in prædicta visione ostendit, quod esset per
 Regnum Israel transiturus, instar sibili auræ tenuis, vocans,
 scilicet, suos discipulos, & cæteros Dei seruos ad refrige-
 rium pacis, persecutionibus eorum sedatis. Hinc Elias in-
 terpretatur *Deus Dominus*: quia Deus pro eis ostendit se Do-
 minum inimicis eorum, quibus (vt præmittitur) consump-
 tis, hos in Regno Israel pacificè seruauit, eò, quod ibi, (scili-
 cet in, his, per quos transit sibilus auræ tenuis) erat Domi-
 nus, à cuius cultu per idololatram, ipso teste, non recesser-
 rant: *Dereliqui mihi in Israel (inquit Dominus) septem millia* 3. Reg. 19.
virorum, quorum genua non sunt incuruata ante Baal, & omne os,
quod non adorauit eum, osculans manum. His itaque omnibus
 Eliæ in visione ostensis, exponens eam, dicit illi Deus, *Vade* 3. Reg. 19.
& reuertere in viam tuam, & vnges Azabel Regem super Syriam,
 idest, vngendum, seu promouendum à me, prænuntiabis,
 Azahel in Regem Syriæ: & *Iehu vnges*, idest, vngendum, seu
 promouendum à me, prænuntiabis, Iehu in Israel: *Elifeum*
autem vnges, idest, vngendum, seu promouendum à me, præ-
 nuntiabis, Prophetam pro te, vt, scilicet, post tui raptum
 prophetet, & prænuntiet, Azahel, & Iehu à me promo-
 uendos in Reges. Hos quippe tres viros Azahel, Iehu, &
 Elifeum ad prædictas dignitates promouit Deus, vt exe-
 querentur iudicia, quæ in prædicta visione ostenderat ipse 3. Reg. 19.
Eliæ. Et propterea dicit Deus rursus Eliæ, & erit quicumque
fugerit gladium Azabel, occidet eum Iehu, & quicumque fu-
gerit gladium Iehu interficiet eum
 Elifeus.

Cap. XIX. Elias elegit montem Carmeli
 præ alijs adiugē sui & discipulorum habita-
 tionem, ubi in communi oratorio ad divi-
 nas laudes decantandas, ipse, &
 Prophetarum filij con-
 ueniebant.



3. Reg. 19.

Euersus itaque Elias iussu Dei de spelunca
 montis Oreb in terram Israel confestim in
 star aure tenuis sibilauit, idest, conuocauit
 suos discipulos, & cæteros Dei seruos, ad
 Deū deinceps in Regno Israel securè colē-
 dum, nūtiāns (sicut à Deo acceperat) quod
 eos in pace dimitteret Dominus, *persecutionibus eorum sedatis:*
 Dereliqui mihi in Israel (inquit Dominus) *septem millia viro-*
rum, quorū genua nom sunt incuruata ante Baal, & omne os, quod nō
adorauit eum, osculāns manū. Quia igitur ex tunc, & nō antea,
 fuit Eliæ, & suis discipulis liberū, in Regno Israel securè cō-
 uersari: studuit ipse deinceps Religionem, quam inchoaue-
 rat, in loco idoneo plantare: quoniā ad sui, & suorū discipu-
 lorū iugem mansionem elegit præ alijs eremis Carmeli mō-
 tē, tanquā commodiorē ad propheticā disciplinā, & vitam
 monasticā in eo edocendam, & exercendam. Mons quippe
 præbet eremitæ homini ex sua solitudine silentium, & quie-
 tē: ex suis antris congruā mansionē: ex suo saltu iucundita-
 tē: ex suo eminenti situ aērē salubrem: ex suis herbis, & fru-
 ctibus pastū vberem: & ex suo fonte aquæ viuæ haustū dul-
 cem. Propter quæ omnia Elias in monte isto non modò ele-
 git habitare: verū etiam domū orationi consecratā, appella-
 tā *Seunio* in eo ædificauit. Quæ ideo *Seunio* dicta fuit, quo-
 niā Elias, & discipuli eius, de corū tabernaculis & speluncis
 egredientes, ad domū illā honestè tribus vicibus conuenie-
 bant, non quidē ad refectionē corporalē, vel ad reliqua cor-
 poris ministeria peragenda: sed ad creatorē omniū Letanijs,
 & orationibus suppliciter placandū: & vt vnusquisque eo-
 rum

rū cū Propheta diceret, *vespere, & mane, & meridie narrabo, & annuntiabo: & exaudiet vocē meā.* Cōueniebāt nāque ibi in vnū ad Psalmos, Cantica, & Hymnos, corde, & ore, ac cū instrumētis musicis in laudē Dei canēdos: ad volumina quoq; Regis, & Prophetarū à patre eorū audiēda, pariterq; legenda. In quorū disciplinis, atq; exercitij institutis, ad perfectā, beatāque vitā studijs iugibus in eremo Carmeli coalescebāt, secundum formam vitæ monasticæ per Deū creditam Eliæ.

Cap. XX. Quibus de causis Elias montem Carmeli præ alijs montibus elegerit.



D continuā autē residentiā in Carmelo semper faciendam, Elias montē hunc deuotiorē suis discipulis reddidit, non solū exēplo sui, qui ex tunc quandiu in hoc mundo mansit (scilicet per sexdecim annos) montē istum incoluit: sed quia præ ceteris eremis, in quibus habitauit, montē hunc quibusdā magnis miraculis specialiter insigniuit, per quæ, Deū Israel esse verū Deū, manifestē idolatris monstrauit. Cū enim ante Elię ortum, fuisset de eo in Ierusalem patri suo dictū, puer hic iudicabit Israel in gladio, & igne non est dubium, vaticiniū illud fuisse per Eliam in monte Carmeli adimpletū. Testante nāque sacri libri historia, cū populus Israel, simul cū Achab Rege eorū, fuisset per Prophetas Baal seductus, & derelicto Deo vero, adcolendū Baal deditus: tunc Elias zelū Dei in præcordijs gerēs, & de populi transgressione dolens, congregato vniuerso populo cū Rege in monte Carmeli, mirum iudiciū eis proposuit, videlicet, quòd Baal à populo Deus reputaretur, si suos Prophetas in hoc monte sacrificaturos ita exaudiret, vt ad vorandum eorum sacrificiū de celo ignē mitteret: alioquin q̄ Baal à populo prorsus respueret, & Deus Israel verus De⁹ à populo firmissimè crederet, si Baal nō valeret per ignē suos Prophetas exaudire, & Deus Israel ignē de celo mitteret ad vorādū sacrificiū, qđ Elias in hoc mōtē illi offerret. Cūq; ppositio Elię populo placuisset, sed Baal super

3. Reg. 17.

sacrificio per suos Prophetas sibi oblato ignem de celo mittere nō posset: tunc Elias in hoc monte Carmeli altare Dño ædificauit, vbi sacrificium Deo offerens, cunctis videntibus ignem descendantem ad vorandum suum holocaustum à Deo Israel impetrauit: sicque populum Israel per Prophetas Baal prius in errore detentum, ad vnus veri Dei cultū in monte Carmeli Elias tunc reduxit: Prophetas verò, qui populum seduxerant, ne iterum ipsum deciperent, omnes in torrente Cysson gladio interfecit. Amplius verò, cum Rex Achab, & populus Israel per Prophetas Baal decepti, tribus annis, & sex mensibus incessanter inuocassent Baal pro pluuia: tamen Baal in diebus illis pluuiam eis dare non potuit, nec soluere verbum Eliæ, quod eis prædixerat, *Non erit annis his vos, neque pluuia, nisi iuxta oris mei verba.* Ideo ostensa tanto tempore ipsius Baal impotentia, tandem claruit eis Dei Israel potentia. Quoniam Elias tunc, fusa in hoc monte Carmeli ad Deum Israel oratione, mox ab ipso abundantem pluuiam illi populo obtinuit. Prætereà, cum Elias Ochoziæ Regi Israel ægrotanti suos legatos remisisset, nūtians ei, quod ideo meritò moretetur, quia spreto Deo Israel, moliebatur super sua infirmitate consulere Beelzebub Deum Acharon: Rex de hac destinatione nimium cōmōtus, in Eliæ necem spirās, ad eum in mōte Carmeli Principē quendam quinquagenarium misit cum quinquaginta viris, vt si sponte venire ad Regem renueret, eum inuitum ducerent. Princeps ergo ille (criminis enim Regis particeps erat) cum suis quinquaginta in Eliam bachans, eum sedentem in vertice Carmeli hominem Dei derisorie appellauit, cui & superbè præcepit, vt de monte descendens, ad Regē veniret. Elias autem intelligens, in sua persona verum Deū per illos satellites inhonorari: ignem de celo super montem Carmeli descendere fecit, qui principem illum cum suis quinquaginta combussit. His itaque euidentissimis ignis & gladij iudicijs monstrauit Elias hominibus incredulis quod ille esset verus Deus, quem ipse in monte Carmeli colebat: & nō Baal, quē perfidus Rex Achab, cū filijs Israel adorabat: neque Beelzebub, ad quem (Deo vero spreto) sacrilegus Rex Ochozias mittebat.

Cap. XXI. Quod multi huius Religionis Patres, tam veteris, quam nouæ legis, sint iugiter conuersati monasticè in monte Carmeli ad Elia imitationem, seruantes iustitiam, cella clausuram, & silentium.



Voniam igitur Elias præ cæteris eremis, in quibus habitauit, montem Carmeli, tanquã commodiorem ad plantandam in eo propheticam Religionem vitæ monasticæ, & docendã melius, & exercendam (vt dictum est) elegit: quem etiam montem præfatis miraculis clarissimè decorauit, quibus, Deum Israel esse verum Deum, palam populo ostendit, & Baal tãquam falsum Deum reprobauit: Ideo Eliseus, & cæteri Eliæ discipuli Religiosi viri, Prophetarum filij, necnon eorum, tam veteris, quam nouæ legis successores, montem Carmeli in veneratione speciali semper habentes, ipsum alijs eremis, vt Religionis suæ magis congruum, prætulerunt. Et propterea in eremo dicti montis præcipuè, ad exemplum, & imitationẽ illius sancti viri, & solitarij Eliæ Prophetæ, prædicti Religiosi secundum formam per Deum Eliæ creditam in iustitia Prophetica vitæ monasticæ Domino Deo Israel deuotè seruiuerunt. Vbi religiosam vitam solitariam sigillatim in modicis tabernaculis, & cauernis, atque cellis, continuè, & incessanter duxerunt iuxta fontem Eliæ: ob cuius sanctitatem, & loci deuotionem, ad maiorem seruandæ vitæ eremiticæ opportunitatem, ibiquè passionibus animæ viriliter resistentes, peremerunt nequitiam, & bonorum actuum exercitatione secuti sunt cordis munditiam. Ad mysteria itaque diuina se disponentes, omnibus contentionibus, & certaminibus priuati, cum silentio, & vnanimitate, & communionẽ animorum ad *Seunior* horis statutis conuenerunt

Isai. 32.

celebrantes in pace, cum timore, & reuerētia creatoris, quæ ad cultum pertinent diuinitatis, & ad iustitiam Regni cælestis: quemadmodum de eis, & de eorum loco dicto, Iſaias Propheta in persona Domini vaticinatus fuit dicens, *Habitabit in solitudine iudiciū, & iustitia in Carmelo sedebit, & erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque in sempiternū: & sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulēta.* Vbi vide, quā pulchre describit Propheta per ordinē bonā eorū vitā à posteris monachis Carmelitis imitabilē. Primò quidē ipsi sigillatim habitantes soli in cellis mōtis Carmeli, citabāt quotidie seipſos ad iudiciū discernendi in propria mente, si cogitationes accusarēt, vel defenderēt eos de aliquo iniquo id est, deviante à rectitudine iustitiæ. Ideo prædixit Propheta, *Habitabit in solitudine.* Secūdo dū testimoniū nō reddebat illis cōscientia de quocūque iniquo, exercebant officiū monachi: quā *sedebat super eos iustitia in Carmelo*, qua illud iniquū tristes, & soli puniebant per veram pœnitentiā, & emendabant illico. Ob hoc prædixit Propheta, *& iustitia in Carmelo sedebit.* Tertio, cū nihil iniquū reperiebant in viribus animæ expiandū, tunc opus, quo ipsi cæteras vires animæ cōleuabāt in concordia perfectē cū recta ratione, erat interna pax iustitiæ. Idcirco prædixit Propheta, *Et erit opus iustitiæ pax.* Quarto, quia, teste Sapiēte, *in multiloquio nō deerit peccatū, qui autē custodit os suū, custodit animam suā:* ideo ipsi, vt essent securi à peccato, colebant assiduē iustitiam silētio. Propterea prædixit Propheta, *Et cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque in sempiternum.* De his autē omnibus commendās eorum vitā Dominus, prædixit, *Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, scilicet, internæ: Et in tabernaculis fiducia*, de obtinenda scilicet iucunditate supernæ gloriæ: *Et in requie, mentis opulēta.* Videlicet, ex gustu, & cōtemplatione deliciarū procedentium de torrente voluptatis diuinæ. Quia ergo dicti monachi ad exēplum Eliæ coluerunt iugiter in Carmelo iustitiam vitæ monasticæ: propterea appellati sunt eremitæ Carmeli, cuius fuerunt incolæ, secundum modū prædictū residentes ibi in iustitia assiduē, sicut Propheta prædixit,

Sap. 10.

xit,

xit, *Iustitia in Carmelo sedebit.* Sed & cæteri huius Religionis monachi habitantes alibi cupiunt idcirco Carmelitæ appellari: quia eorum Religio, & sancta conuersatio est ab illis deriuata, & sumpta, qui prædicto modo satagerunt in monte Carmeli continue religiosam vitã Prophetæ Eliæ (& usque nunc satagunt) humiliter imitari. Omnes quippe huius Religionis veri sectatores, tã in monte Carmeli, quã alibi habitantes, profitentur, se humiliter sequi illã sanctã vitã, & propheticã iustitiã vitę monasticę, quã Prophetæ Dei Elias seruauit, & instituit, ac quã esse sequendã, ipse, secundu formã à Deo sibi creditã, & verbo pariter & exemplo discipulis suis tradidit, & in eremo môtis Carmeli residendo, docuit maxime ac demonstraui.

Cap. XXII. Quæ ratione Elias, & Eliseus habuerint cuneos filiorum Prophetarum in ciuitatibus, qui post prima rudimenta vitæ monastica, ad eremiticã vitæ professionem ascendebant.



Ecce Elias, & Eliseus cum cæteris eiusdem propositi religiosi viris manerent præcipue in eremis: iubente tamẽ Deo (propter vtilitatem sui populi) ciuitates, & villas interdũ frequentabant, miracula in populis operantes, futura eis prædicetes, vitiaque hominũ castigãtes, & eos ad Deũ reuocãtes, atq; ad suã propheticã Religionẽ multos attrahentes. Vnde in suburbanis quarũdã ciuitatũ, & villarũ terræ promissionis, maxime autẽ in Galgala, & in Bethel, & in Hiericho, & in Samaria habuerunt cuneos Religiosorũ virorũ filiorũ Prophetarũ, (sicut legitur in libro Regnorũ) apud quos manebãt, dũ ad ciuitates, & villas veniebãt. Et illos depopulo, quos ad suã propheticã Religionẽ trahere poterãt, primò quidẽ in his conuentibus faciebãt erudiri in disciplina prophetica, & in rudimentis religiosæ vitæ monasticæ, vt eos paulatim à conuer-

satione urbium distraherent: quos post modum ad eremos trāsferebāt. His enim monachis filijs Prophetarum habitātibz in urbibus, postquam erant in rudimentis disciplinæ propheticæ, & vitæ monasticæ eruditi, videbantur vrbes quasi carceres, & solitudo Paradisus apparebat. Illi igitur suæ perfectionis in via progredi curantes, in monasticam, ac prophetalem vitam longè ab urbibus ducere malebant in solitudinibus, quas appetentes ad eas secedebant nutu Prophetarum, qui eos regebant. Hinc in libro Regnorum legimus, hos filios Prophetarum dixisse ad Eliseū, *Ecce, locus, in quo habitamus coram te, angustus est nobis: eamus vsque Iordanem, & tollant singuli de Sylua materias singulas, vt ædificemus ibi locum nobis ad habitandum.* Erant autem ipsi tam multiplicati, quod iam non valebant omnes in solitudine montis Carmeli commodè recipi. Propter quod ad nutum Prophetarum, per quos regebantur, eligebant sibi non solum montem Carmeli, sed & alia, præter montem hunc, loca eremitica, proposito suo, & deuotioni opportuna: & præcipuè illa, quæ per Eliam & Eliseum fuerant peragrata, & decorata. Quoniam igitur Elias, & Eliseus in Iordanis flumine magis claruerunt miraculis (nam aquæ Iordanis pallio Eliæ percussæ, in duas partes fuerant bis diuisæ, præbentes iter siccum præfatis Prophetis: Naaman leprofus in Iordane lotus, à lepra fuerat per Eliseum mundatus, & sanitati restitutus:) ideo aliqui horum monachorum filiorum Prophetarum, deuotione prædictorum miraculorum permoti, & aquarum opportunitate tracti, faciebant sibi tabernacula in solitudine, propè fluentia Iordanis, prout eis dictabat Propheta Dei Eliseus, quemadmodum in libro Regnorum legimus, Eliseū dixisse eis: *Ite, (scilicet ad Iordanem)*

4. Reg. 6.

Et ait vnus ex illis, veni ergo & tu cum seruis tuis. Respondit, Ego veniam: & obijt cum eis. Cumque venisset ad Iordanem: cædebant ligna pro tabernaculis sibi ibidem ædificandis. Quidam autem dictorum monachorum filiorum Prophetarum, in monte Ephraim suam mansionem elegerunt. De his loquebatur Giezi famulus Elisei, dū dicebat Naamā

4. Reg. 5.

Syro: Dñs me⁹ misit me ad te dicens, modò venerūt ad me duo adolef-

centes

cētes de mōte Ephraim ex filijs Prophetarū. Isti quidē segregātes se à turbis, quas videbant colere vitulum aureum, quem Iero boam posuerat ad adorandum in Bethel, secesserunt nutu Elisei in solitudinem montis Ephraim, ne possent exemplo populi infici idolatria, sed vacarent in solitudine liberius diuino cultui. Ab his itaque memoratis viris filijs Prophetarum inoleuit, quod plerique nostri generis monachi, non solum in monte Carmeli, sed in diuersis solitudinibus terre promissionis, sunt in disciplina prophetica vitæ monasticæ ad imitationem eorum laudabiliter conuersati. Prædicti autē monachi à plerisque fuerūt Anachoritæ appellati, quia corda sua argentes ieiuniorum inedijs, & cæteris corporum angustijs, non timuerunt (vt dictum est) ad imitationē Eliæ incessanter, & continuè penetrare vastos secessus solitudinis montis Carmeli, & aliarū eremorum terræ promissionis. Vbi cogitationibus sanctis, & intentione orationum, ac cæteris armis iustitiæ muniti, non solum occultas diaboli insidias vincebant: sed & apertos conflictus Dæmonum calcantes, tanto conatu mentes suas, ad exemplum Eliæ Principis eorum, sursum in Dei contemplationem eleuabant: vt in cęlestibus choris putarentur translati, & reuelata facie gloriam Dei speculari, perfruētes colloquio Dei, cui puris mentibus inhærebant.

Cap. XXIII. De raptu Eliæ, & de successione Elisei in spiritu prophetiæ, & in prelatura officio.



Egitimè itaque administrata Religione per cum instituta, agnouit Elias per diuinam reuelationem, quod Deus volebat eum de hoc mundo eleuare per turbinem ignis in Paradisum voluptatis. Pergens ergo ad locum, vnde assumendus erat in cœlum, profectus est cum Eliseo eius discipulo ad Iordanem, quem Elias pallio suo inuoluto percussit, & sicut sacra libri Reg-

norum tradit historia) diuisæ tunc fuerunt aquæ Iordanis
 in duas partes, cedentes illis viris Dei, qui transierunt per
 alueum siccum fluminis. Cumque pariter incedentes ser-
 mocinarentur, *Eccè currus igneus, & equi ignei apparuerunt*, qui
 vtrumque ab inuicem diuiserunt. Quoniam, remanente Eli-
 seo in terra, Elias receptus in curru equorum igneorum af-
 cendit per turbinem ignis in cælum, scilicet, in Paradisum
 voluptatis, qui in longo spatio, & terræ tractu à nostra ter-
 ra habitabili secretus adeo est editus: vt per eum vsque ad
 cælum attingat. In quo loco vna cum Enoch, qui longè an-
 te illic præcesserat Eliam, commoratur. Viuet autem ipse
 Elias in magna quiete carnis, & spiritus, vsque ad tempus
 Antichristi: sed tunc in hunc mundum reuertetur, quemad-
 modum testatur Dominus, dicens: *Elias quippe venturus est, &*
restituēt omnia. Prius quam autem Elias ab hoc mundo transf-
 ferretur in Paradisum voluptatis, fuit ei curæ, imminente
 translatione, monachos filios Prophetarū discipulos suos
 sigillatim visitare, & de patre idoneo eis prouidere, qui eos
 omnes generaliter eius loco regeret, & gubernaret: prop-
 ter quod descendentes ipse, & Eliseus de monte Carmeli,
 Venerunt ambo in Galgala, dein in Bethel, & inde in Hieri-
 cho. Nā (sicut prædiximus) in his locis habitabant viri Reli-
 giosi, filij Prophetarum, Eliæ discipuli, quos ipse visitans cō-
 monuit, vt de imminente eius corporali absentia tristes nō
 fierent. Quibus visitatis valesciens, perrexit cum Eliseo ad
 Iordanem, quo pertrāsito sicco pede, dixit Elias ad Eliseum:
Postula quod vis vt faciam tibi, antequam tollar à te. Habebat autē
 Elias duplicē Domini spiritum, videlicet, spiritum occulta
 (præsertim futura) prophetandi, & spiritum miracula fa-
 ciendi. Quorum spirituum non vnum solum, sed duplicem
 prædictum postulans Eliseus, dixit: *Obsecro, vt fiat spiritus tuus*
duplex in me. Prædixerat autem Eliæ Deus, dum manebat in
 monte Oreb in ostio spelūcæ, *Eliseum filium Saphat, qui est de*
Abelmeula, vnget Prophetam pro te. Per quæ Domini verba in-
 tellexerat Elias, non quidem quod Eliseus esset ei successu-
 rus in altero spiritu, scilicet, prophetico, propter quod Eli-
 seo petenti suum duplicem spiritum respondit: *Rem difficile*
postulasti: perpendens tamen à Deo, quod si Eliseus esset dig-

4. Reg. 2.

Matth. 17.

4. Reg. 19.

4. Reg. 2.

nus videre modum illum mirabilem & arcanum, quo Deus subleuaret eum in coelum, impetraret quod ab eo postulauerat. Eliseus verò illud videbat, & ad eum clamabat, & quod ab eo postulauerat obtinuit, succedens Eliæ, tam in spiritu prophetiæ, quàm in spiritu signorum: quemadmodum sapiens testatur, dicens, *Elias in turbine reclusus est: & in Eliseo completus est spiritus eius.* Videns itaque Elias discipulū suū in Eliseum suo spiritu plenum, nouit, eum à Deo factum idoneum ad regendos suos discipulos filios Prophetarum. Propter quod totius Religionis per eum institutæ commisit illi tunc regimē, ac magisterium. Et in huius rei signum tradidit tunc Eliseo suum insignem Religionis habitum, relinquens ei pallium suum, dum ferebatur in coelum. Quo se operiens Eliseus abiecit à se vestimenta sua, scindens ea in duas partes: vt filij Prophetarum videntes eum habitu Eliæ indutum, agnoscerent eum spiritu Eliæ repletum: & sic reciperent eum pròptius pro Elia in patrem, & magistrum. Et rediens inde percussit bis pallio Eliæ Iordanem, videntibus viris Religiosis filijs Prophetarum, qui è contra erant, eius regressum expectantes. Et cum vice prima non fuissent diuisæ aquæ: in secunda tamen vice diuisis hinc inde aquis Iordanis, transijt Eliseus per siccum alueum fluminis. Cernentes ergo filij Prophetarum, Iordanem miraculotè cessisse Eliseo: agnouerunt, eum succedere Eliæ in duplici spiritu prædicto. Propter quod adinuicem dixerunt: *Requieuit spiritus Eliæ super Eliseum: & venientes adorauerunt eum proni in terram,* recipientes eum pro Elia in præcipuum eorum patrem, & magistrum, quem videbant habitu Eliæ, & spiritu dotatum. Præbuerunt autem ex hoc actu formam suis successoribus, vt quando ab eis erit ablati pater eorum præcipuus, illum loco eius in patrem humiliter super se suscipiant, qui exemplo Elisei erit ad eos per signa, & prodigia à Deo missus. Signis verò non apparentibus, omni sollicitudine vnanimiter studeant, illum ex eis in patrem super se ponere, qui præcedat cæteros, qui receperunt eum in patrem super se.

Eccles. 48.

4. Reg. 2.

Cap. XXIII. Eliseus Propheta visitat con-
uentus Prophetarum, & mortuum
ad vitam reuocat.




Uscepto itaque regimine prophetice Reli-
gionis per Eliam instituta, sollicitus fuit Eli-
seus cuneos monachorum filiorum Pro-
phetarum sigillatim visitare. Quos cupiens
consolari de absentia Eliæ, operabatur co-
ram eis signa, & virtutes: ne in vacuum vide-
retur gratiam Dei recepisse. Tum, vt per hoc eis ostēderet,
se gerere vices Eliæ, tum etiā, vt sic eos solidaret in perseue-
rantia vitæ monasticæ. Nam cum esset apud monachos fi-
lios Prophetarum habitantes in Hiericho: eis currenti-
bus dulcorauit Eliseus, ad petitionem virorum Hiericho,
amaras aquas ciuitatis, mittendo sal in aquam fontis.
Cum autem inde ascenderet ad visitandos filios Prophetarum
habitantes in Bethel, viri ciuitatis illius, qui erant ido-
latræ, habebant ipsum propterea exosum, quia erat cultor
veri Dei: in cuius contemptum prouocauerunt tunc pue-
ros suos paruos, vt deriderent Eliseum, *Et egressi pueri de ciui-
tate illudebant ei dicentes, Ascende calue, ascende calue.* Eliseus au-
tem intelligens, verum Deū, cuius erat cultor, per hoc flo-
cipendi à viris ciuitatis: *cum respexisset pueros, maledixit eis in no-
mine Domini: vt sic magnificaret in ciuitate nomen veri Dei,*
quem illi contemnebant: & *Mox egressi de saltu duo vrsi lace-
tauerunt ex eis quadraginta duos pueros.* Quod scientes viri ciui-
tatis, timuerunt nomen Dei Elisei. Filij verò Prophetarum
illic commorantes, viso hoc signo, cum gaudio, & honore
receperunt Eliseum in patrem eorum, & magistrum. Abijt
autem inde Eliseus in montem Carmeli, visitans, & conso-
lans filios Prophetarum habitantes ibi, apud quos tunc nō
diu mansit: quia desiderabat prius cæteros filios Propheta-
rum visitare, & tandem in montem Carmeli redire. Pergēs
verò inde in Samariam, visitauit filios Prophetarum illic
habitantes, vbi relictam Prophetæ Abdix, oppressam ære
alieno

alieno propter alimoniam, quam Abdias fecerat centum Eliæ discipulis, quos absconditos seruauerat in speluncis, Elifeus à debito releuauit, & victum sibi, & suis filijs ministravit, multiplicans miraculosè in magnam quantitatem parũ olei in domo mulieris inuenti. Quod ipsa vendens, & creditori satisfecit, & de reliquo pretij victum sibi, & filijs suis procurauit. Rediens autem inde Elifeus in montẽ Carmeli, transijt per ciuitatem Sunam, vbi erat mulier quẽdam magna, ad quam Elifeus diuertebat quoties per Sunam transibat, quem mulier prædicta honestè recipiebat in suo hospitio, in quo coenaculum illi fecerat, & ei deceter de suis facultatibus ministrabat. Quæ cum filio careret, quod haberet virum ineptum ad generandum propter senium, promisit sibi Elifeus in remunerationẽ diætæ hospitalitatis, quod filium de viro suo conciperet, & haberet. Et cũ ita euenisset, contigit successu temporis, quòd postquam puer creuerat, mortuus fuit. Indicauit ergo mulier viro suo, se velle ad Elifeum ascendere in Carmelo. Cui vir, nesciens filium esse mortuum, dixit. Quam obcausam vadis ad eum hodie? non sunt Kalendæ, neque sabbatum: quasi diceret, si hodie esset festum, causam haberes ascendendi ad eum. Consueuerant siquidem deuotæ personæ benedictionem secum victualium afferentes, visitare diebus festiuis Elifeum, & cæteros monachos montis Carmeli: præcipuè autem deuotione audiendi ab Eliseo, & ab alijs Prophetis verbum Dei. Cũ ergo venisset mulier illa ad Elifeum in montẽ Carmeli, corruens apprehendit pedes eius, & dicit ei. *Nunquid petiui filium à te? nunquid non dixi tibi ne illudas me?* Illusam se reputabat, eo, quod filium, quem sine eius petitione Elifeus sibi à Deo impetrauerat, ita citò perdidisset. Cernens autem Elifeus eam sequutus est in domum suam: & ingressus incubiculum, vbi puer mortuus iacebat, fusa ad dominum oratione, suscitauit eum Elifeus à mortuis. Quem cum matri assignasset viuum, illa corruens ad pedes Elisei, adorauit super terram, gratias reddens Deo, & Eliseo. Per hæc itaque prædicta signa manifestauit Elifeus Religiosis viris, filijs Prophetarum, Eliæ discipulis, duplicem Eliæ spiritum esse in eo completum: & propterea prædicti omnes monachi recepe-

4. Reg. 4.

receperunt eum pro Elia in patrem eorum præcipuum, & magistrum.

Cap. XXV. Rechabitas instructos fuisse ab Eliseo in monastica disciplina, & de quibusdam miraculis Elisei.



Eliseus etiam per signa, & virtutes, quæ operabatur inter plebes, trahebat ad tuam propheticam Religionem multos deuotos homines. Inde est, quod vir Dei Ionadab, filius Rechab, sciens, Eliseum à mortuis resuscitasse Sunamitis filium, tractus fuit per hoc ad sequendum in prophetica disciplina vitæ monasticæ Prophetam illum. Cinei verò progenitores Rechab hominis Dei, qui ab inlyto Iabes, legis Doctore, fuerant profundè in lege Dei eruditi, tuos posteros legem Dei canere, & laudes eius resonare docuerunt, Ionadab autem in his omnibus plenè instructus, ad maiorem perfectionis cumulum, fuit (vt præmittitur) Eliseum Prophetam in monastica vita eremitica imitatus. Et quamuis in virginali castitate Eliseum secutus non fuerit, volēs, propter fragilitatem carnis, tam se, quàm suos coniugio vtī, & prolem ad Dei cultū procreare: tamē exēplo Elisei, relictis omnibus, extra vrbes cū Cineis ab eo descendētibus habitauit. De quibus in libro Paralipomenon legimus, *Hi sunt Cinei, qui venerunt de calore, id est, de feruore vitæ religiosæ domus Rechab, canentes, atque resonantes, & in tabernaculis commorantes.* Cinei itaque ab hoc Rechab descendentes, & cum Ionadab filio eius Religionem Elisei eremiticam sequentes, dicti fuerunt Rechabitarum. Quorū pater (scilicet Ionadab) per Eliseū Prophetā in disciplina prophetica monasticæ vitæ eremiticæ instructus iniūxit ipsis Rechabitis, & cunctis eiusdē propositi per affinitatem eis coniūctis cætera, præter continentiam, in institutione Eliæ consulta. Vt, videlicet, Patri eorum semper obedirent: & vinum in sempiternum non biberent: & domos non ædificarent: & sementem non sererēt: & agros non

1. Paral. 20.

Hier. 35.

non possiderent: & vineas non plātarent, nec haberent: ed in solitudine iuxta vrbes cōtētis diebus in tabernaculis habitarent, prout hęc, & alia de ipsis plenius testatur Hieremias Propheta. Denique Eliseus summa cum diligentia creditos sibi monachos filios Prophetarum regebat, quos suo exēplo, & magisterio inducebat, propter Regnum Dei melius consequendū, ad perfectionē inquirēdam secundū formā disciplinæ vitæ monasticæ per Deū traditam Eliæ. Quibus etiā de castino nō sollicitis providebat in vitæ necessarijs, non solū per humanā industriā, imò interdum miraculose supra naturalē potentiā. Legimus nāque in libro Regnorū, quod cū esset fames in terra, & dicti filij Prophetarū habitaret coram Eliseo, cōpatiēns ipse fami eorū, dixit quadam vice vni de famulis suis, *Pone ollam grandē, & coque pulmentum filijs Prophetarum.* Egressus ille, vt colligeret herbas agrestes, inueniens quasi vitem syluestrem, collegit ex ea collocyntidas, implēs pallium suum, & nesciens quid esset, concidit in ollam pulmenti. Infuderunt ergo socij cum comederent, cumque gustassent filij Prophetarum de coctione hac, clamauerunt ad Eliseum dicentes, mors in olla, vir Dei: mortiferum enim erat præ amaritudine collocyntidarum illud pulmentū. Nō fuit autem Eliseus iratus coquo, lautioris enim mensæ consuetudinem non habebat: sed dicit eis, *Afferte farinā, & cū attulissent sibi, misit in ollam, & dulcorata statim fuit esca.* Iussit ergo Eliseus iterum infundi filijs Prophetarum, qui tunc ea dulces facta lautē comederunt. Altera quoque vice cum vir quidam ex deuotione attulisset de Bethsaida Eliseo panes primitiuos, videlicet, viginti panes hordeaceos, & frumentum nouum in pera sua: dicit Eliseus ministro suo, vt daret filijs Prophetarū ad comedendū. Qui respondit: Quantum est hoc, vt apponam coram centū viris? quasi diceret, parum aut nihil erit inter tantos. Cui dixit Eliseus: *Da eis, quoniam comedent, & supererit eis.* Posuitque corā eis: qui comederūt, & eis satiatis, superfuit iuxta verbū Elisei, multiplicās miraculose predictos panes, sine aliqua extrinseca additione. Dicebat quippe, vt hęc

Hier. 35.

4. Reg. 4.

4. Reg. 4.

hæc omnia adijcerentur eis non sollicitis indebitè, quid mā ducarent, aut quid biberent, aut quo operirētur. Quoniam primum, & ante omnia, quærebant *Regnum Dei*, & *iustitiam eius*, proijcientes omnes sollicitudines suas in Deum, cui cura est de hominibus.

Cap. XXVI. de Monachos Carmelitas à captiuitatibus Iudaici populi misericordia diuina fuisse liberatos.



Quoniam igitur prædicti monachi, dum regerantur per Eliseum, & etiam post eius decessum, quærebant ex totis præcordijs Dei *Regnum*, pro quo facilius consequendo, terrenas diuitias, & carnales delicias respuebāt, humanaque consortia, & turbaram tumultus vitabant: ideo præseruauit eos Deus à captiuitatibus, ad quas, ante incarnationem Christi Iesu, induxit populum Iudæorum, propter peccata eorum. Quod tamen ad maiorem iudaici populi celsit confusionē, vt ipse in fortissimis ciuitatibus, & munitis saluari non posset, cum monachi in aperta montis Carmeli eremo, & non munita, ab insultibus Assyriorum & exercitus Chaldaici per Deum tunc protegerentur. Sed causa huius diuersitatis fuit, ex parte quorundam illius populi, legis diuinæ præuaricatio: è contra verò, ex parte dictorum monachorum, eiusdem legis obseruatio. Quod totum bene significauit Propheta Dei Isaias, dum in persona Domini, captiuitatem, & terræ dissipationem populo Iudæorum venturam vaticinaretur: ita inter cætera dicens. *Plangite super regione desiderabili, super vinea fertili: super humū populi mei, spinæ, & vepres ascendent: quanto magis super omnes domos gaudij ciuitatis exultantis? Domus enim dimissa est, multitudo vrbis relicta est.* Et paulo post, de monachis Carmelitis illius temporis contrariam sententiam subdens, Propheta in persona Domini ait. *Et erit desertum in Carmelo, & Carmelus in saltum reputabitur*

bitur. Et habitabit in solitudine iudicium, & iustitia in Carmelo sedebit. Et erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta. Licet namque temporibus Iudæarum captiuitatum esset desertum in Carmelo, ita, quod Carmelus non in munitionem vel ædificium, sed in saltum verè reputabatur, populus tamen monachorum illic commorati in faciebat in solitudine illa iudicium Dei, & seruabat Carmelo iustitiam cœlestis Regni, sicut Propheta prædixerat. *Habitabit (inquit) in solitudine iudicium, & in Carmelo iustitia sedebit.* Cuius iustitiæ opus erat pax, qua ad inuicem perinebant bellum. Et cultus prædictæ iustitiæ erat silentium, quo in ore vitabant multiloquium. Cuius quoque dictæ iustitiæ erat securitas, qua à corde fugabant inimicorum metum. Quippe monachi ita erant ad inuicem per pacem dispositi, quod inter eos nullum erat bellum: & sic erant in ore (per silentium) inimici, quod inter eos nullum erat multiloquium: & ita erant in corde quieti, & securi, quod eorum non reprehendebat eos ante Deum. Ideo confidentes in Deo eos protegente, cuius beneplacita faciebant semper, nullum habebant de inimicis metum. Teste enim sapiente, *Cum placuerint Domino via eius (scilicet hominis,) inimicos quoque eius conuertet ad pacem.* Quia ergo ipsi studebant Deo per iustitiam placere: ideo protexit eos Deus à timore, & in saltibus inimicorum, & à captiuitatibus Iudæorum: sicut promiserat, dicens, *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta.* scilicet, virtutibus, & pascuis Doctrinæ vera Religionis vberibus. Quemadmodum Michæas Propheta concludendo, terram Iudæorum fore propter peccata eorum desolandam, dicens, *Terra erit in desolationem propter habitatores suos, & propter fructum cogitationum eorum.* subdit aliter de ipsis monachis, inquit, *Pasce Domine populū tuum in virga tua, gregē hereditatis tuæ, habitantes solos in saltu, in medio Carmeli: pascetur Basan, & Galaad iuxta dies antiquos.*

Prou. 16.

Isai. 32.

Mich. 7.

Psal. 44.

Vbi Propheta primò orat Deum, ne populus monachorū montis Carmeli concladatur simili sententia desolationis cum Iudæis: sed pascatur, vt prius, doctrina Religionis per Deum, sub virga, id est, Regula suæ directionis. Ideo ait, *Pasce domine populum tuum in virga tua, de qua Psalmista ait: Virga directionis virga Regni tui.* Ne autem Propheta videretur pro toto populo Iudaico orare: specificat hunc solum, dicens: *Gregē hereditatis tue, habitātes solos in saltu,* scilicet, Carmeli. Secūdo prauidēs Michæas, se esse exauditū, prophetauit vēturū, quod orauerat, dicēs, *In medio Carmeli pascentur Basan, & Galaad.* Intellexit autē per Basan, & Galaad, hos monachos mōtis Carmeli: tū primò, quia quā plures eorū erāt tūc de regionibus Basan, & Galaad oriūdi: tū secūdo, quia Basan interpretatur *pinguis*, & cœtus horū Religiosorū fiebat in medio Carmeli pinguis pascuis diuinis, scilicet, doctrinis veræ Religionis. Galaad quoq; interpretatur, *aceruus testimonij*, & Deus centum horum monachorum aceruauit in monte Carmeli, in testimonium contra populum Iudæorum, vt intelligeret populus, quòd propter prauaricationem legis diuinæ fuit catenatus, & terra eorum desolata, cum hi Religiosi, quia seruauerunt legem Dei, remanserint liberi in terra illa, in medio Carmeli. Deinde exponit Propheta, qualiter in medio Carmeli pascerentur, dicens, *iuxta dies antiquos*, in quibus virga scilicet directionis Regni Dei pascebantur ab Elia in monte Carmeli doctrina propheticæ vitæ monasticæ, secundū formā institutionis per Deum creditā Eliæ.

Cap. XXVII. Rechabitas non fuisse cum reliquo Iudæorum populo in Babylonem translatos.

3: Reg. 10.



Eor, & septuagesimi Psalmi titulum id significare, *Filiorum Ionadab*, & eorum, qui primò in captiuitatem ducti sunt. Iste est Ionadab, filius Rechab, qui in Regnorum libro scribitur currum ascendisse cum Iehu: & huius filij sunt, qui in tabernaculis semper habitantes, ad extremum, propter irruptionem exercitus Chaldaici

daici, Hierosolymam intrare compulsi, hanc primi captiuitatem sustinuisse dicuntur, quod post solitudinis libertatem, vrbe quasi carcere sunt reclusi. Monachi autem Rechabitæ quamuis essent in Hierusalem reclusi, dum populus Chaldaicus Hierusalem, & cæteram terram Iudæ deuastrauit: ipsi tamen non fuerunt cum reliquo populo Iudæorum in Babylonem translati, sed in terra promissionis derelicti, sicut & monachi Carmelitæ prædicti. Quoniam Nabuzardan princeps exercitus Regis Nabuchodonosor, dum prædictam captiuitatem Iudæorum in Babylonem transferret, hos monachos Rechabitas cum Hieremia Propheta liberos abire concessit, quemadmodum Hieremias & populi captiuitatem, & Rechabitarum liberationem prophetauit in persona Domini, dicens: *Firmauerunt filij Ionadab, filij Rechab præceptum patris sui: quod præceperat eis. Populus autem iste non obediuit mihi. Idcirco hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego adducam super Iudam, & super Hierusalem, vniuersam afflictionem, quam locutus sum aduersus illos, eo, quod loquutus sum, & non audierunt: vocaui illos, & non responderunt mihi. Domui autem Rechabitarum dicit Hieremias. Pro eo, quod obedistis præcepto Ionadab patris vestri, & custodistis omnia mandata eius, & fecistis vniuersa, quæ præcepit vobis: propterea dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Non deficiet vir de stirpe Ionadab, filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.* Intellexit autem Deus, *Vir de stirpe Ionadab*, non quidem principaliter carnalem ipsius Ionadab generationem: sed potius nostræ Religionis eremiticæ genus. Neque enim filij carnales ipsius Ionadab, aut ab eis genti, sed solum monachi in hac religione eremitica eis succedentes steterunt in conspectu Dei cunctis diebus: quamuis carnalis stirps Rechabitarum perdurauerit vsque ad ruinam ciuitatis Hierusalem à Tito, & Vespasiano patrata. Nam dum Beatum Iacobum Alpei, qui paulò ante ruinam prædictæ ciuitatis decessit, Iudæi in dicta vrbe lapidibus obruerunt:

Hier. 35.

facerdos quidam ex his Rechabitis nitebatur eum à morte eruere: quoniam Apostolus Iacobus vinum nunquam bibit, & alias abstinentias grandes, similes Rechabitarum obseruantijs, secutus fuit.

Cap. XXVIII. Monachi Carmelitæ Christiani eiusdem Religionis sunt cum monachis in veteri lege ab Elia in Carmelo institutis.



Ntuentes quidam viri, monachos in monte Carmelo nūc habitātes esse Christianos, putauerūt, (vt asseris dilecte Caprasi,) eos nō esse eiusdē Religionis cum illis monachis, qui olim per sanctū Dei Eliam Prophetam fuerunt in eodem monte instituti, pro eo, quòd illi non fuerunt Christiani, sed Iudæi. Quàm autem erronea sit istorum virorum opinio, & à veritate deuiet: ex sequentibus tibi manifestum fiet. Antiqui namque huius montis monachi, etsi non nomine, tamen recta fide, fuerunt veri Christiani, sicut sunt monachi modernæ. Quoniam illi firmam fidem in Christum habuerunt: à quo & animarum salutem sperauerunt: pro qua consequenda mundum reliquerunt, & corpora, ac animas suas obtulerunt Deo, & de quibus ait Apostolus, *Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: insolitudinibus errantes, in montibus, speluncis, & cauernis terre: & hi omnes testimonio fidei probati fuerunt.* Si ergo, teste Apostolo, illi fuerunt probati testimonio fidei, quis non videat, quod ipsi non perfidi, quales sunt moderni Iudæi, sed veri fuerunt orthodoxi? Quorū tēpore si Dominus noster Iesus Christus, quē cupiebāt audire, & videre, venisset in hūc mūdū, sicut in nostris venit tēporibus: nō minus sancti fuissent illi,

Heb. 11.

Illi non solum fide, sed nomine Christiani, eius doctrinam,
 & sacramenta suscipiendo, fuerunt eorum successores. De illis
 Saluator noster suis loquens discipulis, ait. *Amen dico vo-*
bis, quia multi Propheta, & iusti cupierunt videre, quæ vide- *Matth. 31:*
ris, & non viderunt: & audire, quæ auditis, & non audierunt:
 Sed quamuis sacramenta gratiæ, quæ nos his diebus vide-
 mus in remissionem peccatorum à Christo Iesu instituta,
 illi non viderunt: & licet dogmata, & miracula, quæ ad salu-
 tem animarum, & confirmationem fidei diebus nostris au-
 diuimus à Domino Iesu dicta, & facta, illi non audierunt:
 hæc tamen omnia suis successoribus vaticinati fuerunt
 quemadmodum ait Petrus Apostolus. *Omnes Prophetae à* *Act. 3.*
Samuel, & deinceps, qui loquuti sunt, annūciaverunt dies istos.
 Quamobrem non est existimandum, successores illorum
 ad Religionem illorum ideo non pertinere, quia sunt Chri-
 stiani: sed multò magis esset arbitrandum, ipsos successores
 nihil ad Religionem eorum attinere, si Christianitatis ri-
 tum, ad animarum salutem consequendam, nō suscepissent,
 sicut eis illi Prophetae vaticinati fuerunt. Teste enim Beato
 Petro Apostolo, *De animarum salute exquisierunt, atque* *I. Pet. 1.*
scrutati sunt Prophetae, qui de futura in nobis gratia propheta-
uerunt, scrutantes, quod, vel quale tempus significaret eis spi-
ritus Christi, prænuntians eas, quæ in Christo sunt passiones, &
posteriores glorias, quibus reuelatum est, quia non sibi ipsis, no-
bis autem ministrabant ea, quæ nunc nuntiata sunt nobis,
 Successores igitur illorum sanctorum Prophetarum, qui, si-
 cut dictum est, in eremo montis Carmeli, & in solitudini-
 bus prope fluenta Iordanis, ac in alijs desertis, & in vrbi-
 bus terræ promissionis habitabant, ab ipsis Prophetis incū-
 stanter traditum (vt præmittitur) tenebant, Christum pro
 humani generis redemptione incarnandum, moriturum, &
 gloriose resurrecturum: quem ex totis eorum præcordijs
 desiderabant, & sperabant venturum. Quos sicut Deus per
 Eliam, & cæteros eiusdem propositi Prophetas instituere
 de aduentu Christi futuro dignatus fuit: ita etiam, vt de
 præsentia Christi in mundo per eius præcursores eos
 G 3 doceret,

doceret, disposuit, quod dictus præcursor sic ante Christum in spiritu Eliæ, & virtute præcederet, vt iam in sua præsentia monasticam eorum vitam eremiticam ab Eliæ Prophetæ institutam assumeret. Quod nec Lucas Euangelista siluit, de ipso præcuratore dicens. *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in desertis.* Notandum autem, quod ait Lucas *in desertis*, quia Ioannes tam in desertis solitudinis Iordanis (sicut filij Prophetarum) quàm in desertis montium latuit, sicut Elias, & Eliseus.

Cap. XXIX. Ioannes Baptista verus Eliæ imitator. Ab ipso filij Prophetarum, Eliæ successores, fuerunt baptizati, & ad Christi fidem suscipiendam instructi.



Hic illi viri processerunt Elias, & Eliseus, Ioannes, & Elizabeth, qui pelliceis tunicis, & caprinis induti, inopes, atque egentes, angustijs, & doloribus afflicti in solitudinibus errabant inter alta, & condenta montium, inuia rupium, inter speluncarum horrenda, & fouearum vadosa: quorum conuersatione dignus non erat orbis terrarum. Ideo Christus sciens, Ioannem expressam monasticæ vitæ Prophetæ Eliæ imaginem gerere, dixit de eo Turbis: *si vultis accipere, ipse est Elias.* Ioannes autem Eliæ dicitur, non secundum stultos Phariseos, & quosdam hæreticos, qui reuersionem animarum introducunt: sed quia (iuxta aliud testimonium Euangelij) *venit in spiritu, & virtute Eliæ, & eandem Spiritus sancti vel gratiam habuerit, vel mensuram.* Sed & vitæ austeritas, rigorque mentis Eliæ, & Ioannis pares sunt: vterque enim in eremo, vterque zona pellicea cingebatur. *Hic Ioannes venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum,* præiuit enim ante faciem Domini parare vias

vlas eius. Anno siquidem quintodecimo Imperij Tiberij Casaris factum fuit verbum Domini super Ioannem habitantem in deserto apud fluenta Iordanis : vbi prædicti Religiosi, filij Prophetarum manebant: & venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum. Tunc, sicut testatur Euangelista, exhibat ad eum Hierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata sua. Propter quod religiosi, filij Prophetarum montis Carmeli, & alij in tabernaculis prope fluenta Iordanis, & in cæteris eremis terre promissionis habitantes, fuerunt tunc à sancto Ioanne duce eorum, sicut & cæteri de populo, baptizati. Præparabantur autem ipsi per hoc ad vnigenitum Dei filium dignè cognoscendum: qui tunc inter homines ignotus conuersabatur, sicut ipse Baptista palam reuelauit tunc Iudæis dicens, *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis ipse est, qui post me venturus est, & ante me factus est, cuius non sum dignus, vt solua corrigiam calceamenti eius.* Cum ergo prædicti Religiosi voce præconis intellexissent, vnigenitum Dei filium esse in mundo præsentem, què ex totis eorum præcordijs cupiebant videre, & à cæteris hominibus discernere: proposuerunt, Baptistæ inseparabiliter assistere, scientes, in eius Baptismo filium Dei manifestandum esse: sicut ipse Baptista testabatur dicens: *Vt manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans* Quemadmodum autem Iesum absentem Ioannes eis euangelizauerat: ita postmodum ipsum præsentem eis manifestauit. *Venit enim Iesus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo: videns autem Ioannes Iesum venientem ad se, indice eum omnibus prodens ait. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est, de quo dixi, post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat. Vt autem hoc præcursoris testimonium credibilius redderetur: baptizato Iesu à Ioanne, confestum aperti sunt cæli, & descendit Spiritus sanctus corporali specie in ipsum,* *Luc. 3.* tanquam digito quodam fidei omnibus demonstra-

ret, hunc esse illum, qui eis à Ioanne in baptismo manifestus prædicabatur. Denique hunc, super quem columba mansit, verum esse Dei filium, vox Patris de cælo tunc facta eos etiam docuit, dicens, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Quamobrem Baptista testimonium iterum perhibens de Christo, extollebat eius baptismum, dicens.

Ioan. 1.

Vidi spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & manentem super eum, & ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. Ne itaque prædicti Religiosi spem salutis ponerent in præcursoris baptismo, ipse perfectiori baptismo

Matth. 3.

(scilicet Christi) eos fore baptizandos prophetauerat, dicens eis. *Ego baptizavi vos in aqua, ille vero (scilicet Christus)*

Ioan. 2.

baptizabit vos Spiritu sancto, & igne: quamquam, ut Ioannes Euangelista testatur, Iesus non baptizaret, sed discipuli eius.

Verum quod ille dicitur præcipue rem aliquam facere, cuius autoritate, & nomine eam alius facit: & quia Apostoli, post acceptum Spiritum sanctum, baptizabant homines in nomine Domini Iesu, sicut beatus Lucas testatur, & sub inuocatione huius nominis descendebat Spiritus sanctus super baptizatos in specie ignis visibilis: ideo dixit Ioannes Religiosis prædictis, Ille, (scilicet Christus) baptizabit vos Spiritu sancto, & igne. Innuebat autem per hoc eis, quo tempore essent ipsi baptismo Christi baptizandi, qui scilicet tunc Apostoli baptismum conferrent in nomine Iesu Christi, & Spiritum sanctum in specie ignis visibilis acciperent illi, qui ab eis baptizarentur sub inuocatione nominis Christi.

Quod, ante Christi Resurrectionem, & gloriosam eius in cælos ascensionem, factum non fuisse, Ioannes Euangelista

Ioan. 7.

evidenter testatur, dicens. *Nondum erat spi-*

ritus datus, quia Iesus nondum

erat glorifica-

tus.

Cap. XXX. Carmelita Hierosolymis post
Ascensionem Christi ad fidem sunt con-
uersi, & baptismo Christi
baptizati.



Emporibus antè baptismum Ioannis pre-
cedentibus, gens Iudæorum à diuersis gen-
tibus, & Regibus multas perpeffa fuerat ca-
ptiuitates, & dispersa in diuersas gentium
nationes: maximè autem ab Antiocho Epi-
phane Rege Syriæ durissimas sustinuerat
in lege persecutiones. Sicut namque refert sacra libri Ma-
chabæorum historia, Antiochus ad tantum Iudæos dedu-
xit opprobrium: vt legem Dei obseruare volentibus mor-
tis infligeret tormentum. Quisque enim cogebatur idolis
offerre sacrificium, vel necis pati suppliciū. Propter quod,
multos promiscui sexus de populo Iudæorum has oppres-
siones, & abominationes ferre non valentes, oportuit, pro-
prium patriam relinquere, & in alijs diuersis mundi regioni-
bus dispersos habitare. Qui in dispersione genuerunt fi-
lios loquentes idiomata, & linguas gentium illarum regio-
num, in quibus nascebantur, & educabantur. Ex his autem
Iudæis, natis in regionibus illis, multi deuotione terræ pro-
missionis tracti, tempore Imperij Tiberij Cæsaris, ad terrā
illam, cū in pacis teneretur tranquillitate, remeantes stu-
debant religiosè illic viuere, copulantes se prædictis Reli-
gionis habitantibus in terræ promissionis vrbibus, & præ-
fertim illis, qui manebant in Hierusalem, quorum meminit
B. Lucas in actibus Apostolorum, dicens, *Erant autem Hie- Acto. 25.*
rusalem habitantes Iudæi, viri Religiosi, ex omni natione, quæ
sub caelo est. Habebant siquidem prædicti Religiosi tunc
mansionem maximè in Hierusalem. Quia, cum esset ciuitas
in signis, & metropolis Iudæorum, in qua cultus diuinus
præcipuè vigebat: reperiebāt in ea plures deuotos Iudæos,
qui se ad eorum Religionem conuertebant. Quos post quā

Deut. 16.
2. para. 7.

prædicti Religiosi in rudimentis disciplinæ propheticæ, & monastica vitæ eremiticæ erudierant: ad eremos transferebant. Præceperat autem in lege veteri Deus, tres festiuitates peculiare (scilicet Paschæ, Pentecostes, & Scenopegia) debere per Iudæos solenniter celebrari: quas Iudæis alibi celebrare nō licebat, quàm in loco, quem elegerat Deus nomini suo, sicut inādauerat Moyfes in Deuteronomio. Et sicut ex libro Paralipomenon docemur, templum, quod erat in Hierusalem constructum, fuit locus ille, quem Deus elegerat nomini suo. In quo loco annuatim tribus vicibus (scilicet in prædictis festiuitatibus) omnes masculi stirpis Iudæicæ debebant ex præcepto legis in conspectu Domini apparere. Quamobrem Religiosi viri, filij Prophetarum, eremitæ montis Carmeli, & alij iuxta fluentia Iordanis, & in cæteris eremis, & suburbanis ciuitatem terræ promissionis habitantes, ne præcepta Regis transgredirentur, annis singulis in Hierusalem venire consueuerant: vt, iuxta legis præceptum, festiuitates peculiare Paschæ, Pentecostes, & Scenopegia illic celebrarent. Et ob hoc quàm maximè mansionem Religiosorum, filiorum Prophetarum habebant in Hierusalem: vt in dictis festiuitatibus conuenerent ad eam. Anno ergo, in quo Christus Iesus ascendit ad cœlum, omnes prædicti Religiosi, mox post eius ascensionem, conuenerunt in Hierusalem: vt ibi instans festum Pentecostes celebrarent. Habitabant autem tunc in Hierusalem Apostoli Domini nostri Iesu Christi prope mansionem dictorum Religiosorum, scilicet, in cænaculo grandi, & strato, in quo Christus in die coenæ fecit sibi parari Pascha, vbi sacramentum Eucharistiæ instituit, & corpus suum sub speciebus panis sumendum discipulis tradidit, eosquè sacerdotes ordinauit. Quod coenaculum erat in monte Sion, in illius montis parte, quæ dicitur Mello, vbi olim erat Palatium, quod Rex Dauid sibi construxerat. Et ita prædicti Religiosi fuerunt habitationi Apostolorum tunc vicini. In die itaque Pentecostes, sicut Beatus Lucas refert, factus fuit *de cælo repente sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis, & replexit totam domum illius cœnaculi, vbi erant Apostoli Christi, & discipuli*

puli sedentes. Et apparuerunt illis dispersita lingua tanquam ignis, seditque supra singulos eorum. Repleti sunt autem omnes Spiritu sancto: & ceperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Religiosi autem præfati in monte Sion, non multum remoti à prædicto cœnaculo, vt præmittitur, habitantes obstupuerunt, audientes, prædictum sonum insolitum resonare in cœnaculo Apostolorum. Et scire cupientes, quid nam hoc esset, ad illud cœnaculum Apostolorum accesserunt. Qui cum illic peruenissent, stupebant omnes, & mirabantur: quoniam non solum illi ex Religiosis, qui in terra promissionis, sed etiam omnes illi ex eis, qui extra dictam terram in diuersis Regionibus fuerant nati, audiebant Apostolos linguis suarum Regionum loquentes, & Deum magnificantes. Et propterea Religiosi magis stupebant, scientes, Apostolos Galilæos, qui nunquam extiterant in eorum regionibus, neque à quoquam homine docti fuerant, loqui eorum linguis, seu idiomatibus. Alij autem ex Iudæis, qui superuenierunt, audientes Apostolos loqui diuersis linguis, & eos minimè intelligentes, irridebant dicentes, eos esse ebrios. Beatus vero Petrus Apostolus cernens Religiosos, & quosdam alios ex superuenientibus esse scientes, incepit detrahentibus obuiare, ostendens, Apostolos non esse ebrios, & per scripturas Prophetarum eos Spiritu sancto repletos. Euangelizauit quoque Religiosis, Iesum à mortuis resurrexisse: & ipsum esse Deum, qui Apostolis Spiritum sanctum effudit, exhortans, vt à praua generatione Iudæorum segregarentur. Auditis ergo sermonibus Petri, Religiosi compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & cœtum Apostolorum. *Quid faciemus viri fratres? Ad* Act. 2.
 quos Petrus. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Domini nostri Iesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti:* alijsque pluribus verbis exhortatus est illos Petrus. Multi ergo ex prædictis Religiosis videntes, quod illi, quos Apostoli baptizabant in nomine Iesu Christi recipiebant

hanc in specie ignis visibilis Spiritum sanctum : recordati fuerunt, aduenisse tempus, de quo dux eorum B. Ioannes Baptista Christum prophetans eis, prædixerat: *Ille* (scilicet Christus) *baptizabit vos in igne, & Spiritu sancto.* Quamobrem acceperunt sermones Apostoli Petri, & baptizati sunt ipsa die in Christo, recipientes in signo ignis visibilis Spiritum sanctum.

Cap. XXXI. Carmelita, visis Apostolorum miraculis, in fide magis sunt solidati, factique Apostolorum coadiutores.



Altera autem die, cum illi ex prædictis Religiosis, qui nondum erant ab Apostolis baptizati, essent causa orandi in templo cum reliquis de populo ad horam orationis nonam, suppliciter à Domino Deo postulabant, vt per signum eis ostenderet, si aduenerat tempus, de quo dux eorum Ioannes Baptista prædixerat: quod Christus Iesus Spiritu sancto, & igne baptizaret. Titubabant enim de hoc nonnulli eorum, qui nec viderant, nec audierant, Christum Iesum manibus suis quemquam baptizasse, cum ipsi Ioannis vaticinium non perfecte intelligentes, sperarent, sicut Ioannes suis manibus eos baptizauerat, ita Christum proprijs manibus eos baptizaturū. Exaudiuit autē tunc Deus orationem eorum, & ad rectum intellectum vaticinij Ioannis eos perduxit. Contigit enim eadem hora, sancto instigante spiritu, Apostolos Christi Petrum, & Ioannem ascendere in templum: & ad portam templi, quæ dicebatur Speciosa, obuium habere hominem quēdam *annorum amplius quadraginta,* ex utero matris suæ claudum, rogantem eos pro Eleemolyna: quem intuens Petrus cum Ioanne, dixit. *In nomine Iesu Christi Nazareni, surge, & ambula.* Et apprehensa manu eius dextera, leuauit eum: qui protinus exiliens ambulauit, & intrauit cum illis in templum laudans Deum. Videntes autē prædi-

Act. 4.

Act. 3.

prædicti Religiosi, & omnis populus eum in templo ambulantem, & laudantem Deum, & cognoscetes, quod ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam templi portam: repleti sunt stupore, & extasi in eo, quod contigerat illi. Et cum viderent Petrum, & Ioannem in porticu, quæ appellabatur Salomonis: cucurrerunt omnes ad eos. Quibus Petrus prædicauit, Iesum, quem populus per ignorantiam interfecerat, à mortuis resurrexisse: in fide cuius, & nomine, & non propria Petri virtute claudus curatus fuerat, propter quod Petrus eis dicebat. Nomen Christi, & fides, quæ per eum est, dedit isti integram sanitatem in conspectu omnium nostrum. Exhortabatur quoque eos Petrus, vt poeniterent, & conuerterentur ad fidem Christi, vt deleterentur eorum peccata: probans per scripturas Prophetarum, fidem Christi, & doctrinam esse ab eis suscipiendam, & omnes eos renuentes fore exterminandos. Vt autem Religiosos vehementius attraheret, cognominans eos proprio titulo, quem à Prophetis traxerant, dixit eis. *Vos estis filij Prophetarum, & testamēti, quod disposuit ad patres vestros, dicēs ad Abraham. In semine tuo benedicentur omnes familie terra. Vobis primum Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicientem vobis: vt conuertat se vnusquisque à nequitia sua.* Igitur Religiosi præfati, viso miraculo claudi, & audito sermone Petri, intellexerunt, quod sicut Christus suo nomine per Petrum inuocato, dederat integram sanitatem claudo: ita illos baptizabat *in igne, & Spiritu Sancto*, super quos Apostoli effuderunt aquam, nomen eius inuocando. Hinc ergo perpenderunt, quod ideo Ioannes Baptista dixerat eis propheticè, *Ille vos baptizabit Spiritu Sancto, & igne*, quia Apostoli aquam infundendo inuocabant super eos nomen Iesu Christi, & illos baptizabant, tribuentes eis Spiritum sanctum in specie ignis de cælo missi. Quamobrem crediderunt perfectè in Iesum *quinque millia hominum*: qui postmodum ab Apostolis baptizati, receperunt in signo ignis visibilis Spiritum sanctum. Erant autem perleuerates in doctrina Apostolorum, in communione fractionis panis: quotidie quoque perdurantes in orationibus vnanimiter in templo, cum exultatio-

Acto. 3.

Matth. 3.

exultatione, & simplicitate cordis collaudantes Deum: quibus omne spatium diei in studiorum exercitijs, & eruditione sacri Euangelij ducebatur. Habebant quoque tractatus sacrorum voluminum, leges Patrum in allegoricam intelligentiam deducentes. Quoniam omnis lex vetus eis videbatur animali esse similis, eo quod extrinsece nihil nisi ut corpus habeat ipsam litteram, & ea, quæ secundum litteram designantur: intrinsece autem sub littera, tanquam anima, lateat cuiusdam profundi, diuini que mysterij sensus inuisibilis, & spiritalis. Quem illi ab Apostolis edocti, sublimius, & nobilius, velut per speculum inspicientes, & ex ipsis litterarum nominibus admirandas quasdam species intelligentiæ concipientes, diuina, & profundiore sapientia sacrorum voluminum, tanquam copiosis dapibus imbuebantur. Denique eorum multi ea, quæ ab Apostolis hauserant, cæteris effundentes, fidem Christi per Phœniciam, & Palæstinam prædicabant, dilatantes dogma fidei, & moribus vitæ monasticæ conuersationem ecclesiæ Dei insignissimam demonstrantes.

Cap. XXXII. Carmelita lumine Euangelij eruditi, mysteria quondam ab Elia Prophetâ reuelata clarius intuentur.



Ost quam autem professores huius Religionis fuerunt per Apostolos baptizati, & in sacri Euangelij eloquijs eruditi, intellexerunt plenè, illud mysterium esse impletum, quod per Deum fuerat Prophetæ Eliæ in monte Carmeli reuelatum. Legimus enim in libro

3. Reg. 18.

Regnorum, quod Elias ascendit ad montem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua, & dicit ad puerum suum, ascende, & prospice contra mare. Qui cum ascendisset, & contemplatus esset ait: non est quicquam: & rursum ait illi: Reuertere septem vicibus: in septima autē

vice

vice ecce nubecula parua, quasi vestigiū hominis, ascendebat
 de mari in Carmelū. Ab eo autē loco Carmeli montis, vnde
 puer ascēdebat, vsq; ad summitatē mōtis, vnde poterat ma-
 re prospici, erant decē gradus, quos cū puer semel ascēdēs
 prospexisset cōtra mare, mandauit illi Elias (sicut est dictū)
 vt iterū alijs septē vicibus per eodē gradus reuertens con-
 tra mare prospiceret. Et in septima vice reuersionis vidit
 puer nubeculā illā, quasi vestigiū hominis, de mari ascēdē-
 tē in Carmelū, & dixit ei Elias. *Ascende, & dic Achab: un-
 ge currū tuū, & descende, ne occupet te pluuia. Cūque se ver-
 terent huc atque illuc: ecce cœli contenebrati sunt, & nubes
 & ventus, & facta est pluuia grandis.* Quid autē sacramen-
 ti rerū futurarū, præter historiā, visio illa intrinsecus cōtine-
 ret, & quod iugis mysterij Deus Elię tūc stāti pronō per eā
 portenderet, dignatus fuit Elias aperire, non palā homini-
 bus, sed secretius consortibus. Aquibus traditū tenemus,
 Deū sub figurata visione reuelasse tūc Elię quatuor magna
 mysteria, quę per ordinē explicabo. Primò, quod quædam
 infantula nasceretur, quæ ex vtero matris suæ ab omni pec-
 cato mūda egrederetur. Secūdo, tēpora, in quibus hoc adim-
 pleretur. Tertio, quòd hæc infantula virginitatē perpetuā
 ad exēplū Eliæ amplecteretur. Quarto, quòd Deus, iūgēs
 naturā suā humanæ, de virgine illa homo nasceretur. Per
 hoc nāque, quòd ille puer Eliæ vidit de mari nubeculā par-
 uam oriri, reuelauit Deus Eliæ, quòd quædā infantula (sci-
 licet B. Maria) per illā nubeculā significata, & instar illi⁹ nu-
 beculæ, per humilitatē parua, nasceretur de humana natura
 peccatrice designata p mare. Quæ infātula iā in suo ortu es-
 set mūda ab omni peccatorū sorde, quē admodū nubecula il-
 la fuit d̄ mari amaro, sine tñ aliqua amaritudine. Licet nāq;
 nubecula illa esset originaliter eiusdē naturæ cū mari: alte-
 rius tñ fuit qualitatis, alteriusq; proprietatis. Mare quippe
 pōderosum est, & amarū: sed nubecula illa leuis fuit, & dul-
 cis. Sic, quāuis in quolibet alio homine natura humana, in-
 star maris, sit in sua origine ita amaritudine peccatorū, & vi-
 tiorum pōdere pressa, vt fateri cogatur, *Iniquitates meæ super-
 gressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatae sunt super me:*
beata

beata tamen Maria de hoc mari (idest natura humana) aliter fuit orta: quia in suo ortu non fuit onerata amaritudine delictorum, sed, instar illius nubeculæ, fuit leuis per immunitatem peccatorum, & dulcis per plenitudinem charismatum. Ipsa enim in suo ortu fuit nubes illa, de qua per Moysen figuratè est scriptum, *Ecce gloria Domini apparuit in nube.*

Cap. XXXIII. Quid Deus Eliæ demonstrauerit in visione nubecula parua: explicaturque hac visio in allegorico sensu.



Ignificauit autem Deus Eliæ in prædicta visione, quo tempore nubecula illa (scilicet B. Maria) videretur à discipulis Eliæ de mari (idest, de amara, & vitiosa natura humana) oriri, & descendere. Nam ostensum fuit in eadem visione, quod nullus eorum videret eam ascendere, antequam ipse semel per decem gradus ascendens, contra mare prospiceret, & iterum alijs septem vicibus ad eisdem gradus ad contemplandum cōtra mare rediret. Dixit enim Elias ad puerum suum: *Ascende, & prospice contra mare: qui, cum ascendisset, & contemplatus fuisset, ait, Non est quicquam.* Quæro ergo, quid fuit, puerum Eliæ semel per decem gradus ascendere, ad prospiciendum contra mare, & tunc ei nihil apparere? Certe hoc nihil aliud fuit, nisi quod puer, (idest, cœtus discipulorum Eliæ) contemplando ascendit per illas decem generationes humanas à Beato Luca in genealogia Christi positas, quæ fuerūt ante diluuium ab Adam vsque ad Noe in prima mundi ætate: & per eas discurrendo totum tempus, quod fuit à Noe vsque ad Adam, puer prospexit, si forte eo tempore nubecula (idest infantula) aliqua esset nata: contra mare, idest, contra solitam amaritudinem in vitiosa propagine naturæ humanæ. Et quia nubecula illa non fuit à puero visa nasci in illa prima ætate mūdi, ideo puer dicit,

Non

Non est quicquam. Præcepto tamen Eliæ, redijt iterum puer septies per decem gradus ad prospiciendum contra mare, & rursus (inquit) ait illi: *Reuertere septem vicibus*, & in primis sex vicibus nihil illi apparuit. Hoc autem, scilicet, quod puer (idest cœtus discipulorum Eliæ) sexies per decem gradus rediens, nihil vidit: denotat, cum vltius per alias sex ætates generationum humanarum contemplando descendisse in genealogia Christi, quam B. Lucas textit à Sem filio Noe vsque ad Iamne filium Ioseph. Quarum generationum ætas prima, incipiens à Sem filio Noe, terminata fuit in Thare filio Nachor. Secunda verò ætas, incipiens ab Abraham filio Thare, terminata fuit in Salmon filio. Naason Tertia, incipiens à Booz filio Salmon, terminata fuit in Iona filio Eliachin. Quarta, incipiens à Ioseph filio Iona, terminata fuit in Elmadan, filio Her. Quinta incipiens à Chosan filio Elmadan terminata fuit in Ioseph filio Iudà. Sexta, incipiens à Semei filio Ioseph terminata fuit in Iamne filio alterius Ioseph. Per has quidem sex ætates generationum, à Beato Luca in genealogia Christi positarum ascendit puer, (idest cœtus discipulorum) Eliæ, discurrendo totum tempus, quod fuit à Iamne vsque ad Sem: & contemplando, si forte eo tempore nubecula (idest infantula) illa esset nata. Et quia in toto illo tempore nata non fuit: ideo tunc discipulis Eliæ minimè apparuit. In septima autem reuersionis vice nubecula eis apparuit: quia, in tempore comprehenso infra septimam illarum generationum ætatem Beata Maria nata, à discipulis Eliæ visa fuit. Vnde vice (inquit) una, ecce nubecula parua, quasi vestigium hominis, ascendebat de mari. Prædictus namque Iamne, in quo sexta illarum generationum ætas terminatur, genuit filium nomine Melchi, in quo incepit harum generationum ætas septima. Hic autem Melchi genuit Leui, & iste Leui duos habuit filios: vnum, qui à Beato Luca appellatur Mathat, sed ab illo dicitur Melchi, nomen aui sui retinens: & alium, qui vocatus fuit Panthera. Iste vero Panthera genuit filium nomine Barpanthera: & hic Barpanthera genuit filium nomine Ioa-

chim, qui ex Anna vxore sua genuit Beatam Mariam . Et ita in vna reuersionis vice (hoc est in vna generationum ætate, que fuit vna ab illa, in qua homines per Dei præceptum reuersi fuerunt post diluuium ad multiplicandum genus humanum) nata fuit Beata Maria , scilicet, in medio illius ætatis septimæ . Quæ etiam fuit defuncta , antequam prædicta generationum ætas septima esset terminata . Sed prius quàm ipsa Dei genitrix ab hoc sæculo migraret , fuit in Nazareth , & in Hierusalem , & alibi à professoribus huius Religionis multoties visa .

Cap. XXXIII. In quo prosequitur visionem prædictam, applicans eam Beata Virgini.



Vemadmodum hæc nubecula, (scilicet Beata Maria) in septima generationum prædictarum ætate fuit nata : ita etiam in eadem septima ætate fuit à discipulis Eliæ visa in Carmelum spiritualiter ascendere . Nã antequàm decẽ generationes ascendissent à Melchi , à quo (sicut dictum est) ætas vna incepit : fuerunt docti professores huius Religionis in Hierusalem à summo templi Pontifice, quod Beata Maria virginitatem Deo seruare proposuerat , ad exemplum Eliæ , sicut præostensum fuit in prædicta visione . *In vna (inquit) vice ecce nubecula parua (scilicet Beata Maria) quasi vestigium hominis ascendebat in Carmelo . Quæ ideo visa fuit, quasi vestigium hominis, ascendere in Carmelum : quia in hoc suo spiritali ascensu non fœminam, quam imitaretur, sed hominem habuit in exemplum . Alioquin nunquam nubecula illa ascenderet in Carmelum, ad quem ascenderunt utique Elias, & puer suus . Ascendit (inquit) Elias in verticem Carmeli . Interpretatur autem Carmelus (scientia circum-*

cisio-

cisionis,) ad quam scientiam ille præcipuè ascendit, qui ita scit præputium impuditiæ à sua carne, & mente circumcidere: vt non solum se ab illicito carnalis cogitationis cœno alienum per castitatem reddat: verum etiam ab omni impudicæ voluptatis experimento se immunem per virginitatem custodiat. Propterea quippe data fuit circumcisio in veteri lege: vt facta in virili membro, in quo libido solet dominari, castitatem mentis, & corporis seruandam, & pudicitiam restringendam indicaret. Nemo autem vnquam ad hanc ascendit circumcisionis scientiam prius quam Elias, & puer suus, (id est, cætus filiorum Prophetarum, & discipulorum eius.) Ipsi namque primi virorum se ipsos Deo per virginitatem perpetuam sponte dedicantes, castrauerunt prorsus venereis voluptatibus suas mentes: & propterea appellati sunt Carmelitæ, quod est interpretatum (scientes circumcisionem.) Quia hoc, quod circumcisio indicat, cæteris præcellentibus hominibus altius inchoâtes, sciuerunt perfectè in se adimplere. Ad montem quoque Carmeli, id est, ad hanc altam circumcisionis scientiam nubecula illa (scilicet Beata Maria) ideo quasi vestigium hominis ascendebat: quia non scemina, sed homo (scilicet Elias) exemplum ascèdendi ei præbebat: quem ipsa imitari satagebat. Nam sicut Elias prius præputium impuditiæ sciuit à sua carne, & mente prorsus circumcidere, dum primus inter in homines studuit virginitatem per, etiam sponte inchoare: ita postea Beata Dei genitrix præputium impuditiæ sciuit exemplo Eliæ à se penitus circumcidere, dum (quasi vestigium hominis illius) elegit prima sceminarum propter Deum in virginitate perpetua viuere. Hinc est, quod sponsus in Epitalamio illi dicit gratulabundus, *Caput tuum vt Carmelus: vbi per caput intelligitur rectè animæ mens.* Quia sicut in corporis membris caput præeminet: ita in viribus animæ mēs est dignior. Et sicut à capite membra: ita à mente cæteræ vires animæ reguntur. Carmelus vero, *Cognoscens circumcisionem*, interpretatur. Rectè igitur sponsus huic virgini congratulans ait, *Caput tuū, id est, mens tua, o Dei genitrix, est vt Carmelus, id est, vere cognoscens circumcisionem.* Quia prima sceminarum

per spontaneam voluntatem, & Virginitatem, sciisti à te prorsus circuncidere omnem veneream voluptatem.

Cap. XXXV. Explicatur amplius prædicta visio Eliæ.



Andem demonstratum est discipulis Eliæ in eadem visione, quo ordine nasceretur Dei filius de hac Virgine. Nam mox ut puer Eliæ, (scilicet cœtus discipulorum eius) vidit nubeculam illam de mari, quasi vestigium hominis, in Carmelum ascendere: dixit Elias puero suo, *Ascende, & dis Achab, Iunge currum tuum, & descende, ne occupet te pluvia.* Signum quippe expressum imminentis incarnationis filij Dei fuit, scilicet, quod cœtus discipulorum Eliæ vidit nubeculam, & infantulam illam, quasi vestigium hominis, ascendere per modum prædictum in Carmelum: hoc est, tantam habere circuncisionis lætitiã, & scientiam: ut seruare vellet continentiam. Vnde, cum cœtus professorum huius Religionis audisset in Hirusalem, iuenculam illam vouisse Deo virginalem continentiam, confestim perpendit, quod aduentus filij Dei prope, & in ianuis erat. Et quemadmodum Elias præceperat, ita ascendit tunc cœtus discipulorum eius per orationem ad Achab, qui *fraternitas paternitatis* interpretatur. Significat enim Dei Filium, interquem, & genus humanum, antequam ipse incarnaretur, erat fraternitas tantum paternitatis: quia à quo Patre fuit Dei Filius æternaliter genitus, ab eodẽ patre fuit creatum humanũ genus, ita ut Dei filius non confundatur Patrẽ suum appellare Patrẽ eorũ, dicens, *Ascendo ad patrem meũ, & patrem vestram.* Sed quia inter genus humanum, & Dei filium, antequam ipse incarnaretur, non erat fraternitas maternitatis, quoniam Dei filius nondũ erat ex matre natus: ideo optãs cœtus discipulorũ Eliæ, ut hæc fraternitas inter eos fieret, ascēdit per orationẽ ad Achab (id est ad Dei Filiũ) & sicut Elias præceperat, ita suppliciter Dei filio dicebat: *Iunge currum tuum.*

Currus

Currus quidem à currendo est dictus, est enim vehiculi rota circularis figuræ, & habilis ad portandum onus. Significat autem diuinam Filij Dei naturam, quæ est circularis, idest, æterna, & carens fine instar rotarum carri, quæ principio, & fine carent. Per quam naturam diuinam ipse exultauit vt Gigas ad currendam viam: portans, (vt ait Apostolus) omnia verbo virtutis suæ. Dicebat ergo suppliciter tunc illi puer, (idest coetus discipulorum) Eliæ, *Iunge* (naturæ scilicet nostræ) *currum tuum*, idest, æternam naturam tuam, & *descende ad nos, ne te occupet*, idest, retardet, sed magis prouocet *pluuia*, scilicet, quod *descendes sicut pluuia*. Decet enim te, *sicut pluuia in vellus*, descendere: quoniam vellus, pluuiam in ipsum sine strepitu descendentem accipiendo, vel reddēdo, non rumpitur, sed integrum seruatur. Ita quoque te decet, taliter, & absque strepitu operationis humanæ, in nubeculā (idest, in Virginem Mariam placido illapsu descendere, & currum tuum, idest, æternam naturam tuam humanæ naturæ in vtero virginis iungere: vt virgo, te Deum simul, & hominem concipiendo, deinde pariendo, non rumpatur, sed integra in sua virginitate conseruetur. Fuerunt autem exauditi Eliæ discipuli in hac supplici eorum deprecatione, sicut sequitur in prædicta visione: *Cumque* (inquit) *se verterent huc*, scilicet, ad contemplandam in adolescentula spontaneam virginitatem: *atque illuc*, scilicet, ad deprecandam pro descensu Filij summam Deitatem, *Ecce, cæli contenebrati sunt, & nubes, & vētus, & facta est pluuia grandis*. Per cælos honor, virtus, & celsitudo Filij Dei intelligitur, cuius aduentum præstolans Propheta dicebat, *Domine inclina cælos tuos & descende*: per nubem virgo Maria, sicut dictum est, designatur: per ventum vero Spiritus sanctus indicatur, quemadmodum per Prophetam dicitur, *Elabit Spiritus eius, & fluent aque*. Ideo cæli, & nubes, & ventus fuerunt tunc cōtenebrati, quando virtus altissimi obumbravit ei: *ideoque & quod natum est ex ea sanctum, vocabitur Filius Dei*. Et tūc facta est pluuia gratiæ grandis: quoniā *Verbū caro factum est, & habitauit in nobis: & vidimus gloriā eius, gloriā quasi vnigeniti à patre, plenū gratiæ, & veritatis*. De cuius plenitudine nos om

nes accepimus, & gratiam pro gratia, vt ait Ioannes Euangelista.

Cap. XXXVI. Cause, ob quas Carmelita dicti sint Fratres B. Virginis & Mariae: & de oratorio ab eis in monte Carmeli in laudem Virginis erecto.



Eccensentes ergo Religionis huius professores, Deū prædecessoribus eorū per visionē prædictā specialiter reuelasse, infantulam quandā nasciturā, quæ ex utero matris sue munda ab omni peccati sorde egrederetur & instar eorū, spontaneā virginitatem amplexaretur, de qua virgine Deus homo nasceretur: contemplantes etiam ipsi, hæc omnia postmodū fuisse adimpleta, & genus humanū per hanc virginem accepisse à Dei Filio desideratum ab eis pluuia (idest gratiæ diuinæ) beneficiū: curauerunt cū deuotione assiduè deseruire huic virgini, dudū eorū professoribus reuelatæ, ac desideratæ, & postea eis exhibitæ. Et studuerunt hanc specialiter virginem ideo sibi ipsis in patronam eligere: quia nouerūt ipsam solā singulariter eis conformē in primitijs virginitatis spontaneæ. Quæ admodum enī virginitas spontanea fuit primò per priscos professores huius Religionis inchoata, & in viris introducta: ita eadem virginitas fuit postmodum per Dei genitricem primò in foeminis introducta, & incepta, sicut supra commemorauimus. Propter quod, sicut Religiosi Carmelitæ sunt primicerij virorū virginum: ita B. Maria est foeminarū virginū voto primiceria. Quæ conformitas primiceriatus spontaneæ virginitatis, singulariter inter Dei genitricē, & religiosos Carmelitas dudū prophetata, & postea adimpleta fuit: ita, quòd Religiosi Carmelitæ Virginem Mariam iam tempore Apostolorum dicebant sororem suam, & propter dictam conformitatem, seipsos fratres Beatæ Mariae

riæ Virginis appellabant . Non arbitror autem , quòd negare velis , quin , eadem Religione salua , professores eius ex causis diuersis possint in temporibus discretis designari varijs titulis : alioquin in illum incideres errorem , quòd Religio Christiana non esset eadem in nobis , quæ fuit in Apostolis , & Christi discipulis . Quoniam Christianæ Religionis professores in exordio prædicationis Christi , & Apostolorum , non eodem designabantur cognomine , quo nunc designantur . Testante namque Beato Luca , cum Christianitatis professores prius dicerentur discipuli , postmodum verò Antiochiæ primò cognominati sunt Christiani . Nunquid autem quia prius alio , quàm nunc cognominabantur titulo , dices aliam fuisse in eis Religionem Christianitatis , quàm sit in nobis ? Absit . Hoc ergo etiam dices absurdum , reputare , monachos nunc montem Carmeli inhabitantes eiusdem non esse Religionis cum illis , qui in dicto monte conuersabantur ante incarnationem Saluatoris : licet illi Prophetæ , & filij Prophetarum dicerentur : & isti fratres Beatæ Mariæ cognominentur . Tunc enim , vt diximus , ipsi vocabantur Prophetæ , quando cum instrumentis musicis & Canticis , & Psalmis Deo psallebant . Adueniente autem noua lege , ritus psallendi Deo cum illis instrumentis musicis cessauit , & fuit in alium immutatus , sicut ait Apostolus , *Impleamini Spiritu Sancto , loquentes vobismetipsis in Psalmis ,* *Eph. 3 .* *& Hymnis & Canticis spiritualibus , canentes , & psallentes in cordibus vestris Deo .* Et quia ritus ille antiquus Deo psallendi cum instrumentis musicis nunc in vestra Religione non obseruatur : ideo eius professores modò Prophetæ non appellantur . Tunc etiam ipsi rectè filij Prophetarum dicebantur , quando per Prophetas regebantur , vt prædiximus : nunc autem nequaquam per Prophetas reguntur : ideo nec filij Prophetarum vocantur . Sicut eos tunc appellatos fratres B. Mariæ Virginis nemo sanæ mentis diceret , cū virgo Maria nondū esset nata . Sed , sicut dictū est , postquā tā expressā , & propriā primitiarū spōtaneæ virginitatis cōformitatē inter se , & Deigenitricē cognouerūt ad impletam : ipsi ex tunc fratres B. Mariæ virginis appellati fuerunt .

fuerunt . Et in memoriam visionis de ortu hulus virginis, præostensæ Sancto Prophetæ Eliæ sub specie nubeculæ ascendentis de mari in Carmelum, monachi prædicti anno incarnationis filij Dei octogesimo tertio diruentes eorum *Seunion* antiquum, ædificauerunt huic primæ virgini Deo dicatæ capellam quandam in monte Carmeli, iuxta fontem Eliæ, in situ illo, in quo Elias orans viderat nubeculam illam, quasi vestigium hominis, de mari ascendere in Carmelum: vbi professores prædicti seipso huic virgini commendantes, singulis diebus, in septem horis Canonicis ad effundendum dictæ virgini, & eius Filio sedulas preces, & supplicationes atque laudes, etiam tunc semper conuenerunt: ibique de verbo diuino, culpisque vitandis, & animarum salute procuranda humili colloquio adinuicem contulerunt. Et propterea cæteri, etiam ab eorum Religione externi, eos deinceps fratres Beatæ Mariæ Virginis de monte Carmeli semper appellauerunt.

Cap. XX XVII. De habitu monachorum Carmelitarum: Et primo de Zona, Et de eius significatione.



Nuestigato in præcedentibus, & aliquantulum descripto fundatorum, ac priscorum professorum nostræ Religionis cultu interiori, a nobis imitando, superest, tibi breuiter exponere (ò dilecte Caprasi) exteriorem habitus ornatum, propositum vobis ad

exemplum, per quem interioris dispositionis illorum Patrum, a vobis imitandæ, non modicam senties notitiam. Tēste namque sapiente, *Amictus hominis annuntiat de eo*, quemadmodum & fundator primus Religionis huius fuit a Rege Ochozia cognitus, exposita Regi per nuntios qualitate vestis. Sciscitabatur namque Rex a suis nuntijs, *cuius figura, & habitus esset vir, qui eis occurrerat, & loquutus fuerat: cui respondentes nuntij dixerunt, Vir pilosus erat, & Zona pellicea accinctus renibus*. Ex quo habitu confestim perueniens Rex in

in Prophetæ notitiam, ait, *Elias Thesbites est.* Zonæ quippe in dicio, & hirsuti, incultique corporis specie virum Dei indubitâter cognouit: quoniam zona pellicea (velut quoddam speciale signum impressum) suis renibus perpetuò cohærebat: qua accinctis lumbis, Elias dudum occurrerat à monte Carmeli vsque in Iezrael ante Regem Achab patrem Ochoziæ. Hoc ergo exemplo suo docuit Elias, monachum huius professionis debere cinctis lumbis incedere. Nam & Ioannes Baptista, qui in spiritu, & virtute Eliæ venit, eum in accinçãoe lumborum imitatus fuit, de quo Euangelista sic ait. *Erat Ioannes vestitus pilis camelorum, & Zona pellicea circa lumbos eius.* Huius autem zonæ habitu non paruum est, quòd à monacho exigitur sacramentum. Lumborum enim accinção, & ambitus zonæ pellicæ significat, monachum debere mortificationem illorum membrorum circumferre, in quibus luxuriæ seminaria continentur. Vt ita, videlicet, sint lumbi eius zona pellis emortuæ exterius præcincti, quatenus interius inueniantur seminaria coitus in eo prorsus extincta: & decantet dignè cum Propheta: *Factus sum sicut vter in pruina*, quia, scilicet, præditus gelu continentia ita stringo in lumbis conscientia: concupiscentia carnalis ardorem, sicut pruina congelando perstringit vterem. Hinc in sacra scriptura legimus, Eliam ideo primum omnium fuisse zona pellicea in lumbis cinctum: quia primus hominū hoc signo dedit monachis exemplum restringendi in lumbis, & mortificandi omnis luxuriosi motus incentiuum, per modum, de quo Apostolus ait. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, & concupiscentiam malam.*

3. Reg. 18.

Mar. i.

Cap. XXXVIII. De Melote, qua à professoribus huius Religionis olim gestabatur: & de huius habitus significatione.



Elotes quoque gestasse fundatores primos huius Religionis, Eliam, scilicet, & eius discipulos filios Prophetarum, Apostolus de eis loquens asseuerat, dicens. *Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ.* Dicitur enim Melota propriè à melo animali, quod etià Taxus appellatur: de cuius pilis, vel pelle facta vestis, quæ est valde hispida, Melota propriè vocatur. Quanquam quælibet vestis de pilis animalium asperis, aut de pellibus hispidis facta, Melota vulgariter dicatur: nã & indumētū de Camelorū pilis, vel de pilis caprinis, cōsuevit cōmuniter Melota dici à multis. Quo etiã habitu in noua lege Ioannē Baptistam fuisse indutum Euangelista testatur, qui ait. *Ipse autem Ioānes habebat vestimentum de pilis camelorum.* Huius autem Melotæ gestatio, succedentibus temporibus, derisum potius, quàm ædificationem eam videntibus comparabat. Idcirco vestem illam cilicinam despectam cunētis, & quæ ex hoc ipso nulla poterat spiritus emolumenta conferre, sed elationis concipere natiuitatem, professores huius Religionis cōcordi sententia refutarunt. Loco autem eius, tunicam lanæ non pretiosæ, sed mediocriter asperæ, eiusdem coloris, cuius existerat melota, subtus scapulare gestare assumpserūt. Quoniam dictorum sanctorū Patrum nostrorū, tam veteris, quàm nouæ legis, exemplis ostenditur: monacho huius professionis conuenire, vestem habere asperam, & magis contrahentem corpus, quam fouentem: & illi repugnare, vestem habere pretiosam, & delicatam, seu mollem, aut delectantem carnem. Si enim habitationi solitudinis cōueniret, indumentis mollibus vestiri: concessisset vtique Dominus, hominem vestimentis mollibus indutum ita in desertis esse videndum, sicut in domibus Regum. Hoc autem vigilanter abnuuit, dicens. *Quid existis in desertum videre, hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce, qui in veste pretiosa sunt, & in delicijs, in domibus Regum sunt.* Huius autem tam Melotæ, quàm vestis asperæ gestatio significat, Monachum, cuius officiū est lugere se, & mundū, debere Deo exhibere sedulū pœnitentiæ

Matth. 3.

Matth. 11,
Luc. 7.

tentiæ fructum: in asperitate enim vestis punctio peccatorum: in colore autem eius, quæ atramentario, vel nigro est infecta, pulvis ostenditur mortuorum. Et idcirco utrūque horum debet Monachus adhibere ad pœnitentiam: vt in punctione asperæ vestis recognoscat, quid per culpam fecit, de quo pungatur, & doleat: & in colore vestis atramentario, seu nigro, perpendat, quid per iudicium meruit: quia mortem non modo temporalem, sed æternam quoque paueat. Quemadmodum Propheta ait. *Accingere cilicio, & cōspargere: quasi luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum.* Hiere. 6.

Cap. XXXIX. De superhumerali, siue, ut alij vocant, Scapulari: & de eius significatione.



Superhumeralibus etiam prisci vestræ Religionis professores tempore legis veteris vtebantur. Præceperat enim Iudæis lex, in quatuor angulis suarum vestium fimbrias, & infimbrijs funiculos facere. Quas fimbrias cum funiculis dicti profeslores, iuxta legis præceptum, in quatuor inferioribus angulis superhumeralium gestabant. Erat autem superhumerale vestis sine manicis, vsque ad renes descendens, in vtroque latere aperta, brachijs etiam ea nudatis, cuius posterior pars in humeris copulabatur parti anteriori. Nouæ autem legis tempore huic vesti in apertura colli iunctum fuit caputium, tegens caput, & scapulas. Quam nostræ Religionis professores (fimbrijs, & funiculis ab ea resecatis) vsque nunc summa cum diligentia diebus ac noctibus indefinenter gestabant. Per hoc autem, quod hæc vestis capite, & scapulis ea onustis, & opertis, iugiter à Monacho portatur: denotatur, Monachū debere semper iugū obedientiæ super se humiliter ferre, & superiori suo irrefragabiliter subiacere, Apostolo Paulo ita prædicante, *Obedite præpositis vestris, & subiacere, illis* Hebr. 13.

illis. ipsi enim peruigilāt, quasi rationem pro animabus vestris redditi-
 ri: vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit
 vobis. Nam si eis non obediretis, Christum, qui eos posuit su-
 per capita vestra, sperneretis. In eo autem, quod hac veste,
 brachia, & latera corporis nudantur, vt expeditiora red-
 dantur ad opus: significatur, quod monachus eam gestans
 debet esse semper prōptus ad exercendum Dei opus: quem
 1. Cor. 15. admodū Apostolus præcipit, dicens: *Itaq̄, fratres mei dilectissimi*
mi, stabiles estote, & immobiles, abundantes in omni opere, Deo semper
seruientes, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. Et
 propterea omnem negligentiam ab opere Domini repel-
 lere debet Monachus: quoniam, sicut Propheta ait, *Maledi-*
ctus est, qui opera Dei facit negligenter.

*Cap. XL. De pallio albo ad imitationem
 Eliæ ferendo: & de illius signi-
 ficatione.*



Allo quoque monastico indutum fuisse
 primum fundatorem huius Religionis, sci-
 licet, Eliam Prophetam, sacræ scripturæ
 authoritate monstratur. Nempe hoc habi-
 tu operuit Elias vultum suum, cum in mon-
 te Oreb trāfiret Deus ante eum. Hoc quo-
 que pallium misit ipse super Eliseum, quando accepit eum
 in discipulum. Pallium autem istud fuit vestis rotunda, à
 collo vsque ad medias tibias totum corpus operiens, ante-
 rius aperta, sed alibi vndique clausa, superius angusta, infe-
 rius amplitudine expansa. Hoc pallium Elias Propheta Eli-
 seo dimisit, dum ab eo in paradisum voluptatis ascendit.
 Docuit autem per hoc Elias, monachos hanc Religionem
 profitentes debere pallio superuestiri albo, quemadmodū
 eos albis indutos Dominus præostendit Sabachæ patri
 Eliæ. Ante, quippe, filij sui Eliæ natiuitatem, vidit Sabacha
 in somnis viros candidatos, qui ipsum salutabant. Quæ vi-
 sio illi præsignauit, quales eius filius Elias imitatores suæ
 vitæ

vite monasticæ habiturus esset. Cernēs nāque Sabacha viros candidos, vidit in spiritu Religiosos per Eliam instituēdos: quos ideo candidatos vidit, quia Eliam, velut monasticē viuendi exemplar, erant imitaturi in candore nedum mentali sinceræ puritatis, sed etiam corporalis habitus albi eos desuper tegentis. Huius autem pallij gestatio significat, Monachos istius professionis debere & puritatem mentis seruare, & etiam sanctimoniam Carnis custodire: quemadmodum Apostolus prædixit, dicens: *Mandemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Domini: non enim vocauit nos Dominus in immunditiam, sed in sanctificationem.* Hinc Elias, qui primus vsum huius pallij albi in monachis introduxit, per hoc significauit, monachū pallio albo opertum debere, exemplo eius, seruare sanctimoniam, nedum in mente, sed etiam in carne: quatenus vestimenta illa, de quibus Beatus Iob Domino loquens, ait, *Pelle, & carnibus vestisti me, seruet monachus per sanctimoniam semper munda, sicut scriptum est: Omni tempore sint vestimenta tua candida.*

2. Cor. 7.

Iob. 10.
Eccli. 9.

Cap. XL I. De baculo & spiritali eius. significatione.



Aculum denique gestasse primos huius Religionis professores, Eliscus, qui vnus fuit ex ipsis, docet. Mittens enim Giezi puerum suum ad suscitandum mulieris Sunamitis filium, dixit ei. *Tolle baculum meum in manu tua, & vade, & pone baculum meum super faciem pueri.* Quem vtique non dedisset ei Propheta gestandum, nisi eum manu sua solitus esset portare. Hoc autem suo exemplo docuit Eliscus, monachum huius professionis debere baculum in manu sua circumferre. Huius verò baculi gestatio spiritaliter monet, Monachum nunquam debere inermem incedere inter tot oblatrantium concupiscentiarum

4. Reg. 4.

& vi-

& vitiorum canes, & inter tot inuisibiles spiritualiū nequi-
 tatiū bestias, de quibus Propheta postulans per Deum li-
 berari, ait: *Ne tradas, Domine, bestijs animas confitentes tibi.* De-
 bet enim monachus fide munitus resistendo eas longius
 propulsare, Apostolo Iacobo ita dicente: *Resistite Diabolo, &
 fugiet à vobis.* Aduersum se etiam fauientes concupiscentia-
 rum, & vitiorum canes debet Monachus retundere, imita-
 tione Dominicæ passionis, & eiusdem mortificationis exē-
 plo, ita dicente Apostolo: *Qui Christi sunt carnem suam crucifi-
 xerunt cum vitijs, & concupiscentijs.* Vides ergo quia sicut accin-
 ctio zonæ pellicæ specialiter denotat, Monachum debere
 omnē luxuriosum motū extinguere in mēbris, in quibus se
 minaria coitus cōtinentur, & castitate in mēbris illis pol-
 lere: ita gestatio pallij albi generaliter monstrat, Monachū
 debere omnem culpabilem immunditiam à carne, & à spiri-
 tu suo repellere, & in vtroque per virtuosam puritatem ful-
 gere. Et sicut gestatio scapularis significat, debere Mona-
 chum suo Superiori propter Deum obedire, & opera ei
 prompte exercere: ita baculi gestatio designat, monachum
 nullis Diaboli, aut mundi, vel carnis tentationibus debere
 parere sed longe à se eas propulsare. Melotæ autem, seu ve-
 stis asperæ gestatio significat, Monachum debere per dig-
 nam poenitentiam emendare omne, quod ex ignorantia,
 vel ex infirmitate contigerit, eum circa præmissa peccare.
 Hæc de nostræ Religionis habitu, & eius significatione à
 nobis præscripta, breuiter admonent huius professionis
 Monachum, vt reuerentiam sui habitus in opere, in locutio-
 ne, & in cogitatione sua semper circumspectat: atque ea, quæ
 mundi sunt, perfectè deserat: & quod ostendit humanis ocu-
 lis habitu, hoc ante Dei oculos moribus prætendat, *amiclus
 semper lumine vitæ, sicut vestimento, sicut scriptum est: Beatus
 qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videat
 turpitudinem eius.* Quod nobis præstare dignetur Dominus
 noster Iesus Christus Dei Filius, qui cum Patre, & Spi-
 ritu sancto vivit, & regnat benedictus, & glo-
 riosus, Per omnia sæcula sæcu-
 lorum Amen.

Finis Regulae Ioannis.



VB hac igitur Ioannis exhortatione, siue Regula, Carmelitæ ad perfectionem, & finē vitæ solitariæ, secundum formam ibi præscriptam, tendere conabantur. Deinde temporis successu Aymericus Antiochenus Patriarcha, & sedis Apostolicæ legatus Eremitas Eliæ successores per Carmeli saltus, & speluncas dispersos in vnum coëgit, eosque sub obedientia Bertholdi, quem primum Priorem Generalem tunc agnouerunt, constituit. Et ob id Aymericus dicitur nostrum ordinem reformasse, vt docet Onuphrius Pambinus in Cronico Ecclesiastico, circa annum 1141. vbi ait. *Ordo Carmelitarum restitutus, & reformatus ab Aymerico Malefayda Patriarcha Antiocheno, & Sedis Apostolicæ Legato.* Idem docet Guillelmus Tyrus. libr. 5. continuationis, cap. 3. & alij, de quibus nos latinis lib. 1. Antiquitatis nostri ordinis, cap. 9. diximus. De tempore verò, quo Aymericus ordinem Carmelitarum reformauit, satis non constat apud autores. Nos tamen vt veriore sententiam loco citato amplexati sumus eam, quæ tenet, id contigisse circa annum 1120. In quibus autem ordinem reformauerit, attigimus supra in præfatione ad Regulam Ioannis.

Onuf. Pãbi.

Guille. Tyr.

Sed Aymerici labore non omnino ordo fuit restitutus. Nam cum commune sit Religionibus omnibus temporū diuturnitate senescere, tot sæculis transactis non mirum, si Eliæ, & Prophetarum institutum in dies à priori illa viuendi norma deuiaret: tum, quia Regula Ioannis; etsi miras institutiones contineret; eas tamen in vniuersali monendo potius quam præcipiendo proponebat & prolixius, quam stylus Regulæ poscebat, Regulas tradebat: tum, quia cum iam Aymerici opera communiter vixissent, nouis constitutionibus nouo viuendi modo accommodatis indigebant, quæ in Regula Ioannis non inueniebatur. Quare tempore Brocardi, qui Bertholdo Priori generali successit, ad Albertum Patriarcham Hierosolymitanum, Regulam breuiorē clariorem, & suo viuendi modo magis accommodatam potentes confugerunt: quam Albertus (vt infra dicemus) composuit, eisque tenore sequenti

obseruandam tradidit.

Cap.

Cap. III. De Regula primitiua ab Alberto
Carmelitis tradita.



Albertus Hierosolymitanæ Ecclesiæ Patriarcha, Eremitarum montis Carmeli suspicatus incommoda, quæ ex Ioannis Regulæ obseruatione illis contingere poterant, præcauens in futurum, suis fratribus Carmelitis Regulam perfectione, discretionem, breuitate, & claritate conspicuam, partim ex Ioannis Regula, partim ab experimento noui ordinis statum desumptam confecit. Et quamuis hic proprius se offerat differendi locus de autore huius Regulæ, de tempore, de confirmatione, & de alijs qualitatibus: maioris tamē claritatis gratia id prætermittimus, infra idem latius ostensuri. Illud solum hic addendum fuit, Albertum his institutionibus labentem iam Religionem ad pristinum statum reuocasse. Nam, vt Onuphrius Pambinus, in Chronicon ecclesiastico, circa annum Christi. 1205. scripsit, *Regula fratrum Carmelitarum ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano scribitur, ordo restituitur, & reformatur, &c.* Idem affirmat Burdegalensis, lib. 2. Chronograph. circa annum. 1198 his verbis: *Sub Innocentio III. ordo Carmelitarum ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano instauratur.* Quibus subscribit Nauclerus tomo. 2. Chronicon, generatione 41. dicens: *Albertus Hierosolymorum Patriarcha labentem in Syria Religionem restituere conatus est. Carmeli montis incolas fratres disciplina & Regula coercuit: quæ Regula tunc Romæ probata est.* Hæc Nauclerus: & loquitur de tempore Innocentij III. Et Chronicon Chronicorum in. 6. ætate. fol. 207. *Ordo Carmelitarum in Syria apud Carmelum montem ab Alberto Hierosolymorum Patriarcha excitatur, atque idem Regulam suo iure confectam obseruandam primo obtulit, & confirmauit.* Ex quibus colligere etsi obiter licet, primum, Albertum non inuituisse, sed potius instaurasse, excitasse, ac renouasse Carmelitarum ordinem: secundum, sua auctoritate, quam tunc à iure habebat, tradidisse, & confirmasse. De qua nos quoque infra latius dicemus.

Onuphrius.
Burdegalen.

Nauclerus.

Chronicon
Chronicorū.

Regula primitiva fratrum Beatae Mariae
de monte Carmeli ab Alberto Hiero-
solymitano Patriarcha
eis tradita.

§. I.



Albertus Dei gratia Hierosolymitanae Ec-
clesiae vocatus Patriarcha dilectis in Chri-
sto filijs Brocardo, & ceteris Eremitis,
qui sub eius obedientia iuxta fontem Eliae,
in monte Carmeli morantur, salutem in Domino, &
sancti Spiritus benedictionem. Multifarie, multisque
modis S. Patres instituerunt, qualiter quisque in quo-
cumque ordine fuerit, vel quaecumque modum Religio-
sa vita elegerit, in obsequio Iesu Christi vivere debeat,
& eidem fideliter de corde puro, & bona conscientia
deservire. Verum quia requiritis à nobis, ut iuxta propo-
situm vestrum tradamus vobis vitae formulam, quam tenere
in posterum debeatis:

1 Illud in primis statuimus, ut unum ex vobis
habeatis Priorem, qui ex unanimi omnium assensu,
vel maioris & sanioris partis, ad hoc officium eliga-
tur, cui obedientiam promittat quilibet aliorum, &
promissam studeat operis veritate servare.

2 Praeterea iuxta situm loci, quem inhabitare pro-
posueritis, singuli vestrum singulas habeant cellulas se-

paratas, sicut per dispositionem Prioris ipsius, & de assensu aliorum fratrum, vel sanioris partis, eadem cellula cuique fuerint assignata.

3 Nec liceat alicui fratrum, nisi de licentia Prioris, qui pro tempore fuerit, deputatum sibi locum mutare, vel cum alio permutare.

4 Cellula Prioris sit iuxta introitum loci, ut venientibus ad eundem locum primus occurrat, & de arbitrio & dispositione ipsius postmodum quæ agenda sunt cum ita procedant.

5 Maneant singuli in cellulis suis vel iuxta eas, die ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes, nisi alijs iustis occasionibus occupentur.

6 Hi, qui litteras nouerunt, & legere Psalmos, per singulas horas eos dicant, qui ex institutione sanctorum Patrum, & Ecclesiæ approbata consuetudine ad horas singulas sunt deputati. Qui verò litteras non nouerunt, viginiquinque vicibus dicant Pater noster, in Nocturnis vigilijs, exceptis Dominicis & solemnibus diebus, in quorum vigilijs prædictum numerum statuimus duplicari, ut dicatur Pater noster vicibus quinquaginta. Septies autem eadem dicatur oratio in laudibus matutinis: in alijs quoque horis septies similiter eadem sigillatim dicatur oratio, præter officia vespertina, in quibus ipsam quindecies dicere debeatis.

7 Nullus fratrum sibi dicat aliquid esse proprium, sed sint vobis omnia communia. Et ex his quæ vobis

Domi-

Dominus dederit, distribuatur unicuique per manum Prioris, idest, per hominem ab eo ad idem officium deputatum, prout unicuique opus fuerit, inspectis aetatibus, & necessitatibus singulorum: ita tamen, ut sicut praemissum est, in deputatis cellulis singuli maneant, & ex his, quae sibi distributa fuerint, singulariter uiuant.

8 Oratorium, prout commodius fieri poterit, construatur in medio cellularum: ubi mane per singulos dies ad audienda missarum solemnia conuenire debeatis, ubi hoc commode fieri poterit.

9 Dominicis quoque diebus vel alijs, ubi opus fuerit, de custodia ordinis tractetis, ubi etiam excessus & culpa fratrurn, si qui de aliquo deprehensi fuerint, charitate media corrigantur.

10 Ieiunium singulis diebus, exceptis Dominicis obseruetis, à festo exaltationis S. Crucis, vsque ad diem Dominicae Resurrectionis, nisi infirmitas vel debilitas corporis, aut alia iusta causa ieiunium solui suadeat: quia necessitas non habet legem.

11 Ab esu carnium semper abstineatis, nisi pro infirmitatis, aut nimiae debilitatis remedio sint sumenda.

Quia verò militia est vita hominis, & omnes, qui pie volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur: Aduersarius quoque vester Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quarens quem deuoret, omni sollicitudine studeatis, indui armatura Dei: ut possitis stare aduersus insidias inimici. Accingendi sunt

lumbi vestri cingulo Castitatis. Munendum est pectus
 cogitationibus sanctis, scriptum est enim. Cogitatio san-
 cta seruabit te. Induenda est lorica iustitiae, ut Do-
 minum Deum vestrum ex toto corde, & ex tota ani-
 ma, & ex tota virtute diligatis, & proximum ve-
 strum tanquam vos metipsos. Sumendum est in om-
 nibus scutum fidei, in quo possitis etiam tela nequissi-
 mi ignea extinguere. Sine fide enim impossibile est pla-
 cere Deo, & haec est victoria quae vincit mundum, fides
 nostra. Galea quoque saluis imponenda est capiti,
 ut de solo Salvatore speretis salutem, qui saluum facit
 populum suum à peccatis eorum. Gladius autem spi-
 ritus, quod est verbum Dei, abundanter habitet in ore
 & in cordibus vestris. Et quaecunq; vobis agenda sunt,
 in verbo Domini fiant. Faciendum est vobis aliquid ope-
 ris, ut semper vos Diabolus inueniat occupatos, ne ex
 otiositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas
 vestras valeat inuenire. Habetis ad hoc beati Pauli ma-
 gisterium pariter & exemplum, in cuius ore Christus
 loquebatur, qui positus est, & datus à Deo praedicator
 & doctor gentium in fide & veritate, quem si secuti
 fueritis, non poteritis aberrare. In labore (inquit)
 & fatigatione fuimus inter vos, nocte ac die operan-
 tes, nequem vestrum grauaremus: non quasi nos
 non habeamus potestatem, sed, ut nos metipsos
 formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam
 cum essemus apud vos, haec denunciabamus vobis,
 quoniam

quoniam si quis non vult operari, non manducet. Audi-
uimus enim inter vos quosdam ambulantes inquie-
te nihil operantes. His autem, qui eiusmodi sunt,
denunciamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo,
vt cum silentio operantes suum panem manducent.
Hæc via sancta & bona: ambulate in ea. Commendat
autem Apostolus silentium, cum in eo præcipit operan-
dum: & quemadmodum Propheta testatur, Cultus ius-
titiæ silentium est, & rursus, in silentio & spe erit
fortitudo vestra. Ideoque statuimus, vt ab hora vesper-
tina vsque in horam tertiam sequentis diei silentium
teneatis, nisi forte necessitas, vel causa rationabilis, aut
licentia Prioris silentium interrumpat. Alio verò
tempore licet silentij non habeatur observatio tanta, di-
ligentius tamen à multiloquio caueatur: quoniã sicut scri-
ptum est, & non minus experientia docet, in multilo-
quio peccatum non deerit. Et qui inconsideratus est
ad loquendum, sentiet mala. Item, qui multis vitur
verbis, lædit animam suam. Et Dominus in Euangelio.
De omni verbo ocioso, quod loquuti fuerint homines,
reddent rationem de eo in die iudicij. Faciat ergo vnus
quisque statera verbis suis, & franos rectos ori suo, ne
forte labatur, & cadat in lingua sua, & insanabilis sit
casus eius ad mortem. Custodiens cum Prophetia vias
suas, non delinquat in lingua sua. Et silentium, in quo
cultus iustitiæ est, diligenter & cautè studeat observa-
re. Tu autem Brocarde, & quicumque post te institu-

tus fuerit Prior, illud semper habeatis in mente, & ser-
 uetis in opere, quod Dominus ait in Euangelio. Quicū-
 que voluerit inter vos maior esse frater, erit vester mini-
 ster, & quicumque voluerit inter vos primus esse, erit
 vester seruus. Vos quoque ceteri fratres Priorem ve-
 strum humiliter honorate, Christum potius cogitantes,
 quàm ipsum, qui posuit illum super capita vestra. Et
 ecclesiarum prepositis ait. Qui vos audit me audit, &
 qui vos spernit, me spernit: ut non veniatis in iudicium
 de contemptu, sed de obedientia mereamini vitam eter-
 næ mercedem. Hæc breuiter scripsimus vobis, conuersa-
 tionis vestræ formulam statuentes, secundum quam vi-
 uere debeatis. Siquis autem supererogauerit, ipse Do-
 minus cum redierit, reddet ei. Utatur tamen in omni-
 bus discretione, quæ virtutum est moderatrix. Ex
 Achon Idibus Ianuarij anno Domini. 1171.

Hæc regula prima à nobis dicitur: quia etsi alias fuisse re-
 gulas ante hæc nō dubitamus, tñ hæc meritò prima dicitur,
 quia aliæ, vel scriptæ olim nō erāt, sed tātū illis vt traditio-
 nib⁹ maiores nostri vtebātur, vel si scriptæ, per modū tñ ex-
 hortationis, aut instructionis cuiusdā ferebantur: (ita enim
 regula à Ioanne Patriarcha Hierosolymitano conscripta,
 per modum cuiusdam ideæ, siue exemplaris apparet.) Sed
 quia teste Diuo Hieronymo, nulla est tan sancta, tam iusta,
 & diu prouisa institutio, quæ in futurū plurimos non pa-
 tiatur defectus, & aliquando correctione nō indigeat: ideo
 non mirum alicui videri debet, si, quod prius maturè ab Al-
 berto statutum fuit, postea ex seniorum consilio, ac expe-
 rientia, id esse nociuum, testante, fuerit in aliquo immu-
 tatum. Nam & Ecclesia Sancta, cui diuinum Spiritus
 sancti

sancti lumen adesse semper fatemur, plerunque (vt habetur in cap. non debet de consanguinitate, & affinitate) nonnulla rationabiliter præcipit, quæ, suadente subditorum vtilitate, post modum consultius & rationabilius in melius commutat. Imò & ipsum Deum id fecisse. 4. Regum. 18. cap. narrat historia, & refertur 63. distinctione cap. Quia sancta Romana. §. verum: vbi exemplum Ezechie Regis adducitur, qui dissipauit excelsa, & contriuit statuas, & succidit lucos, confregitque serpentem æneum, quæ Moyses iussu Dei construxerat. Ideo autem destruxit ille, quod iubente Deo fecerat iste, quia populus iã serpente æneo, cum colendo, & venerando, abuti cæperat. Sic multa à prædecessoribus & maioribus nostris instituuntur, quæ illorum tempore optima, & proficua dignoscebantur, postea verò iniuria temporum, siue alijs circumstantijs denovo renascentibus, aut in superstitionem, aut in multorum perniciem vertuntur, fiuntque communitati nociua, quæ antea salubriter tenebantur. Hæc attendentes regulæ Alberti obseruatores, cum in illa quædam statuta graui, quædam dubia conspicerent, illam mitigari, ac declarari oportere, pro maiori ordinis bono decreuerunt. Quare duos fratres Brocardum, & Petrum anno domini 1248. ad sedem Apostolicam, huiusmodi mitigationem, ac declarationem postulatueros miserunt. Innocentius igitur Quartus, tunc magnus Ecclesiæ Pastor, fratrum supplicationibus annuens, hanc mitigationem, ac declarationem Hugoni Cardinali Sanctæ Sabinæ, & Guilielmo Anteradensi Episcopo, vice ipsius, faciendam commisit, qui prædictam Regulam Alberti correctam, ac mitigatam Priori, & fratribus Carmelitis hoc tenore conscriptam, seruandam tradiderunt.

Cap. non debet de consanguinitate, & affinitate.

4. Reg. 18. Cap. Quia S. Romana §. verum 63. distin.

*Regula Alberti Primitiva fratrum Beatae
 Mariae Virginis de monte Carmelo
 prout ab Innocentio IIII.
 fuit declarata.*

S. II.



*Innocentius Episcopus, seruus seruorū
 Dei, dilectis filijs Priori & fratribus
 eremitis B. Mariae de monte Carmeli sa-
 lutem & Apostolicam benedictionem.*

*Quae honorem Conditoris omnium,
 & profectum continent animarum, roboris praesidio
 sunt fulcienda perpetui: sed illa praecipue, super quibus
 Apostolica sedis auctoritas salubris prouidentiae stu-
 dium noscitur habuisse. Cum itaque nos ad vestra sup-
 plicationis instātiā, per dilectum filium Hugonem ti-
 tuli sanctae Sabinae praesbyterum Cardinalem, & vene-
 rabilem fratrem nostrum Guillieimū Anteraden-
 sem Episcopum, quaedam vestrae regulae dubia declara-
 ri ac corrigi, ac etiam ipsius quaedam graua misericor-
 diter fecerimus mitigari, prout in litteris inde conse-
 ctis plenius continetur: Nos, vestris pijs desiderijs an-
 nuentes, declarationem, ac mitigationem & correctio-
 nem huiusmodi, auctoritate Apostolica confirmamus,
 & praesentis scripti patrocinio communimus. Tenorē
 autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum feci-*

mus presentibus annotari, qui talis est.

Frater Hugo Diuina miseratione tituli S. Sabina presbyter Cardinalis, & frater Guilielmus eadē miseratione Antheradesis Episcopus charissimis in Christo Religiosis Priori Generali, & diffinitoribus capituli generalis ordinis fratrum B. Mariæ de monte Carmeli, salutem in omnium salutari. Accedentes ad Apostolicam sedem fratres Clerici Reginaldus & Petrus Ordinis vestri, ex parte vestra à Domino Papa humiliter postularunt, ut quædam, quæ in priuilegio vestro ac Regula olim vobis à Fœ. memoriæ Alberto Patriarcha Hierosolymitano tradita continentur, dubia declarare, corrigere, ac etiam quædam ipsius graua mitigare misericorditer dignaretur. Cum igitur Dominus Papa eorum deuotis supplicationibus annuendo, nobis commiserit, ut declarationem, correctionem, & mitigationem huiusmodi faceremus vice ipsius, secundum quod statui bono ordinis, & fratrum saluti expediens videremus: Religioni vestræ qua fungimur auctoritate mandamus, quatenus Regulam à nobis correctam, declaratam, ac mitigatam (prout expedire vidimus) deuote recipientes, eam firmiter obseruetis, & ad instar eiusdem alias vestras Regulas corrigatis: quam vobis per eosdem Fratres mittimus in has forma.

T E X T V S R E G V L Æ.

¶ Albertus Dei gratia Hierosolymitanæ ecclesiæ

vocatus Patriarcha, Dilectis in Christo filijs Brocardo, & cæteris fratribus eremitis, qui sub eius obedientia iuxta fontem Elie in monte Carmeli morantur, in Domino salutem & Sancti Spiritus benedictionem.

Salutifariè multisque modis sancti Patres instituerunt, qualiter quisque in quocumque ordine fuerit, vel quemcumque modū Religiosæ vitæ elegerit, in obsequio Iesu Christi viuere debeat, & eidem fideliter de corde puro, & conscientia bona deservire. Verùm quia requiritis à nobis, vt iuxta propositū vestrū tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in posterum debeatis.

DE PRIORE HABENDO,
& tribus sibi promittendis.

¶ Illud in primis statuimus, vt vnum ex vobis habeatis Priore, qui ex vnanimi omniumque assensu, vel maioris & sanioris partis, ad hoc officium eligatur, cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate seruare, cum castitate & abdicatione proprietatis.

DE RECEPTIONE LOCORVM.

¶ Loca autem habere poteritis in Eremitis, vel vbi donata vobis fuerint, ad vestra Religionis obseruantiam apta, & commoda, secundum quod Priori, & fratribus videbitur expedire.

DE CELLIS FRATRVM, ET
de communi mensa.

¶ Præterea iuxta situm loci, quem inhabitare proposue-

posueritis, singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas, sicut per dispositionem Prioris ipsius & de assensu aliorum fratrum eadem cellula cuique fuerint assignata.

¶ Ita tamen, quod in communi refectorio ea, quae vobis erogata fuerint, communiter, aliquam lectionem sacrae scripturae audiendo (ubi comode poterit observari) susnatis. Nec liceat alicui fratrum, nisi de licentia Prioris (qui pro tempore fuerit) deputatum sibi mutare locum, vel cum alio permutare. Cellula Prioris sit iuxta introitum loci, ut venientibus ad eundem locum primus occurrat, & de arbitrio, & dispositione ipsius postmodum quae agenda sunt, cuncta procedant.

DE IVGI ORATIONE, ET cellae inhabitatione.

¶ Maneant singuli in cellulis suis, vel iuxta eas die ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes: nisi alijs iustis occasionibus occupentur.

DE HORIS CANONICIS.

¶ Hi, qui horas Canonicas cum clericis dicere norunt, eas dicant secundum constitutionem Sanctorum Patrum, & consuetudinem Ecclesiae approbatam. Qui eas non nouerint, viginti quinque vicibus Pater noster dicant in nocturnis vigilijs: exceptis Dominicis, & solemnibus diebus, in quorum vigilijs praedictum numerum statuimus duplicari,

ut dicatur Pater noster vicibus quinquaginta: septies autem eadem dicatur oratio in laudibus matutinis, in alijs quoque horis septies similiter eadem dicatur oratio sigillatim, præter officia vespertina, in quibus ipsam quindecies dicere debeatis.

DE ABDICATIONE

proprietas.

¶ Nullus fratrum sibi aliquid proprium esse dicat, sed sint vobis omnia communia, & distribuantur unicuique per manum Prioris, idest, per fratrem ab eodẽ ad idem officium deputatum, prout cuique opus fuerit, inspectis ætatibus, & necessitatibus singulorum.

DE ORATORIO, ET CUL-

tu Diuino.

¶ Oratorium (prout commodius fieri poterit) construatur in medio cellularum: vbi mane per singulos dies, ad audienda missarum solemnia conuenire debeatis, vbi hoc commode fieri poterit.

DE CAPITULO ET COR-

rectione fratrum.

¶ Dominicis quoque diebus, vel alijs, vbi opus fuerit, de custodia ordinis & de animarum salute tractetis, vbi etiam excessus & culpa fratrum (si qua in aliquo deprehensa fuerint) charitate media corrigantur.

DE.

D E I E I V N I O .

¶ *Ieiunium singulis diebus (exceptis Dominicis) obseruetis à festo exaltationis sanctæ crucis vsque ad diem Dominicæ Resurrectionis, nisi infirmitas vel debilitas corporis, aut alia iusta causa ieiunium solui suadeat: quia necessitas non habet legem.*

D E A B S T I N E N T I A

carnium.

¶ *Ab esu carnium abstinence, nisi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio sumantur. Et quia vos oportet frequentius mendicare itinerantes, (ne sitis hospitibus onerosi) extra domos vestras sumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus, sed & carnibus supra mare vesci licebit.*

D E S P I R I T V A L I B V S

armis.

¶ *Quia verò tentatio est vita hominis super terrâ, & qui pie volunt viuere in Christo persecutionem patiuntur, aduersarius quoque vester Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret, omni solitudine studeatis indui armatura Dei, vt possitis stare aduersus insidias inimici. Accingēdi sunt lumbi vestri cingulo castitatis. Munendum est pectus cogitationibus sanctis, scriptū est enim. Cogitatio sancta seruabit*

te,

re. Induenda est loricica iustitia, vt Dominum Deum vestrum, ex toto corde, ex tota anima, & ex tota virtute diligatis, & proximum vestrum tanquam vos ipsos. Summedum est in omnibus scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: sine fide enim impossibile est placere Deo, & hac est victoria, qua vincit mundum fides vestra. Galea quoque salutis capiti imponenda est, vt de solo Salvatore speretis salutem, qui saluum facit populum suum à peccatis eorum. Gladius autem spiritus, quod est verbum Dei, abundanter habitet in ore, & in cordibus vestris: & quacunque vobis agenda sunt, in verbo Domini fiant.

DE LABORE MANVVM.

¶ Faciendum est vobis aliquid operis, vt semper Diabolus inueniat vos occupatos, ne ex ociositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat inuenire. Habetis in hoc beati Pauli Apostoli magisterium, pariter & exemplum (in cuius ore Christus loquebatur) qui positus est & datus à Deo prædicator, & doctor gentium in fide & veritate, quem si sequuti fueritis non poteritis oberrare. In labore (inquit) & fatione fuimus inter vos nocte, & die operantes, ne quem vestrum grauaremus: non quasi nos non haberemus potestatem, sed vt nos metipso formam daremus vobis ad imitandum nos: nã cū essemus apud vos hoc denuntiabamus vobis. Quoniam si quis non vult operari, non manducet. Audiuimus enim inter vos quosdã am-
bular

bulantes inquietè, nihil operantes: ijs autem, qui huius modi sunt, denuntiamus & obsecramus in Domino Iesu Christo, ut cum silentio operantes, panem suum manducent. Hac vita sancta est & bona, ambulate in ea.

DE SILENTIO.

¶ Commendat autem Apostolus silentium, cum in eo præcipit operandum, & quemadmodum Propheta testatur. Cultus iustitia silentium est: & rursus: in silentio & spe erit fortitudo vestra. Ideoque statuimus, ut dicto Completorio silentium teneatis, vsque ad Primam dictam sequentis diei. Alio verò tempore licet silentij non habeatur observatio tanta, diligentius tamè à multiloquio caueatur. Quoniam, sicut scriptum est, & non minus experientia docet, in multiloquio peccatum non deerit, & qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Item, qui multis utitur verbis, lædit animã suã. Et Dominus ait in Euãgelio. De quocunque verbo otioso, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Faciat ergo unusquisque stateram verbis suis, & frenos rectos ori suo, (ne forte labatur, & cadat in lingua sua, & insanabilis sit casus eius ad mortem,) custodiens cum Propheta vias suas, ut non delinquat in lingua sua: & silentium, in quo cultus iustitia est, diligenter & cautè studeat observare.

EXHOR.

EXHORTATIO AD Priorem.

¶ Tu autem frater Brocarde, & quicumque post te institutus fuerit Prior, illud semper habeatis in mente, & obseruetis in opere, quod Dominus ait in Evangelio. Quicumque voluerit inter vos maior fieri, erit minister vester, & quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.

EXHORTATIO AD fratres.

¶ Vos quoque ceteri fratres Priorem vestrum honorate humiliter, Christum potius cogitantes, quã illũ, qui posuit ipsum super capita vestra: & Ecclesiæ Præpositus ait. Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit: vt non veniatis in iudicium de contemptu, sed de obedientia mereamini vitæ æternæ mercedem.

CONCLUSIO REGVLÆ.

¶ Hac breuiter scripsimus vobis conuersationis vestræ formulam statuentes, secundum quam viuere debetis. Siquis autem supererogauerit, ipse Dominus cum redierit reddet ei: vt a tur tamen discretionem, quæ virtutum est moderatrix. Ex Accon idibus Ianuarij anno Domini. 1171. Actum lugduni anno Domini Millesimo Ducetesimo Quadragesimo octauo Domini
Papa

Papa Innocentij Quarti, anno quinto, Kalendis Septemberis.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli se noverit incursum. Dat. Lugduni Kalen. Decembris. Pontificatus nostri anno quinto.

Ex his, quæ in hac regulæ correctione descripta sunt, facile constare poterit, in quibus hæc regula mitigata ac declarata sit. In primis cap. primum prioris Regulæ Alberti in hac noua correctione magis aperitur ac declaratur. Continebatur enim olim in illo, vt fratres obedientiam promitterent, ob quod dubitatum fuit, an simul tenerentur ex vi regulæ ad obseruandâ castitatem, & paupertatem. Ad extinguendos ergo similes scrupulos, in hac posteriori correctione additum fuit. *Cum castitate, & abdicatione proprietatis.*

Inoc. III.

Præterea, quia inter fratres exorta fuit dubitatio, an illis Alberti verbis: *Nullus fratrum aliquid sibi proprium esse dicat, sed sint vobis omnia communia, &c.* Interdiceretur proprium in particulari tantum, an verò etiam in communi: hanc dubitationem vt declaret & soluat Innocentius Quartus, in prædicto Regulæ capite addidit, non posse fratres aliquid aliud in communi possidere, præter asinos, & mulos, siue aliquot animalium, siue volatilium ad nutrimentum: & sic eos teneri ad paupertatem, tam in particulari, quam in communi seruandam. Et ideo adiecit, *asinos autem, siue mulos, &c.*

Deinde, cum multa incommoda in vita omnino eremitica, & singulari fratres experirentur: (secundum enim Regulam Alberti omnes in cellulis separatis singulariter viuentes, communi refectorio, & mensa non utebantur) de-

nuo Innocentius præcepit, vt communi cibo in communi refectorio vescerentur simul. Hæc sunt, quæ circa priorē Alberti reg. Innocentius. III. declarat, & auget.

Tandem in tota regula duo tantum eius præcepta mitigata reperiuntur. Primum est de esu carniū. Nam in Alberti Regula ita erat scriptū. *Ab esu carniū abſtineatis ſemper niſi ratione nimie debilitatis ſumantur.* In mitigatione vero dicitur. *Ab esu carniū abſtineatis niſi pro infirmitatis vel debilitatis remedio ſumantur.* Secundum præceptum, quod lenitum, ac temperatum ab Innocentio accepimus circa ſilentium verſatur. In Regula enim Alberti olim præcipiebatur, vt ab hora vespertina vsque in horam tertiam ſequentis diei ſilentium ſeruaretur: in hac vero, à Completorio vsque ad Primam dictam ſequentis diei ſilentium ſtatuitur. Hæc ſunt, & non alia, in quibus illa prior Alberti inſtitutio in hac Innocentij mitigatione temperata inuenitur. Quæ cum leuiſſima ſit moderatio, & de leuiſſimis etiam rebus: meritò vsque nunc Regula Innocentij primitiua à ſummis Pontificibus paſſim nūcupatur. Hæc vero Alberti Regula ſucceſſu temporis plures alias mitigationes, ac diſpenſationes paſſa eſt, (de quibus ſtatim dicemus.) In Hiſpania vero à fratribus diſcalceatis anno 1568. cepit foeliciter obſeruari, & nūc pluribus alijs nouis cōſtitutionib⁹ firmata cuſtoditur.

Contigit autem hæc Regulæ mitigatio (vt ex ipſa conſtat) anno. 1248. anno quarto Pontificis Innocentij III. Floruitque in ordine huius Regulæ obſeruatio abſque vlla alia mitigatione per ſpatium annorum 173. vsque ad tempora Eugenij Quarti, quem circa annum Domini 1431.

exiſtente in ordine Magiſtro Ioanne Faccō Priore Ge-

nerali, fratres ad euntes, aliam Regulæ nouam mi-

gitationem, ac moderationem humiliter

ab eo poſtularunt: quam Eu-

genius in hac forma

conceſſit:


(?)

Regula Alberti prout mitigata fuit
ab Eugenio IIII. anno Do-
mini. 1431.

§. III.

BULLA EVGENII IIII.
in qua mitigantur capitula de abstinencia
carnium, de ieiunio, & de mansione
in cellulis: atque conceditur fratribus
indulgentia plenaria in ar-
ticulo mortis.

*Eugenius Episcopus servus servorum Dei,
ad perpetuam rei me-
meriam.*

 *Omani Pontificis providentia circumspecta nonnunquam ea, quæ ad propagationem Religionum quarumcunque, & in diuinis obsequijs mancipatarum personarum prosperum statum conseruandum, ac animarum salutem earundem salubriter instituta fuerant, vt fructum afferat exoptatum, reformat & moderatur: & vt Religiones ipsæ, præsertim à Sede Apostolica approbatæ in suo vigore perdurēt, prout temporis pen-*

Eugen. IIII

K 2 *sata*

dilectorum filiorum Ioannis Faci Magistri Generalis, ac provincialium, & claustralium Priorum, & vniuersorum fratrum ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli nuper expositum, quòd in certis capitulis Regule, fratribus dicti ordinis per bonæ memoriæ Albertum Patriarcham Hierosolymitanum traditæ, inter cætera cauetur expressè. Quod fratres prædicti ordinis ab esu carniùm abstineant, nisi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio sumantur, Eisdem etiam, quod singulis diebus (Dominicis duntaxat exceptis) à festo exaltationis sanctæ Crucis vsque ad festiuitatem Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi ieiunare teneantur: Quodque singuli eorum manere debeant in cellis suis diè, ac nocte, in lege Domini meditantes & in orationibus vigilantes præcipitur. Et propterea nonnulli ipsius ordinis professores propter arctitudinem, & rigorositatem Regule huiusmodi, tam ex fragilitate humana, quam ex debilitate corporea nequeunt eandem regulam obseruare, dispendium suæ salutis incurrant: quodque plures etiam asperitatem huiusmodi pertimescentes ab ingressu eiusdem ordinis retrahantur. Nos verò qui plantare religionem sacram, & plantatam modis omnibus fouere, intensis desiderijs affectamus, super hoc quantum nobis est possibile providere salubriter cupientes, & rigorem huiusmodi quadam temperie mitigantes, ac regulam ipsam moderantes, Apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, ordinamus, & concedimus quod dicti ordinis professores, qui nunc sunt, & pro tempore erunt, tribus duntaxat diebus singularum septimanarum, etiam quibus (ut præfertur) ieiunare iuxta eandem regulam sint adstricti, præterquam in aduentu, & in Quadragesima, & alijs generalibus prohibitis diebus, carnibus vesci, ac horis congruis in eorù ecclesijs, & illorù claustris ac per eorù ambitus manere, & deambulare licitè & liberè valeant.

Decernentes, eos, & eorum singulos circa præmissa ad arctiorem obseruatiã, quàm supra præmittitur, occasione professionis in dicto ordine emissæ, vel in posterum emittendæ minimè teneri. Et nihilominus fratribus eisdem, qui regulam ipsam ita ut præmittitur moderatam obseruauerint, quod eis proficiat in remissionem peccatorum. In omnibus & singulis priuilegijs, indulgentijs, immunitatibus, libertatibus, exceptionibus, protectionibus & prerogatiuis eidẽ ordini per antea cõcessis, uti & gaudere possint, eadẽ auctoritate cõcedimus per præsentis: constitutionibus Apostolicis, & statutis, cõsuetudinibus etiã prædictis, & alijs ordinis, & Regule prædictis capitulis iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quauis firmitate vallatis, cæterisque contrarijs non obstantibus quibuscunque. Et ut ipsi fratres in humilitatis, & paupertatis spiritu, ac castimonia virtutum Domino famulantes ad huiusmodi mitigatam regulam feruentius animentur: Omnibus, & singulis fratribus dicti ordinis præsentibus & futuris duntaxat, qui regulam istam sicut præmittitur moderatam obseruauerint, seu in obseruantia ipsius vixerint, ut superiores ipsorum dicti ordinis, vel alius quicumque idoneus eiusdem ordinis sacerdos omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, semel tantum in mortis articulo plenam remissionem in statu & sinceritate S. Romanæ Ecclesiæ ac obedientia vel deuotione nostra, vel succes-

forum nostrorum Romanorum Pontificum canonicè
 intrantium, nec non obseruancia prædicta persistente,
 auctoritate Apostolica concedere valeant, deuotioni ip-
 sorum tenore præsentium indulgemus. Sic tamen, quod
 ydem superiores, de quibus fuerit alteri satisfactio im-
 pendenda, eisdem fratribus, si superuixerint, vel per
 alios, si fortè transierint, & faciendam iniungant, quã
 ipsi fratres facere teneantur, ut præfertur. Et ne (quod
 absit) propter huiusmodi gratiã Fratres prædicti red-
 dantur procliuiores ad illicita in posterum committen-
 da: volumus, quod si ex confidentia remissionis huius-
 modi, prædicti fratres aliquando fortè committerent,
 quod illa prædicta remissio nullatenus suffragetur. Et
 insuper quod per unum annum, ex quo nostra præsens
 concessio ad eorūdem fratrum pro tempore existetium no-
 ticiam peruenerit, computando, singulis sextis ferijs, im-
 pedimento legitimo cessante, ieiuent. Quod si prædictis
 sextis ferijs ex præcepto Ecclesiæ, regulari obseruãtia,
 iniuncta pœnitentia, voto vel alias ieiunare teneantur,
 vna alia die singularum septimanarum eiusdem anni,
 qua ad ieiunandum nõ sint astricti, ieiuent. Et si indi-
 cto anno, vel aliqua eius parte essent legitimè impediti,
 anno sequenti, vel alias quam primùm potuerint modo
 simili, supplere ieiunium teneantur. Porro, si alias for-
 san prælibatum ieiunium in toto, vel in parte adimple-
 re commode non potuerint, eo casu superiores ipsorum iei-
 unium ipsum in alia pietatis opera, prout saluti anima-

rum ipsorum viderint expedire, cōmutare valeant: quæ ipsi pari modo debeant adimplere. Alioquin nostra præsens concessio quoad non observantes duntaxat nullius esset roboris vel momenti. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, cōcessionis, & voluntatis infringere, seu ei ausu temerario contraire. Siquis attentare præsumpserit, indignatione omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum se noverit incursum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Domini Millesimo, Quadringentesimo, Trigesimo primo. Quinto decimo Kalendas Martij, Pontificatus nostri anno primo.


Nec sistit hic regulæ mitigatio, postea enim Magister Soreth totius ordinis Prior Generalis aliam regulæ mitigationem in ieiunijs feriarum tertiæ, & quintæ post exaltationem sanctæ Crucis à Pio II. anno Domini 1459. petijt, & ob-

Pius. II.

Ac tandē anno 1476. Sixtus Quartus circa Regulam ab Eugenio prædictis modis mitigatam concessit Priori generali, pro tempore existenti, facultatem, vt quo ad ieiunia, & carniū abstinentiam (temporum, locorum, ac personarū qualitate pēsata) cum dicti ordinis professoribus iuxta suæ conscientiæ arbitrium posset dispensare. Et sic in capitulo generali Rupeculæ celebrato anno 1584. virtute huius Sixti Quarti concessionis sancitum fuit vt Priores Prouinciales, & eorum vicarij cū fratribus Prouinciarum, super esum carniū feria secunda possent leniter agere: feria autem quarta esus carniū tam publicus, quàm priuatus, omnibus fuit interdictus. Et hæc de Re-

Sixtus. IIII

gula Alberti cum suis mitigationibus.


SECUNDA PARS
DE TITULO, ET ALIIS
 præfationibus Regulæ, nobis ab Alber-
 to Patriarcha Hierosolymi-
 tano traditæ.

Argumentum secunda partis.



*Remissis Regulis, alijsquè ma-
 iorum nostrorum institutioni-
 bus, antequam Alberti Regu-
 lam commētarijs exponamus:
 opere pretiū existimaui, qua-
 dam alia in hac secunda parte
 prælibare, quæ sunt, veluti
 præfationes eorum, quæ in hoc
 opere tractanda sunt. Decre-
 ni igitur à titulo siue inscrip-
 tione Regulæ initium sumere. Titulus autem hic in initio Regu-
 læ præfixus habetur.*

Regula Fratrum Beatae Mariae Virginis de monte Carmeli.
 Sunt autem hæc verba non Regulæ pars, sed potius su-
 perscriptio, siue rubrica eorum, quæ in regula continentur.
 Quare sicut prudenter iurisperiti, qui aliquem iuris titulū
 explanare aggrediuntur, prius rubricam, siue inscriptionē,
 veluti primam ianuam ad cæterorum cognitionem aperire
 consueverunt: ita nos non abs re à regulæ titulo, & inscrip-
 tione ordiemur: ut cæteris rebus, quæ in regula continen-
 tur,

tur, maiorem lucem, ac claritatem afferamus. Igitur circa hunc titulum tota hæc introductio versabitur, & primò de etymologia huius nominis Regula, de authore, & tempore, deinde de titulo Beatæ Mariæ Virginis, quo insignitur, de eius (supra alias regulas) perfectione, de scopo siue fine (quæ logici obiectum appellant,) ac tandem de eius obligatione differemus. Hæc enim sunt, quæ circa nostram regulam, antequam eius litteram exponamus, præcognosci debent.

D V B I V M I.

De etymologia huius nominis Regula, & de diffinitione nostræ Regula.



Omen hoc quam latissimè patet, & varijs acceptionibus apud variarum artium professores gaudere solet. Quare æquiucum, & multiplex illud appellat Archidiaconus *Archidiaconus:* dist. 3. cap. Regula. Omisissis verò alijs significationibus, de quibus latè tractant iuris interpretes in l. 1. de reg. iur. & dist. cap. Regula, eas tantum hoc loco adducam, quæ in aliquo sensu adaptari possunt regulis Religionum.

Primò igitur, vt Isidorus libr. 6. etymologiarum cap. 16. *Isidorus:* & refertur dist. 3. c. canon, & c. Regula, affirmat, id quod Latine regula dicitur, Græcè canon nuncupatur. Est autem regula ab eo dicta, quod rectè ducit: neque aliquem aliorum trahit. Alij verò, quorum Isidorus ibidem meminit, regulam dictam existimant, vel ab eo, quod regat, vel eo, quod formam bene viuendi præbeat: vel quòd distortum, prauè que corrigat. Hæc Isidorus. *Cap. canon, & c. Regula. d. 3.*

Sumitur præterea regula pro breui, & compendiosa præceptione rerum, vt colligitur ex c. quæro. 11. q. 1. & sentit Archidiaconus, vt supra: qua acceptione omnes artes proprijs funguntur regulis: habent enim Grammatici, Medici, Iurisperiti, ac alij in suis facultatibus proprias regulas, qui-

bus, veluti quibusdam suæ artis dogmatibus, instruuntur, ac informantur.

Iuxta has Regulæ acceptiones non incommodè Religioforum Regula vsurpari potest. Et vt à prima, qua Regula pro Canone sumitur, incipiam, non est dubium, ob hanc Regulæ cum canone affinitatem, siue, vt proprius loquar, identitatem, olim Canonicos Regulares fuisse appellatos à canone siue Regula: quia communem quandam vitæ Regulam, institutumque obseruabant. Ideoque Canonici Regulares sunt nuncupati: in quo etiam sensu canonicè viuere dicuntur à Gregorio cap. quoniam 12. quæstione. 1. qui communem, & Regularem vitam profitentur. Cui etiam nominis appellationi adhæsit Iustinianus nouella 59. vbi quasdam mulieres, quia communem vitā, & Regulam tenebant, Canonicas appellauit. Et quamuis Ludouicus Viues (teste Nauarro cap. cui portio numero. 2.) in hac canonicorum Regularium nomenclatura Bapthologiam, (hoc est, inutilem eiusdem nominis repetitionem) committi asserat: & ob Græci sermonis imperitiam, hanc fuisse in vulgo introductam etymologiam contendat ignorante, vtriusque nominis eandem esse significationem, à qua sententia non abhorret Duarenus de beneficijs libro. 1. cap. 18. quare ibi Canonicos potius fuisse dictos à Canone, hoc est, à pensione, siue annona, quæ ipsis pro stipendio, & mercede distribuebatur, existimat: Canonicam enim, ac certam, vt ipse asserit, ordinariamque pensionem ij tantum in Ecclesia accipiebant, cum cæteris clericis non certa, sed potius in certa portio ex incertis, & contingentibus oblationibus, quæ fiebant in Ecclesia, contingeret: quare illi Regulares Canonici sunt dicti, hi verò minimè: tamen à communi sententia, & recepta Canonicorum regularium etymologia non esse recedendum existimo, præsertim cum œcumenica concilia, & summi Pōtiffices sic passim eos appellent. Ea verò, quæ opponunt prædicti authores, non satis cautè fuisse obiecta grauitè demōstrant Couarruias, Ioannes de Miraualle, Ioānes Trullo, & alij apud Nauarrum, vt supra. Qui facile eorum argumēta diluunt. Primò, quia censendum non est, tot ac tantos viros tam eiusdem, quā aliorū ordinū, Græcè ac Latine peritissimos

Cap. quoniam
12. q. 1.
Iustinianus.

Ludo. Viues
Nauarro.

Duarenus.

Couarruu.
Ioā. Mirau.
Ioan. Trull.

tissimos ignorasse, canō Græcè idē esse, quod Latine Regula. Quod quidē, vt Nauar. ait, auditor canonū anniculus no-
uit. Secūdo soluunt, quia quādo vocabula sunt diuersarum
linguarū, aptè fieri solet eiusdē verbi cōgeminatio, vt in illo
Marci. 4. Abba Pater, & ad Rom. 8. Clamamus Abba Pater:
imo in eadē lingua eiusdē verbi repetitio non semper Bap-
thologiā redolet, cū fiat nō rarò, vt excitetur affectus: vt il-
lud Psalmi, Deus Deus meus: & quod Christus in cruce cla-
mauit, Heloi, Heloi Lamafabathani. Quare in pposito dup-
plicata forte fuit nomēclatura, vt Regularis Canonicus, dū
audit, bis se regularē appellari, magis suæ Regulæ, & profes-
sionis obligationē expēdat. Ac tandē vltimò, dicti sunt Ca-
nonici Regulares ad distinctionē aliorū Canonicorū, qui et
si simul, & Regulariter suo modo ex Ecclesiæ patrimonio
viuant, regulares tamen propriè non sunt: quia professionē
monasticam non emittunt. Prædicti verò, Canonici Regula-
res propriè appellantur, quia stricti sunt professionis vincu-
lo, vt optimè notat Nauarrus vt supra.

Nauarrus.

Marci. 4.

Ad Rom. 8.

Psalm. 62.

Ceteræ verò acceptiones, quæ huic voci Regulæ cōueniūt,
optimè quoque Religionis regulis quadrant. Nā siue regula
dicatur à rectitudine, qualis est illa, qua vtuntur scripto-
res, lignarij, vel cæmentarij, siue dicatur à regendo, quo sen-
su diximus vsurpari pro breui in qualibet arte traditione
documentorum: in vtroque sensu, vt egregiè notauit Vm-
bertus in exordio suarum enarrationum in Regulam Diui
Augustini c. 7. monachorum institutū congrue Regula di-
citur. Primo, quia sicut per regulam distorta diriguntur: ita etiam
per hanc normam viuendi distorti mores diriguntur. Item, sicut per
illam Gibbi remouentur, vt patet in cæmentario: sic per istam Gibbi
superbi, & superfluitates complanantur. Item, per regulā res quadrantur,
vt lapides redduntur quaterni opere quadro. Sic per Religionis re-
gulā fiūt homines quadrati virtutibus Cardinalibus, vt sunt aptiores edi-
ficio cælesti. Itē, habilitantur res diuersæ, vt fiant aptæ coniunctioni in
vnum, vt patet in cæmentarijs. Sic per regulam monasticam fiunt
diuersi vnum in Domino. Item, sicut scriptor, qui de Regula non curat,
frequenter distortè scribit: sic discipuli propriā regulam negligentes di-
stortè viuunt. Qui autem secundum eā, rectissimè viuunt. Et quēadmo-
dū ex applicatione regulæ quādoq; res, quæ videbatur recta, apparet dis-
torta.

Vmbertus.

torta

torta, vel gibbosa, quæ apparebat plana: sic proculdubio si diligenter vita multorum sub regula degentium ipsi regulæ comparatur, apparebit distorta plus, quam antea credebatur. Secundo etiam modo potest dici Regula, quia, sicut regula in artibus docet artem sciendi: sic ista artē viuēdi. Et sicut per regulā regit se quis in scientia: ita per hāc in vita. Hæc Umbertus ut supra. Quibus aptè declarat etymologiam, & officium Regulæ Monasticæ ex comparatione ad alias regulas.

Propriè tamen, & in rigore regula, de qua in præsentī præfari intendimus, definiri sic rectè posset. Regula monastica est quædam Euangelica viuendi norma ab Ecclesia approbata, quæ tradit viam tendendi ad perfectionem secundum tria substantialia vota, & alias obseruantias propriæ Religionis. Hæc est propria diffinitio rei: alię verò superius assignatæ potius sunt descriptiones quædam secundum huius nominis, Regulæ, etymologiam, & variam eius acceptiōnem. In specie verò, adæquata nostræ Regulæ diffinitio fortè sic tradi posset. Religionis Carmelitarū Regula est quædam norma viuendi ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano tradita, ab ipso, & à sede Apostolica approbata, dirigens ad charitatis perfectionem acquirendam, potissimum oratione, ac meditatione continua, quæ est veluti immediatus eius finis, deinde cellulæ clausura, manuum labore, arctissima abstinentia, & silentio, tanquam medijs ad prædictum finem destinatis.

D V B I V M I I.

Circa illa verba Fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmelo: ubi disseritur, quare religio Carmelitarum titulo Beatæ Mariæ Virginis insigniatur.



Eligiosi omnes Patronū aliquē, sui status, & regulæ propriū authorem cognoscunt. Alij enim Antoniū, alij Basiliū, alij Benedictū, alij Frānciscū, aut Dñicū, vt institutorem, & Patrem venerantur. Carmelitæ verò etsi Eliā magnū Dei prophetā suæ regulæ authorē, proprijque instituti fundatorem habeāt (vt latius infra prosequemur;) præter hunc tamen Patronū, illud habet religio hæc, vt speciale priuilegium, vt sit sub patrociniō, & tutela beatissimæ Virginis Mariæ. Nā vt in magna domo, præter Patrem familias, matrem etiam aliquam esse necesse est, nō solū ad gignendos liberos, sed ad eos deinde lactādos, & alēdos: quæ, si mulier sit fortis, qualem depinxit sapiens, sæpè familiæ virū excellit, & domestici, eius ope, & auxilio maiorem vtilitatem, ac solatiū sentire solent: sic in hac nostra Religionis domo, etsi primi Parentes Elias & Eliseus fuerint, oportebat tñ, propriam & esse matrē, quæ ad spiritualem hanc Religiosorū familiam efficiendā, & eandē nutriendā, & propagandā, suis virtutib⁹, officijs, ac meritis cōcurreret. Hæc autē est virgo gloriosissima, omniū mulierū, ac virorū fortissima, quæ domesticis suis vitā hanc efficere, & cōseruare, omnēq; eis lætitiā & opē impartiri solet. Et quāuis hæc mūdi Regina in oēs Ecclesiæ stat⁹, ac in Religiones specialius lumē & auxiliū suū diffundat, verū circa Carmeli incolas, eorūq; successores potissimū studiū, ac patrociniū, eos vbiq; defēdēdo, pprioq; suonomine, & ti. honorādo, demonstrauit Religio igitur nostra sub tātæ virginis patrociniō, tanquam sub amoenissima vmbra, ac sub præsidio tutissimo, Deo militat. Quomodo autem Beatissima virgo Religionem istam præcipuo amore, & singulari cura fuerit prosequuta, & obquam rationem specialis Patrona, & tutrix illius steterit, & quo titulo fratres Carmelitæ, Virginis Mariæ præ alijs nomen assumpserint, iam pergimus explicare, si prius id omnibus notum sit, nullam esse in Ecclesia Regulam, quæ titulo tam honorifico insigniatur. Quia quamuis sint ordines alij, qui simili inscriptione gaudeant, eorum tamen regula non Virginis Mariæ, sed sub aliorum Patrum nomine traditur. Est enim peculiariter is titulus nostræ

nostræ Religioni, & Regulæ à temporibus antiquis additus: eumque Summi Pontifices iam diu confirmauerunt: simulque hunc ordinem à virgine editum tradiderunt. Sic Sixtus III. in quodam diplomate nobis concessio id sequentibus verbis testatur. *Dum attenta (inquit) meditatione pensamus, quòd virgo venustissima, quæ florem speciosissimum Dominum nostrum Iesum Christum ineffabili sancti Spiritus cooperante virtute genuit. produxitque sacrum ordinem Beate Mariæ de monte Carmelo à sede Apostolicâ pluribusque Romanis Pontificibus approbatum, quem eiusdem gloriosissimæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ speciali titulo voluit insigniri &c. Eodem ferme modo loquuntur Pontifices Sixti III. successores, & nouissime Gregorius XIII. in bulla quæ incipit, vt laudes gloriosissimæ, eisdem ferè, ac Sixtus III. vtitur verbis. Imo omnibus fidelibus ordinem nostrum sub titulo B. Mariæ Virginis nominantibus Innocentius III. decem dies indulgentiarum contulit: Urbanus vero V I. tres annos, & totidem quadragenas indulgit.*

Sixtus. III

Ioannes Patriarcha Hierosolymit.

Sit igitur prima ratio, quare Carmelitæ meritò nuncupari debeant fratres Beatæ Mariæ Virginis de monte Carmeli. Desumitur autem hæc ratio ex Ioanne Patriarcha Hierosolymitano, in libro de institut. monachorum in veteri lege exortorum, & in noua perseuerantium, qui habetur, 9. tom Bibliothecæ SS. vbis. cap. 36. & sequentibus aliquas colligit rationes, ob quas hic ordo hoc B. Mariæ Virginis titulo fuerit honoratus. Prima, propter primariam ordinis Carmelitarum in laudem Virginis Mariæ institutionem. Nam Elias huius instituti monarcha in Carmeli monte orationi incumbens, dum septima vice de mari nubecula confunderet (vt. 3. Regum. 18. narrat historia.) septima etate Virginem nascituram, & filium Dei parituram præcognouit. ex tunc, in virginitate perpetua ad honorem eiusdem Virginis in Carmelo Religionem fundauit. Curaueruntque (vt verbis prædicti Ioannis utar) ex tunc successores Eliæ cum deuotione assiduè huic virgini deservire, dudum eorum antecessoribus reuelatæ, ac desideratæ, & postea eis exhibitæ, & studuerunt hanc

hæc specialiter virginè ideo sibi ipsis in Patronã eligere, quia nouerunt ipsam solam singulariter eis conformem in primitijs virginittatis spontaneæ. Quemadmodum enim virginittas spontanea fuit primò per priscos professores huius religionis inchoata, & in uiris introducta: ita eadem virginittas fuit postmodum per Dei genitricem primò in fœminis introducta, & incepta. Propter dictam ergo conformitatem seipsos fratres Beatæ Mariæ Virginis appellarunt. Hæc Ioannes Patriarcha ut supra.

Secunda ratio, eaque potissima, quare fratres nostri dicti sint Virginis Mariæ, defamitur ex varijs, & grauissimis authoribus. Nempe, quia fratres Carmelitæ fuerunt primi, qui in Ecclesia Dei templum, siue sacellum in honorem B. Mariæ Virginis erexerunt. Ita in primis testatur Ioannes Patriarcha, ut supra c. 36. qui in loco illius præclaræ visionis, ubi Elias nubeculam ascendentem vidit, in qua sibi ortus virginis fuit præostensus, asserit, monachos Carmelitas anno incarnationis filij Dei 83. ædificasse virgini capellam quandam in monte Carmeli iuxta fontem Eliæ: ubi professores præfati seipsos huic virgini cõmendantes, singulis diebus in .7. horis Canonicis ad effundendum dictæ virgini, & eius filio sedulas preces ac laudes, etiam tunc semper conueniebant: & propter hanc causam cæteri, etiam eorum, qui à religione externi erant, eos deinceps fratres B. Mariæ Virginis de monte Carmeli appellauerunt. (Hæc Ioannes Hierosolymitanus.) Cui authorum turba subscribit. Et in primis (ut alios ex nostris præteream) Vvaldensis de sacramentalibus titul. 9. contra Vvicleph, & in doctrinali fidei articulo. 3. docet ex testimonio Ioannis præfato, & ex Armachano Ecclesiæ Hiberniæ Præfule, Carmelitas ob hanc rationem, quia sacellum virgini primi dicarunt, fratres Virginis Mariæ fuisse appellatos. Ait igitur Armachanus apud Vvandensem in sermone de conceptione B. Virginis Mariæ, quem prædicauit anno Domini 1342. in conuētu Carmelitarũ Auinione. *Quoniam ut dicunt fide dignæ historie, à tempore Eliæ & Elisei, qui sæpius morabantur in monte Car*

Vvaldensis.

Armachan.

melo

melo, iuxta Nazareth ciuitatem Domine nostre ad tria millia
 ria, solebant homines deuoti secretius habitare vsque ad tem-
 pora Saluatoris. Et tunc illi Eremitæ, prædicantibus Apосто-
 lis, inter cæteros sunt conuersi: et in vno latere montis ipsius
 primi Ecclesiam in honorem B. Virginis construxerunt: & ob
 hoc nimirum inter Religiosos domine nostre primitus sunt ad-
 scripti, vt vocarentur fratres B. Mariæ de monte Carmelo.
 Hæc Armachanus. Huius Armachani testimonij post
 Nauarrus. Vvaldensem vt supra, meminit Nauarr. cap. 21. numer. 27.
 de horis Canonicis: vbi in huius veritatis comprobationẽ
 quædam carmina affert ex Mantuano, qui Parthenices Ma-
 rianus. Mantuanus ria lib. 3. fol. 88. sic Mariæ Virginis circa Carmeli montis
 incolas amorem, vicissimque eorum obsequium post eius
 mortem in erigendo ei oratorio, siue sacello, aptè (vt solet)
 describit his versibus.

*Huc igitur si quando quies, vacuumque negoci
 Tempus erat, veniens curas lenibant, & ipsa
 Maiestate loci largè oblectata, redibat.
 Propterea montana viri spelæa colentes
 Audito illius facti, sublime sacellum
 Apricis posuere iugis primi, atque quotannis
 Sacra instaurantes, Hymnos, & chura ferebant.
 Namque ipsi sese, mox, vt vulgata salutis
 Fama fuit, Christi magnis iunxere ministris,
 Fautores operis sancti, sociosque laborum.
 Propterea à istorum longos seruata per annos
 Posteritas iungit Mariæ cum nomine, Montis
 Nomina Carmeli, &c.*

Idem cum Mantuano sentit Nauarrus, vt supra. Comen-
 tator Vaddius, in huius veritatis comprobationem, adducit
 Iosephum

Iosephum Anthiochenum vetustissimum historiographū, Ioseph Ant. qui in speculo perfectæ militiæ primitivæ Ecclesiæ. c. 12. his verbis aditipulatur prædictis. *Perfeetorū militū (inquit) Christi coadiutores surrexerunt strenuissimi viri solitarij contemplationi dediti, sanctorum Prophetarum Elia, & Elisei imitatores, qui de monte Carmeli descendentes, per Galileã, Samariã, & Palestinã fidẽ Christi cõstantissimẽ sparserunt: quique in virginis Mariæ honorẽ in Carmeli mõtis decliuo Oratoriũ fabricãtes, Saluatoris matri specialissimẽ seruiẽrũt, Ecce quomodo Iosephus, Carmelitas non solum oratorium virgini struxisse, sed ipsos specialissimẽ, vt ipse ait, virgini inseruissẽ, testatur. Igitur. Quid mirũ si priuim Carmelitæ Virginis Mariæ titulum ac patrocinium fuerint consequuti?*

Trithemius. Accedit etiã Ioannes Trithemius Abbas Sponhaymẽsis, scholæque Haydelbergẽsis quondã clarissimũ lumẽ, qui in libro de laudibus Carmelitarũ c. 7. ita scripsit. *Sicut ex veterũ lectõione didicimus, titulũ B. Mariæ semper Virginis Carmelitis cõuenire maxime scimus. Nam ij ab exordio suæ institutioni: Dei genitricem semper maximo honore, & reuerentiã sunt prosequuti. Enim verò non diu post Dñi passionẽ, fratres montis Carmeli capellã in eiusdẽ montis latere in Dei genitricis honorẽ construxerunt, eãque in ordinis sui aduocatã ac patronã elegerunt. & fratres eius deinceps appellati sunt. Sicut ergo à Carmelo Carmelitas: ita à capella, quã edificarũt, vsque in hodiernũ diẽ fratres Beatissimæ Dei genitricis, & Virginis appellantur. Et digna quidem Carmelitis dẽnominatio, vt qui Dei matrẽ speciali semper amore venerãtur, etiã illius sint tit. clariores. Et intra, mutuũ erga Carmelitas virginis amorẽ his verbis demõstrat. Nec dubiũ mihi est, quin Dei parẽs Maria hũc ordinẽ speciali fauore prosequatur, quem, & loco viciniũ, & tempore priuim sibi & filio in obsequium exortum recognoscit. Digni profecto sunt fratres Carmelitæ sacratissimæ Virginis titulo insigniri. Prædicta Trithemius.*

Ante omnes verò authores prædictos, docuit id historia,

que Romana dicitur: in qua de tēplo à Carmelitis Virgini dicato sic scriptū inuenies. *At tēpore (inquit) Eliæ & Elisei Prophetarū, Religiosi de numero eorū, qui morabātur in mōte Carmelo, iuxta ciuitatē Dñe nostræ Nazareth, secretius solebant inhabitare vsque ad tēpora. Saluatoris: qui tandē, prædicātibus Apostolis, in fide cōfirmari, in vno latere ipsius mōtis, primò Ecclesiā in honorē Virginis Mariæ cōstruxerunt.* Meminit autē huius oratorij in obsequiū Virginis à Carmelitis cōstructi Hieronymus Plato, de bono statu Religionis lib. 2. c. 22. vbi nomē ab eo fatetur Carmelitas accepisse, quia prima omnium B. Virgini in terrarū orbe dicata Ecclesia, ab eis fuerit erecta. Tenuit etiā id nostra ætate Paulus Morigia ordinis Iesuatorū, qui in libro de origine Religionū lib. 11. c. 30. aperte fatetur, Carmelitas gloriosum Virginis nomē, & patrociniū præ cæteris, & meruisse, & accepisse, quia primi facellū, siue Ecclesiā in Virginis Mariæ honorē in Carmeli mōte fundauerunt. Si vero ad authores ordinis gradū facere liceret, innumerabilē ferē eorū multitudinem possemus adducere, qui vno ore, & sentētia hāc veritatē, vt certā, vt firmissimā, & vt in ordine à vetustis tēporibus à maioribus traditā verē & piē fatētur. Opus tñ nō est proprios testes in mediū proferre, vbi tot extranei abūde suppetūt.

Luculēter igitur ex præcedētibus cōstat, præclarū Virginis Mariæ cognomē, ac titulū, ordinē Carmelitarū meritō sibi præ cæteris ordinibus vendicasse: quia huius instituti professores primi fuerūt, qui Virgini Mariæ in primo Ecclesiæ sæculo oratoriū cōstituerunt: primi etiā, qui eius obsequio, & amorī inter cæteros Religiosos addicti sunt: primi itidē, qui tantæ Virginis conuersationē, & familiāre colloquiū meruere. Nā (vt piē Mantuanus sentit) Maria nō raro Carmeli incolas inuisere solebat, eorūque colloquio, & familiaritate oblectari. Quod ex eo opinor maxime credibilē, quia, cū Nazareth (vt authores supra adducti affirmāt) tribus miliaribus tñ distaret ab Eliæ fonte, siue Carmeli vertice: quid mirum, aut cur nō mirū, si sanctissima virgo Eremitas Carmeli, cuius sanctitas & religio totā Palestinā, & Alexandriā illustrauerat, non sæpe adiret, eorūque colloquijs & necessitudine frueretur? Maximē cū post passionē Christi eos ad fidem, & Euangelij prædicationem conuersos videret.

Nec

Nec ignoto, quosdā etiam hoc Ecclesiæ nascentis tempore alia Virgini Mariæ templa cōstructa referre. In primis enim Vincentius Veluacensis lib. 8. in speculo historiali c. 92. testatur, Marthæ, Mariæ sororis hortatu, postquā in Galliā ex Palæstina mirabiliter (Lazaro, & Maximo comitata) peruenit, post nouā Euangelicæ doctrinæ lucem Masiliensibus demonstratā, demū factum esse, vt duo tēpla, alterum Christo Domino, alterū vero eius genitrici cōstructa fuerint. Nec melatet, memorię esse proditum, Apostolorum tēculo templū aliud virgini fuisse dicatum. Scribit enim Raphael Volaterranus lib. 11. Geographiæ, Antaradi (quæ & Anteradas dicitur, nunc autem Tortosa appellatur, antiqua & egregia Phœnicix vrbs in litore maris sita, vt ex B. Hieronymo in Ezechielem c. 27. & ex Guilielmo Tyro. 7. belli sacri c. 15. colligitur) sacellum stare, quod primus omniū diuæ Genitrici Petrus Apostolorum princeps excitauerit: & in quo primum ipse quoque sacrificarit. Imo qui Hispaniā, & res gestas illic à Iacobo Apostolo describūt, cōstanter affirmāt, sanctissimā Virginē in ciuitate Cæsaraugusta eidē Apostolo apparuisse, & post apparitionē, tēplū vel sacellū, quod nunc etiā est celeberrimū, & vulgari Hispanico Nuētra Señora del Pilar appellatur, eodē Apostolo authore erectū fuisse. Hanc verò primā in toto orbe Christianorū Ecclesiam varijs modis, tabulis, & testimonijs, perpetua gentis Aragoniæ fama, simul & traditio clamāt. Qua de re etiam, post Beutherium, meminit Ioannes Basseus in Chronico rerum Hispanicarū. Vetustissimum autem, & omnibus prius templum à Carmelitis fuisse cōstructum, grauisimorū viro- rum authoritas, quos supra retulimus, luculenter confirmat. (Quidquid Vincentius, Volaterranus, Beutherius, aut Basseus, scribāt. Nā cum historiæ fides ex numero, & testiū grauitate crescat, tot sunt pro nostra sententia testimonia, simul cum antiquissima religionis traditione, vt minimē vinci, ac superari ab authoritate paucorum, ac singularem testium queant. Alias insuper rationes in huius tituli confirmationem congesserunt Vvaldensis, Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus, Paleonidorus, & alij, quibus merito, ac iure, nos fratres B. Virginis fuisse nuncupatos

Vinc. Velua.

Volaterran.

*Hieronym.
Guilli. Tyr.*

*Beutherius.
Ioan. Basse?*

Paleonidor.

admittitur probare. Eas tamē breuitatis causa ad alia propo-
rātes omittimus. Et hæc de tit. & superscriptione Regulæ.

D V B I V M III.

*De Regule, quam primitiuam vocant, au-
thore, tempore, & confirmatione.*



Propono Regulam primitiuam, eam, quam Al-
bertus Patriarcha fratribus suis Eremitis in
Carmeli monte, & alijs Syriæ partibus de-
gentibus tradidit. Non quia hæc fuerit om-
nino prima, sed quia potissima sit inter a-
lias Regulas, quas nostra Religio agnouerit.

Fuerunt enim in Carmelitarum ordine à tempore Eliæ, fa-
miliæque Prophetarum variæ viuendi regulæ, variaque in-
stituta, vt supra retulimus. Sed ea, quæ ab Alberto condita
fuit, etsi tempore fuerit vltima, à nulla alia perfectione su-
peratur. Eius igitur in 2. p. huius operis authorē inquiri-
mus simul & tēpus, in quo cōdita, & maioribus nostristradi-
ta, ac tādē quādo, & à quibus Pōtificibus fuerit cōfirmata.

Primò de authore ex ipsa Regulæ inscriptione constat, in
cuius limine habetur, *Albertus Dei gratia Hierosolymita-
næ Ecclesie vocatus Patriarcha dilectis filijs*. Num de hoc vn-
quam quis dubitauit? Is enim Patriarcha (vt nos supra
probauimus) datas à Ioanne Patriarcha leges, & vtiliter ad
modum auxit, & eas ad commodiorem vitæ formulam re-
degit. Illud tamen apud omnes non constat, an Albertus
hic, qui Regulam condidit, fuerit montis Carmeli incola, &
Elianæ familiæ frater. Id verò mihi compertum videtur,
quod in primis probo, ex Martyrologio Molani, qui octa-
ua die Aprilis illū inter nostri ordinis sanctos annumerat,
& Erardus Carthusianus in suo temporum fasciculo cir-
ca annum 1293. idem censet: olimque de eo in ordine eodē
die celebrari cōsueuerat. Hoc ideo prænotauī, quia ex vtro-
que (nēpe ex sanctitate vitæ, morūq; integritate, & ex p̄fes-
sione vna cū Carmelitis) magna Regulæ ab ipso traditæ dig-
nitas accrescit. Nā ex hoc, qđ ipse quid fratribus expediret,
quid ve illis imperari oporteret, pri⁹ experimēto didicerit:

Regulam.

Martyrol.

Molan.

Erard. Car.

regulam discretionem conspicuam condidit: ex vite vero perfectione salutaria præcepta emanarunt.

Trithemius.

De tempore vero quo Albertus Regulam hanc fratribus suis Carmelitis dedit, non satis liquet apud authores. Trithemius lib. de laudibus Carmelit. cap. 4. existimat, illam anno Domini. 1122. sub Henrico, & Calixto Papa II. fuisse scriptam, Polydorus de inuentoribus rerum lib. 6. c. 3. circa annum Domini. 1210. Sabellicus anno. 1220. Pontacus Burdegalensis 1198. Chronica mundi sexta ætate fol. 207. & supplementum historiarum lib. 13. anno. 1200. Rebardus Florentinus in Chronica vniuersali anno. 1205. Nos vero omisis illorum sententijs, certam & veram statuamus, Albertum Regulam dedisse anno Domini. 1171. Id nobis aperte constat ex ipsa Regula in cuius fine dicitur. Dat. Accon anno Domini 1171. qui etiam numerus annorum designatur in eadem regula postea ab Innocentio III. declarata & correctâ: pro vt in litteris superius scriptis licet videre. Ideo autem prædicti Historiographi variarunt, quia cum hæc Regula à tempore, quo Carmelitæ in Europam peruenerunt, non fuerit obseruata, non mirum, quod scriptores ipsos lateret.

*Polidorus.
Sabellicus.
Pöta. Burd.
Chron. müd.
Suppl. Hist.
Rebar. Flor.*

Quando hæc Regula Alberti, & à quibus Pontificibus fuerit approbata, restat, vt aperiamus. In primis communis scriptorum sententia tenet, illam ab Honorio III. fuisse confirmatam. Sic docuerunt Antoninus 3. parte hist. titul. 20. cap. 5. Vincentius in historiali lib. 3. capit. 123. Philippus Borgomen. in supplemento historiarum lib. 13. in enarratione anni Christi. 1200. Trithemius de laudibus Carmelitarum. cap. 4. Cassaneus in Cathalogo glor. mund. 4. parte, consideratione 70. Paulus Morigia de origine religionum, cap. 20. Imo inter authores fere non est, qui ab hoc dissentiat. Quo vero anno Honorius. 3. id præstiterit, aperire etiã oportet. Inqua etiã re Philippus Bergomensis, Chronica mundi, & Paulus Morigia vt supra, & inter iuniores Hieronymus Plato de bono statu. lib. 2. cap. 21. Garibay tomo. 1. lib. 1. cap. 28. & frater Manuel Rodriguez in quæstionibus regularibus quæstione. 1. in articulo de origine Carmelitarum, Carolus Tapia in authentica ingressu verbo monaste-

*Antoninus.
Vincentius.
Philip. Ber.
Trithem.
Cassaneus.
Paul. Mor.*

*Hiero. Plat.
Garibay.
F. Manuel
Rodriguez.
Carol. Tap.*

rio. c. 17. de antiquitate ordinis Carmelitarū, ac omnes, ordinis scriptores cēlent, Honorium III. anno. 1. sui Pontificatus Regulam Alberti confirmasse. Idque expresse patet ex bulla Honorij III. cuius verba sunt. *Honorius Episcopus: Dilectis filijs Priori, & fratribus Eremitis de monte Carmeli. Nos normam vestram viuendi regulariter ab Alberto Patriarcha traditam, quam ante conciliū generale vos dicitis humiliter suscepisse, in posterū vos, & successores vestri, quātū cū Dei adiutorio poteritis, obseruetis. Et in remissionē vobis iniūgimus peccatorū. Nulli ergo hominū liceat. Dat. Romæ ann. Dñi. 1216. 3. Kalē. Ianuarij, Pōtificatus nostri an. primo:*

Gregor. IX. Postea Gregorius IX. referens hanc cōfirmationem Honorij III. denuo ipse Alberti regulam approbavit, vt cōstat ex bulla, quæ incipit. *Ex officio nostri debita.* Hæc etiam eadem

Innocē. III. denique Alberti Regula ante Honorium III. fuit cōfirmata ab *Naucerus.* Innocentio III. Sic expresse asserit Naucerus to. 2. Chronice, generatione. 41. vbi sic habet. *Tempore Innocērij III. Albertus Patriarcha labentem in Syria religionem restituerē conatus, Carmelimonis incolas fratres disciplina regula coercuit. Quæ regula tunc Romæ probata est.* (Quibus docet, statim nostram Regulam tempore Innocentij III. fuisse Romæ approbatam, Sentit idem Trithemius de laudibus Carmelitarum cap. 4. His verbis. *Postquam fratres huius religionis in Europam venerunt, multi summi Pōtifices ordinem hūc confirmarunt: de quibus Alexander Papa III. postquam Innocentius III. idem fecit: amborumque vestigijs inherens Honorius III. multis adiunctis privilegijs, qui regulam denuo cōprobavit.* (Hæc Trithemius) Ille scas in historia, & vitis Pontificum, in vita Innocentij III. expresse affirmat, regulā nostram confirmasse. Idem nouissime etiam tradit Carolus in commentarijs ad authenticam. Ingressi, verbo (monasteria) vbi Religionum origines inuestigans, nostram ab Innocentio III. receptam, confirmatamque, asserit. Hanc Innocentij III. confirmationem fuisse factam in Concilio Lateranensi, asserūt Romanus in noua, correctaq; editione Rerū publi-

Carol. Tap. carum

carum 3. p. lib. 6. c. 10. & Bernardinus Corius in historia Me
diolanensi. 2. p. fol. 339. illudque addit, approbationem hâc
die B. Ioannis Euangelistæ contigisse.

Bern. Cori.

Cæterū ne his plus immoremur, illud nunc probare cōtē
dam, ordinē nostrū (si nō expresse, saltē tacitè) in prædicto
Cōcilio Lateranensi fuisse approbatū. Verba prius Cōcilij
referā, quæ habentur. c. 13. vbi dicitur *Ne nimia Religiosorū
diuersitas graue in Ecclesia Dei offensionem inducat: firmiter
prohibemus, ne quis de cætero nouā religionē inueniat, sed qui-
cūq; voluerit ad religionē cōuertere, vnā de approbatis sumat, si-
militer qui voluerit domum de nouo fundare, regulam & in-
stitutionem accipiat de approbatis.* (Hactenus Concilium.)

Conc. Late.

Circa hoc decretū cōsiderandū est, ante ipsum Conciliū
licere, saltē autoritate Episcopi, nouā Religionem inueni-
re, quod infra latius probabimus. Nunc verò ex decisione
Concilij prædicta confirmatur. Quia Conciliū hic non pro-
hibet, nec prohibere debebat, nouum ordinem autoritate
Apostolica fundare: sed tm̄ id autoritate propria, vel Epif-
coporū prohibetur. Imo nec Cōciliū Lugdunense, quod (vt
infra) districtiori decreto rem hâc interdixit, quicquā de or-
dine autoritate Pōtificis adinuēto decreuit, aut cogitauit.

Præterea, quia, post ipsum Concilium Lateranense, insti-
tutæ fuerunt autoritate Apostolica beatorū Francisci, &
Domini Religiones, & plures aliæ, de quibus mentio fit
in c. ne nimia, de religiosis domibus in sexto.

Quod verò ante ipsum Cōciliū liceret, saltim authori-
tate Episcoporū, Religionem nouā adinuenire, hoc in pri-
mis patet ex principio in iure notissimo, quo cauetur, id,
quod non est superiori reseruatū, nec inferiori ordinatio
prohibitū, præsumi à iure, inferiori esse concessū: vt pa-
tet ex cap. nuper de sententia excommunic. cap. cum apud
desponsalibus. Quare cū in toto iure hoc nō inueniatur ex-
presse nec tacitè Episcopis prohibitū, ex cōsequenti illis cō-
cessum fuisse videtur. Quod similiter cōfirmat vsus praxil-
que in Ecclesia à tēpore Apostolorū receptissima, qua ob-
seruatū legimus, Religiones ferè omnes, vel autoritate pro-
pria fundatorū fuisse erectas, vel solū ab Episcopis cōfirma-

Cap. ne ni-
mia, de reli-
gios. dom. in.
6.

Cap. Nuper
de sentē. ex-
com.

Cap. cū apud
de sponsal.

tas. Nā quis unquā Pōtifex (vt Trithemius cap. 5. de laudibus Carmelitarum ait) Confirmauit veteres ordines Pachomij, Basilij, Augustini, & Benedicti? Dic. mihi. detractor, legisti ne Nullas veterum ordines approbantes? nusquā inuenies hos ordines litteris confirmatos à principio. Hæc Trithemius. Et quanuis Religiones olim fundatæ sedis Apostolicæ probatione non indigerent, ab Episcopis tamen, ordinarijsque proprijs probabantur. Sic regulam Augustini olim confirmauit Valerius Episcopus, vt tradit Romanus centuria 1. anno Domini 329. Carthusianum vero institutum Hugo Episcopus, vt Genebrardus docet libro. 4. circa annum 1070. Sygibertus in Chronica mundi. Platina in Gregori. VIII. Polidorus de inuētoribus rerum libro. 7. cap. 3. & Volaterranus libro. 21. & Diuū Ambrosium propria authoritate monasterium Mediolani erexisse, regulamque ei. dedisse. fertur. Cuius meminit D. Augustinus libro. 8. confelsionum: nostrique ordinis regulam ab Alberto. traditam, dum Historiographi referunt, addūt, illam suo iure obseruandam Albertum tradidisse: quasi dicant, propria authoritate, proprioque Patriarchatus fungens munere Regulam confecit. Ita loquuntur Æneas Syluius in Chronica mundi loco superius adducto, Bergomensis, & Garibay vt supra. Imo inter authores nostri temporis grauisimos id docent. Bellarminus lib. de Monachis c. 4. tradit Basilium, Augustinum, & Benedictum approbationem vllam à Pontifice non quæsiuisse, propterea quod nondum extaret tunc ius Ecclesiasticum id præcipiens. Ratione etiam efficaci probatur: quia cum ante Lateranense Concilium non legatur, religiones expresse fuisse approbatas à Sede Apostolica, fieret religiones incepisse post Concil. Lateranens. quod hæretici maxime concedunt, vt probent nouum esse adinuētum. Imo neque etiam ante Concilium Lateranense expressum in iure textum aliquem potui inuenire, quo decernatur, requiri ad erectionem noui ordinis, aut regulæ approbationem, Episcopi auctoritatem: licet id colligi possit ex Concilio Calcedonensi, cap. 4. Et recap. quidam monachorum. 18. quæstio. 2. in quâ tum ibi decernitur. Primū, ne monachi monasteria sine auctoritate Episcopi erigant. Secundum vt illi obediant: ex quibus

quibus consequi videtur, nec religionem fundare sine conscientia, & auctoritate Episcopi posse.

Edito hoc Lateranensis Concilij decreto, cum postea & importuna aliquorum supplicatione, & aliorum præsumptuosa temeritate, diuersorum ordinum mendicantium effrenata multitudo resurgeret, repetita Lateranensis Concilij constitutione, Lugdunense Concilium districtius prohibuit, primum, ne deinceps aliquis nouum ordinem adinueniat (nempe sine auctoritate summi Pontificis:) deinde omnes ordines mendicantes post dictum Lateranense Concilium adinuentos, eos scilicet, qui approbationem Apostolicæ sedis non meruerint, de medio tollit, ac omnino reuocat: eos verò, qui per eandem sedem fuerant cōfirmati, permittit subsistere, dummodò deinceps nullum ad eorum professionem admittant, nouumque locum non acquirant: vt latius refertur in capit. vnico de religiosis domibus in. 6. Huic verò rigidiori Concilij decreto ea exceptio data est, nempe, vt ad Prædicatorum, minorum, & eremitarum Sancti Augustini, nec non & Carmelitarum ordines decisio hæc non extēderetur, vt patet ex. §. sane, vbi sic dicitur. *Sanè ad prædicatorum, & minorum ordines, propter eorum evidentem Ecclesie vtilitatem præsentem non patimur constitutionem extendi. Cæterum eremitarum sancti Augustini, & Carmelitarum ordines, quorum institutio dictum generale Concilium præcessit, in solido statu volumus permanere.* (Hactenus Concilium.) In quibus satis aperte indicat, supradictam constitutionem ad Carmelitas non extendi, quia illorum institutum dictum Concilium generale Lateranense præcessit. Quare decernit, illorum ordinem in solido statu permanere. Si verò Carmelitarum ordo ante prædictum Concilium Lateranense non fuisset approbatus: sine dubio Lugdunensis Concilij decreto extingueretur. Nam si illo Religiones etiam à sede Apostolica post Concilium Lateranense approbatæ, reiectæ sunt, nec ultra progredi permittuntur, à fortiori, si nostra ex approbatis non censeretur, Concilio Lugdunensi perimeretur. Quare cum hoc cen-

Conc. Lug.

Cap. vnicū,
de Religiosis
domibus in 6

Lateranense, illasque Religiones, quæ illud præcessere, censet approbatas (maximè quia Episcoporum vel Patriarcharum autoritate fulcirentur:) rectè sequitur ex vi decreti Concilij Lateranensis, nostram Religionem in ipso, & ante ipsum Lateranense fuisse confirmatam, Quod argumētum breuiter hac ratione firma fiet. Ait Concilium Lateranense. *Qui voluerit ad religionem conuerti, vnam de approbatis* (ante ipsum scilicet Cōcilium) *assumat: & postea Concilium Lugdunense volens de medio tollere omnes religiones post lateranense ortas, declarat, Carmelitarum ordinem non esse extinguendum: quia eius institutio Lateranense præcessit. Igitur cum Concilium Lateranense ait, Vnam ex approbatis assumat, tacite censet, esse approbatam Carmelitarum familiam quam ipsum præcessisse, & antea legitime fuisse institutam, declarauit postea Lugdunense.*

Sed contra hæc obijciunt aliqui, in dicto. §. cæterum non esse legendum, *in solido statu, sed potius, in suo statu manere cōcedimus, donec de ipsis aliter fuerit ordinatum, intendimus enim tam de ipsis, quam de alijs non mendicantibus providere, prout animarum salutis, & eorum statui videbitur expedire.* Sic enim in Cōcilio Lugdunensi olim legebatur. Vnde in dicto. §. Cæterum dicunt Bonifacium VIII. loco horum verborum, adiecisse, *illa, in solido statu.* Quare contendunt hi nostrum ordinem neque in Lateranensi, neque in Lugdunensi Concilio fuisse approbatum.

Huic obiectioni respondeo verum esse, vt glossa in dicto. §. cæterum asserit, prædicta verba, *in solido statu,* non haberi in Lugdunensi Concilio, sed tantum ea, quæ aduersarij opponunt. Non tamen ex his sequitur, nostram Religionem non fuisse approbatam in prædictis Concilijs. Primo, quia clausula illa (*donec de ipsis aliter fuerit ordinatum*) non auferit Carmelitis approbationem sui ordinis: nam pari etiam ratione auferret à religionibus non mendicantibus confirmationem, quia de Carmelitis, & de alijs non mendicantibus intendebat Concilium aliter ordinare. Quare si illa verba tollerent à Carmelitis, & alijs non mendicantibus confirmationem: manifestè fieret, quod, ante ipsum Concilium Lateranense, nullus esset in Ecclesia Dei ordo approbatus: quod

quod est contra ipsum Concilium Lateranense, vt patet ex verbis supra adductis. Tum etiam, quia multò ante Concilium Lugdunense, quod sub Gregorio X. fuit celebratum, Carmelitarum Religio fuit approbata ab Honorio III. Innocentio III. vt supra mōstrauimus. Quare dum Cōcilium, nostrum ordinem in suo statu manere, permittit: certè non aliud intendit, quam vt ipse (dum aliud Pontifici non placuerit) approbatus permaneat. Quare hoc non obstat, quominus ante Concilium Lateranense Carmelitarum Religio fuerit approbata, siue in solido, siue in solito, siue in suo statu legatur. Et hæc de Innocentij III. Lateranensis Concilij approbatione.

Ex quibus sequitur, Alberti Regulam ab anno 1171. in quo ab ipso tradita fuit, approbatam fuisse, tum ob rationes dictas (nempe, quia Episcopi ante Lateranense Concilium hæc potestate religiones Confirmandi gaudebant: & potiori iure Patriarchæ, quorū iurisdictio; & authoritas superior maiorque est:) tum etiam (quod in hac re valde considerandum est) quia Albertus tunc non solum Patriarchæ munere, sed & legationis Apostolicæ sedis officioungebatur, vt expresse docet Guilielmus Tyrus libr. 5. continuationis belli sacri cap. 3. his verbis. *Albertus postea Hierosolymitanus sub Innocentio III. Patriarcha, & legatus, certas obseruationum regulas Carmelitis præcepit.* Idem Sabellicus vt supra. Et Christianus Masseus author theatri vitæ humanæ, volumine. 2. lib. 3. Quare etsi ratione officij Patriarchatus (quod ab uide sufficiebat) regulam propria authoritate confirmare non posset: præstare tamen id sine dubio potuit ratione muneris Legati, quoungebatur. Imo ob hanc rationem cēlendum est, ab hoc tempore regulam fuisse à sede Apostolica approbatam, cum ex tunc fuerit ab eiusdem sedis Legato confirmata, ex regula iuris, quæ habet, ea nostra fiunt, quibus authoritatem nostram impertimur.

Ex his secundo colligo, antequam Albertus hanc regulam conderet, nostrum ordinem à Sede Apostolica ob rationem nuper adductam etiam fuisse approbatum. Cum Aymericus Patriarcha Antiochenus, & Sedis Apostolicæ Legatus circa annum Domini 1120. mōtis Carmeli Eremitas

Polidorus. tas in vnum coëgerit, eisque viuendi formulam more Latini-
Sabellicus. norum monachorum tradiderit, vt testantur Polydorus,
Guilli. Tyr. Sabellicus, atque Guilielmus Tyrus, vt supra Genebrardus
Genebrat. lib. 4. Chronicæ circa annu 1180. Onuphrius Pambrinus in
Onuf. Pabi. Chronico Ecclesiastico circa annum. 1141. Theatrum vitæ
Theat. vitæ humanæ vt supra & inter iuniores Frater Hieronymus Ro-
humane. man, qui vt supra ob hanc rationem antiquitatem nostri
Roman. ordinis ab Aymerico censet computandam.

Tertio infertur, ordinis approbationem vere iudicandã esse ab anno circiter 400. in quo Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus Carmelitis suo iure regulam confecit, vt supra 1. parte cap. 2. latius adnotauimus. Quare ab illa ætate ordo Carmelitarum in Ecclesia Patriarcharum approbatione floret. Quod si eorum sententiam amplectamur, qui existimant, Carmelitas olim sub B. Basilij regula militasse, ab eoque viuendi monasticè normam accepisse, (vt post Antoninum. 3. parte historiali titulo. 20. cap. 5. multi alij tradiderunt, de quibus nos, eorūque sententia infra iudicabimus) ab eodem quoque tempore, vel paulò antea ordinis confirmatio iudicanda erit. Et hæc de approbatione à Patriarchis facta.

Alex. III. Si vero ad Apostolicam sedem conuertamur, ante Innocentium. III. Regulam Alberti approbatam ab Alexandro III. facile comperiemus, vt docent non contemnendi aucthores. Trithemius de laudibus Carmelitarum cap. 5. ait. *Postquam fratres huius Religionis in Europam venerunt, multi summi Pontifices ordinem ipsum confirmantur: de quibus Alexander Papa III, vnus extitit.* Idem sentit Buchinguerius in sua Chronica, & Genebrardus in methodo ad Chronologiam. & historiã vniuersam, nostrique ordinis historiographi passim id clamant, præcipuè Petrus Reymundus. & Ioannes Grossi ordinis nostri quondam Præpositi Generales.

Demum, cum ante Concilium Lateranense opus non esset Apostolicæ sedis expressa approbatione, non video, quæ maior confirmatio alicui ordini tunc contingere poterat: quàm multorum Pontificum priuilegijs ornari. Cõstat autem. Carmelitarum ordinem à tẽpore Leonis III. Adriani II. Stephani V. aliorumque Pontificum qui prope annum

num. 850. florere varia priuilegia accepisse, de quibus mē-
tio fit in Bullis à Sixto III. concessis maximè in illa, quæ
incipit: dum at tēta meditatione: & in Bulla Gregorij XIII
cuius initiū est: Vt laudes sanctissimæ &c. in quibus cōme-
morantur hi, & alij antiquissimi Pontifices, qui Carmelitis
ab anno 815. in terra sancta oppressis varios fauores cōces-
serunt. Quæ etiam priuilegia referuntur in compendio pri-
uilegiorum, verbo indulgentia quoad sæculares.

Bul. Six. 4.
Bul. Gre. 13

D V B I V M IIII.

*Qualis sit finis, siue scopus huius Regu-
la, ac ex consequenti nostræ Re-
ligionis.*



*Q*uoniam omnes artes, ac disciplina (vt Cassianus loquitur collatione. I.) scopum quēdam, id est destinationem, & telos, hoc est, finem proprium habent, ad quem respiciens vnus cuiusque artis seētator industrius cuncta ordinat, & dirigit, & ablatos labores, pericula, & dispendia vniversa æquanimitè, atque libenter tolerat, sicut agricola finem habens, securè, copiosèque viuendi ex prouentu segetum sæcundarum, scopum (id est destinationem) gerit, agrum suum cunctis sentibus expurgare, eumque vniversis infructuosis vacuare gramini- bus: sine quo se adepturum finem propositum non confidit. Similiter, qui certis quibusque dignitatibus mundi huius cupiunt honorari, cui se officio, vel ordini debeant mancipare, antea proponunt: vt per legitimum spei tramitem, finem quoque valeant desideratæ dignitatis attingere. Hæc & alia Cassianus vt supra. Nostræ igitur professionis siue Regulæ finem oportet ante omnia huius Religionis athletis fixum hæere mētis: scopumque proprium præ oculis habere, vt in ipsum totis neruis, ac viribus iaculentur. Huius enim cognitio nostræ

Cassianus.

stræ

Seneca.

siue directionis, ac vitæ caput est, atque principium. Nam cum in quavis arte, ac disciplina, vt eam rectè exequamur, eius finis consideratio maxime necessaria sit: proculdubio in professione monastica (quæ ars artium est) multò magis hæc cogitatio, & cura finem suum inquirendi suscipienda est: vt & sic viam destinare, eligere, ac parare media ad finis consequutionem vnicuique in promptu sit. *Ignoranti enim quem portum petat (vt etiam teste Seneca loquamur,) Nullus suus proprius ventus est. Ac perinde errant consilia nostra, nisi sciamus quo dirigantur.*

Eam obrem in hoc opere cum primis constituendum nobis est, quam ad metam, nostræ Regule, siue instituti cursus dirigatur, vt viæ, rationesque omnes facilius ineantur, quibus eò perueniri possit: & vt cætera, quæ in Regula continentur, ex commensuratione ad proprium finem melius percipiantur. Omnis igitur monastica disciplina duplici fine gaudere solet. Primus finis est ille omnium Christianorum, omniumque ordinum communissimus, nempe charitas, siue gloria Dei. Alter verò proprius est, qui telos, siue finis proximus appellari consuevit. Qui quidem finis, si cum illo superiori conferatur, medium potius ad illum perueniendi existimari potest. Nobis in præsentis consilium vllum nõ est, de priori illo fine differere, sed de posteriori tantum: in hoc enim fine vna quæque religio suæ directionis figit obtutū, adhuc suos principaliter dirigit conatus, hunc si eius professores attingant, votorum suorum ac instituti compotes euadēt: sunt autem ij varij, pro varietate etiam, & diuersitate Religionum: omnes tamen ad tria genera reducuntur, secundum quod ab omnibus Theologis, tria esse potissimè Religionum genera, traditur: quorum aliud est in agendo, aliud in contemplando versatur, tertium verò tam actionem, quàm contemplationem complectitur. Quod adhuc in alia duo mēbra subdiuidi potest. Nā vel est mixtum ex æqualibus partibus, ita, vt æqualiter & actioni, & cōtēplationi vacet: vel plus habet de vno, quàm de alio, verbi gratia, minus de cōtēplatione, & pl^o de actione, vel e cōtra. Hoc ergo est, qđ nūc inuestigamus, quis nā horū sit huius Religionis scopus, siue finis verus, pprius, legitimus, ac immediat^o.

Pre

Pro cuius resolutione primò (idque certo) statuendū est; proximum, & potissimum nostræ Religionis finem esse, cōtemplationi vacare. Quod & fuisse olim monachorum omnium primænam institutionem constat ex his, quæ Cassianus Collatione. 9. ca. 1. luculenter docet. *Omnis inquit monachi finis, cordisque perfectio ad iugem, atque indurptam contritionis perseverantiam tendit: & quantum humane fragilitati cōceditur, ad immobilem tranquillitatem mentis, ac perpetuā nititur puritatem. Obquam omnem, tam laborem corporis, quā contritionem spiritus indefesse quarimus, & iugiter exercemus: & est inter alterutrum reciproca quadam, inseparabilisque coniunctio* (ita Cassianus) & hunc fuisse antiquum monachorum morem, ac beatissimi Marci tempore, qui primus Alexandria Monachis normam dedit viuendi, obieruatam, à Nicephoro Calixto lib. 2. c. 15. & à Sozomeno eodem lib. c. 17. & sequentibus, & à Cassiano lib. 2. de institutis renuntiantium c. 5. memoriæ proditum est: de quibus ipse ita scripsit. *In primordijs enim fidei, probatissimi illi Marci emulatores, ac discipuli eo feruore scripturarum diuinarum lectationibus, orationique, & operi manuum diebus, ac noctibus ita incumbabant, vt neque escarum quidem appetitus, vel memoria, nisi alio, tertione die corporis interpellaret inedia. Scripsit autem horum exercitia, studia, atque Philosophiam, institutum, mores, vitam, rationemque conuersationis omnem celeberrimus Philo natione Iudeus, professione verò Pithagoricus quem ad colloquium Petri Romæ diuinum verbum concionantis fama est, peruenisse, vt Ecclesiastica narrat historia. Hæc autem forsan alicui longe repetita videantur, cum tamen vt propria nostri instituti adduci merito debeant. Fuerunt enim Monachi illi ex Essenis, Eliæ successoribus, vt sup. p. 1. c. 1. plenius tradidimus. Quare hæc Agyptiorū monachorū in primitiua Ecclesia viuēdi normā, ac instituti puritatē Regula nra p̄trahere vsq; ad nostra tēpora, ac cōseruare nitit.*

Cassianus.

Niceph. Calixtus.

Sozomenus

Propius vero ad Regulam nostram accedentes, propositam veritatem efficaciter comprobemus. Ita primum sit

non

Vvaldensis. non leue argumentum, quia nostræ Religionis dux, & author Elias totum ferè vitæ suæ tempus in oratione consumpsit. Sic enim de eo Vvaldensis tit. 1. de sacramentalibus c. 6. n. 7. scripsit. *Lege (inquit) librum Regum. 3. & 4. si non noster sanctus Patriarcha Elias, non dico per plures vices, sed penè totam vitam in orando consumpsit.* Post Eliam vero filij Prophetarum, qui in solitudine iuxta flumen Iordanis (vt authores sunt Hieronymus ad Paulinum, & Isidorus lib. 2. de officijs c. 16.) habitarunt, hi die ac nocte, Hymnis, & orationibus studebant. De his enim ait Ioannes Hierosolymitanus, in libro de institutione monachorum, de filijs Prophetarum, eorūque successoribus, institutoque agēs, quod *ad imitationem Eliæ, incessanter, & continuè penetrare vastos secessus solitudinis montis Carmeli, & aliorum Eremitarū terræ promissionis solebant: vbi cogitationibus sanctis, & intentione, oratione, ac cæteris armis iustitiæ muniti, tanto conatu mentes suas ad exemplum Eliæ principis eorum sursum in Dei contemplationem eleuabant, vt cælestibus choris putarentur translati, & reuelata facie gloriam Dei speculari, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhærebant.* Hæc Ioannes.

Deinde in Euangelica lege (vt nunc illos probatissimos monachos Marci discipulos præteream, de quibus supra,) nostri ordinis primæuos in lege noua cultores orationis maxime studuisse reperiemus. Iosephus enim Antiochenus, libro de perfecta militia primitiua Ecclesiæ cap. 12. inquit: *Perfectorum militum Christi Apostolorum coadiutores surrexerunt strenuissimi viri solitarij, contemplationi dediti, sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisei sequaces, qui de monte Carmeli descendentes, &c.* Et Armachanus apud Vvaldensem tit. 9. c. 89. in sermone de conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ inter alia sic ait. *Vt dicunt fidedignæ historie, à tempore Eliæ & Elisei, qui sapius morabantur in monte Carmeli, solebant homines contemplari secretius inhabitare, vsque ad tempora Saluatoris: & tunc illi Eremitæ, prædicanti*

bus Apostolis, inter cæteros sunt conuersi. Et infra docet, eos fratres Beatissimæ Mariæ de monte Carmeli fuisse vocatos. Ioannes quoque de Vitriaco, in libro, qui dicitur, memoria le c. 22. inquit. Quidam viri seculo renuntiantes, ad imitationem Sancti viri, & solitarij Eliæ, vitam solitariam agebant in albearibus modicarum cellularum, tanquam apes Domini dulcedinem mellificantes. Et verè Ioannes. 44. Patriarcha Hierosolymitanus, qui primam nobis inscriptis regulam tradidit, ferè per totam, nos ad imitationem Eliæ, & vitæ solitariæ finem (assiduam nempe, contemplationem) dirigere conatur.

Ioã. de Vitr.

Ioã. Hieros.

Secundo quia omni tempore, & sæculo agnitum est, vt proprium nostri ordinis institutum, assidua diuinæ legis meditatio. Et in primis, de temporibus ante Christi aduentum, & de his, quæ post eius aduentum immediate successerunt, nec non de regula Beati Ioannis, iam dictum est. Postea Religio, quæ sub Regula Alberti militauit (vt nunc etiam militat) idem agnouit intentum, vt constat ex cap. 6. Regulæ, vbi præcipit, die, ac nocte orare, & meditationi vacare. Et quia domesticæ testes in hac re certius reddunt testimonium: prodeat noster Valdenis, de sacramentalibus, tit. 9. c. 84. n. 7. vbi Religiones distinguens penes ordinem ad proprios fines, nostrum designat his verbis. *Veniat Benedictus, & crescat in assidua custodia claustrum: succedat Albertus cum Carmelitis suis, & crescat in silentio, & meditatione continua legis Dei, in secretis cellis, cum labore manuum, & penuria victus. Sic Dominicus ferueat in doctrina cælesti, & Franciscus in nuditate, & despectu mundi, &c.*

Vvaldensis.

Tertio accedant aliquorum summorum Pontificum testimonium, quæ rem propositam claram, & indubitabilè reddant. Gregorius IX. (vt habetur in registro anni tertij sui Pontificatus, & refertur in speculo ordinis) fratribus in monte Carmeli commorantibus ita rescripsit. *Dilectis filijs Priori, & fratribus Eremitis montis Carmeli salutem, &c. Ex officij nostri circumspectione, tenemur, sollicitam adhibere caute-*

Greg. IX.

lã, ne hi, qui, ascendentes in montẽ orare cū Domino, pedes suos
lauerunt, iterũ eos coinquinẽt à contẽplationis specula descendẽ
do & infra: Hinc est, quod cū lotis pedibus speculam Dñi ascẽ
datis, vacaturi contẽplationibus cœlestium, & assumpseritis
contra malignos luctamen, terrenis omnibus abdicatis, ideo,

Innoc. III. &c. Eisdem quoque vtitur verbis Innocẽtius Papa III. qui
anno Domini 1245. regulam nostrã confirmauit: quibus

Alex. III. subscripsit Alexander III. (vt inspeculo ordinis refertur.)

Eugen. III. Imo ex bulla mitigationis ab Eugenio III. cõcessa cõstat,
fratres, dũ mitigationẽ postularẽt, id potissimum pro causa
mitigationis iusta allegasse, valde scilicet onerosum, ac diffi
cile esse, noctu diuque in lege Domini meditari.

Quarto, quia semper nostri ordinis fratres Eremos colue
runt, & Eremitã à summis Pontificibus, (vt fere innumeris
bullis, & priuilegijs patet) sunt appellati. Imo hoc præfori
bus in ipso regulæ titulo legitur. At proprius Eremitarum
finis est, Deo, orationibus, ac meditationibus diuinis vaca
re: ergo iste est nostri muneris scopus. Neque contra hoc
vrget, quod in ciuitatibus, aut villis nunc habitemus: quia
consultõ nostra regula addit, vt hæc loca nobis conces
sa in Eremitis, vel alibi, non aliter recipiantur, nisi apta sint
ad nostrã Religionis obseruatiã, vt explicuimus supra. c. 2.

Quintõ, quia nostra regula aliquem finem, & scopum ha
bere debet: & tamen non habet pro fine vitam merè actiuã
(vt constat,) neque mixtam ex contẽplatione, & actione,
nempe, cura proximorum: nam nullum nec minimum de
hac actione in Regula verbum fit. Habet ergo pro scopo
potissimo vitam contẽplatiuam, hic enim verus est finis,
qui in regula exprimitur, & ab ea potissimum intenditur.

Sextõ, & efficacissimè probatur. Nam ille quidem est ve
rus Religionis finis, ad quem cætera religionis exercitia ref
piciunt, & diriguntur: sed omnia Regulæ exercitia ad ora
tionem præcipue destinantur: hæc igitur finis erit. Maior
huius argumẽtationis certa est ex ipsa natura finis. Minor
verõ probanda est, per singulã regulæ mādãta, & exercitia
discurrendo. Et (vt à principaliori incipiam,) cellæ stabilis
custodia, & obseruantia ad hunc finem præcipue destina

tur, & à regula in id ipsum eligitur, probabimus enim infra c. 6. quantum cellæ assidua inhabitatio ad orationem, ac meditationem conducatur: nec vlli dubium est, ad orationem secretum, & solitarium locum potissimum requiri, vt constat ex illo Matth. 6. *Tu autem cum oraueris, intra cubiculum tuum, & clauso ostio, &c.* Hac ratione orauit noster Eliseus 4. Reg. 4. qui puerum à morte suscitaturus, domum ingreditur, & clauso ostio orauit ad Dominum. Quibus adde, quòd non vtcunque in cellis manere regula præcipit: sed singulos singulas, & separatas cellulas habitare constituit, vt commodius diuinis meditationibus & orationibus, vacare sine alterius offendiculo possimus: (quod latius prosequemur infra in expositione c. 2.) Præterea, cum hoc medium ad obtinendam puritatem, & indisruptam orationem, & meditationem principalius sit: ideo in regula tanquam fini proximus, & magis ei proportionatum, simul cum ipso fine in 6. c. præcipitur. Et insuper, ad huius mediij firmitatem, & consistentiam aliud quoque mediũ a regula excogitatur, nempe, labor manuum, qui, vt infra in capite de labore manuum docebitur, ob id tantopere nobis commendatur, vt infra cellam occupati, manus in opere, & mentem in Deo fixam teneamus, & vtrique studium pariter impendamus. Nam vt optimè Cassianus libro. 10. institut. c. 24. ob has duas causas inter alias, labor manuum exterior ab Aegyptijs monachis exercebatur. Primo, ne ab eis otij tempus admitteretur. Secundo, ne meditationi spirituali finis imponeretur, vt sic (ait) *pariter exercentes corporis, animæque virtutes, exterioris hominis stipendia cum emolumentis interioris exequantur: & sic lubricis motibus cordis, & fluctuationi cogitationum instabili, operum pondere, velut quandam tenacem, atque immobilem anchoram præfigentes: cui volubilitas ac peruagatio cordis in nexa, intra cellæ claustra, veluti in portu fidissimo, valeat contineri: atq; ita spirituali meditationi, & custodiæ cogitationum intèta, ab omni superflua, & otiosa cogitatione, se custodant: ita vt quid ex quo pèdeat, haud facile possit à quoquã discerni id est verũ propter meditationẽ, spirituale manuũ opus exerceat: an*

Matth. 6.
4. Reg. 4.

Cassianus.

propter operis iugitatem sã præclarum spiritus profectũ scien-
 tixquè lumen acquirant. Hæc Cassianus. Qui ibidem etiam
 docet, Paulum primum Eremitæ cultorem pro sola purga-
 tione cordis, & cogitationum soliditate, ac cellæ perseue-
 rantia, manuum laborem elegisse. Et denique idem Cas-
 sianus libro. 2. institutionum capite. 14. pulchrè (vt solet)
 Bernardus. docet, quantum ad orationem labor manuum conducatur.
 Item sentit Bernardus in Epistola ad fratres de mōte Dei:
 ubi monet, intra cellam manibus aliquid operandum, ad nu-
 triendum, & conseruandum spiritum. Constat igitur ex di-
 ctis, tam cellæ assiduam commorationem, quam laboris
 manuum exercitium, ad orationem, & meditationem à Re-
 gula prudenter ordinari, ac præcipi.

Oportet igitur, vt, ad reliqua capita Regulæ descen-
 dentes, idem de vno quoque probemus. Post Regulæ articu-
 lum, qui de cellulæ habitatione tractat, sequitur præcipuũ
 de horis Canonicis, quæ mentē in Deum eleuant, & interio-
 rem animæ deuotionem in eius honorē, & laudē excitant.
 Hæc verò non tã media ad orationem, quam ipsa oratio di-
 cī possunt. Traditur deinde caput de nō habendo propriũ
 tam in in particulari, quam in communi. Hæc verò strictissi-
 ma paupertas (vt author est Gregorius IX. ibi adducendus)
 ideo à regula præcipitur, quia maximè oportet, viros contē-
 plationi addictos, nudos ab omnium terrenorum possessio-
 nē pedes habere. Et (vt omittam alia Regulæ statuta,
 quæ etiam huic fini deseruiunt,) ad præcipua gradum
 faciam: ad ea nimirum, quæ de ieiunio, de carniū abstinē-
 tia, & de silentio loquantur. Et (vt à ieiunio incipiam]
 in primis ipsi Hæretici, ieiuniorum, & abstinētiæ acer-
 rimi hostes, quales sunt nostræ ætatis Lutherani, & Cal-
 uinistæ, etsi alias à ieiunio vtilitates omnes, & fructus
 secludant, hunc negare non sunt ausi, nempe, ad oratio-
 nem, & contemplationem maximè adiuuare: vt videre
 est apud Bellarminum lib. 2. de bonis operibus in particula-
 ri c. 11. in principio. Quod & nos hic breuiter exemplo an-
 tiquorũ Patriarcharũ & Sãctorũ Patrũ comprobabimus.
 Hi enim ieiunio animã adorationē, & coelestiũ rerũ contē-
 plationē disponebāt. Sic de Moyse Exod. 34. qui quadra-
 ginta

Bernardus.

Greg. IX.

Bellarmin.

Exod. 34.

ginta dierū ieiunio animā preparauit, antequā ad Dei colloquiū auderet accedere. Sic sanctus nolter Patriarcha Eliās per quadraginta dierum spacium ieiuniū obseruat: vt Deū in monte Oreb sub specie aurę tenuis videre posset. Daniel quoque trium hebdomadarum ieiunio disponitur ad reuelationes Domini suscipiendas. Et ob eandē rationem Ecclesia Catholica in profestis magnarum solennitatum ieiunia decernit: vt his animi aptiores reddantur ad vacandum tali celebritati: vt docet Diuus Bernardus in vigilia sancti Andree. Quare recte illud dictum est à Chrysostomō homil. 1. in Genesim: *ieiunium est anime nostræ alimentum, leues ei pennas producit, vt in sublime feratur, & summa contemplari queat.* Basilii quoque sermone. 1. de ieiunio, *ieiunium (inquit) orationē ad cælum transmittit instar ale ipsi existens ad profectiōem sursum versus.* Nequē est, cur in hoc diutius immoremur, cum passim id patres apertissime clament.

Bernardus.

Chrysostom.

Basilii.

De carniū verò abstinentia illud est certum, maximè conducere ad corporis, & passionum eiusdem mortificationem. Nam, cum carnes sint quasi quoddam seminarium libidinis (vt infra de esu carniū probabimus,) passiones pacatiores redduntur per earum carentiam. His autem sedatis, animus p̄optior est ad diuina speculanda. Quare hæc carniū abstinentia à regula commendatur, quasi remouens prohibens mortificationem passionum, ac proinde inducēs mentis eleuationem in Deum.

Denique de silentio non est, qui ignoret, quam fidus sit orationis comes: & ob eam causam tantopere à Patribus, & à nostra Regula commendatur, & non vt cunque, vel simplici præcepto, sicut & alia, sed pluribus verbis, & varijs scripturæ autoritatibus persuadetur, & præcipitur.

Septimo, & vltimo, orationem, ac meditationem finem esse Regulæ, non leuis coniectura suadet. Nam sicut finis est id, quod primò intendimus, & quod in animo ante omnia alia præfigitur, ad cuius postea consequutionem reliqua destinantur: ita regula inter eas cōstitutiones, quæ ad subditorum directionem spectāt (vt in initio. 6. c. infra docebimus) primo loco telos, siue scopum ante oculos obijcit, vt ad illū reliqua, quæ in Regula continētur, ordinemus. Hoc itaq; in

mente sine proposito, omnes actus nostri ad eius consequentiam dirigendi sunt. Hic nobis principalis debet esse conatus: hæc immobilis destinatio cordibus nostris firmanda est, ut diuini rebus, ac Deo mens semper inherat. Pro hoc sine cellæ solitudo, & clausura lectanda est, ieiunia, vigiliæ, corporis nuditas, silentium, carnis abstinentia, & reliquæ asperitates suscipiendæ sunt. Et denique quidquid ab hoc diuersum est, quauis alias magnum videatur, importunum tamen, aut etiam infirmum, seu noxium iudicandum est.

Patet igitur ex dictis, post orationem, & meditationem, in nostra Regula & professione secundum locum obtinere vitæ asperitatem: in qua etiam potissima pars est, cellæ, siue monasterij clausura. Ita, ad hæc duo, nempe, ad vitæ asperitatem, & clausuram, veluti ad duos orationis pedes, & firmissimas nostri instituti columnas cetera reducuntur. Quare, studiosus quisque nostræ professionis insectator, post orationem, colat pœnitentiã, siue vitæ asperitatem, & clausuram.

Secundo existimo, secundario studendum esse nobis animarum saluti, sine detrimento tamẽ (quantum fieri potest) principalioris finis. Et (ut clarius loquar,) hac secunda assertione consti-
 tuiuo, nostræ religionis institutum mixtum esse contemplatione, & actione, non tamen ex æquo, sed principaliter ex contemplatione, secundario autẽ, & minus principaliter ex actione. Hoc dictum duo continet probanda. Primum, quod principale obiectum, & adæquatum nostri ordinis sit diuinæ legis contemplatio: quod satis, superque constat ex dictis. Secundum vero, scilicet, quod secundario actioni (nempe saluti proximorum) tanquam minus principali fini studere debeat, ex eo aperte probatur. Quia Religio nostra vna est de mendicantibus: at mendicantes datæ sunt Episcopis in eorum adiutorium, ut docet Concilium Meldense. c. 3. & Rothomagensis. c. 11. apud Buchardum lib. 1. c. 88. & habetur in e. in nouo. 21. distinctione & c. inter cetera de officio ordin. vbi Turrecrem. Hostiensis. & Ioan. Andreas, & Syluester verbo Episcopus. §. 9. & optime S. Tho. contra impugnantes religiones c. 4. & D. Bonauentura in tractatu quare fratres minores prædicent. Cum igitur no-
 bis

Conc. Meld.
 Cõ. Rothom.
 Buchardus.
 Cap. in nouo
 21. d.
 Capit. inter
 cetera, de of-
 fic. ordin.
 Turrecrem.
 Hostiensis.
 Ioan. Andr.
 Syluester.
 S. Thom.
 Bonauent.

bis pro hac parte munus hoc prædicandi, & confessiones audiendi conueniat, & hic non sit principalis finis Regulæ: manifestè sequitur, esse tantum principaliori annexum, & quasi secundarium. Et confirmatur ex bullis summorum Pontificum, qui hunc quasi secundarium finem nobis proponunt. Ioannes XXII. in bulla de exemptione ab omnibus Prælatiis sic ait. *Sacer ordo vester in agro Dominico diuina dispositione plantatus &c. Cuius professores, à se mundanis relegatis illecebris, cælestium contemplationi vacantes insistunt iugiter, & profectibus animarum.* Ecce primo loco iugem contemplationem, & annexam illi quasi secundario animarum salutem. Eadem ferè verba habentur in bulla exemptionis Clementis. VI. *Clemēs VI.* vt videre est inspeculo ordinis. Illud tamen sciendum est, ordines mendicantes, ex eo præcisè quod mendicantes sunt, non teneri animarum saluti operam dare: præcipuè si proximorum cura illis non sit præfixus, & principalis finis, sed tantum obligantur quando superior, hoc est, ordinis Prælati id præcipit, vt rectè aduertit D. Thom. 2. 2. q. 188. art. 4. *D. Thom.* ad. 2. & 3. Quia, etsi à iure coadutores Episcoporum designentur, vt patet ex Clementina Dudum. §. Cæterum de sepulturis, & extrauag. super cathedram. §. finali de sepulturis, iuncto cap. inter cætera de officio ordinarij: tamen hoc intelligendum est, non ita, vt mendicantium munus, quod in prædicando, & alijs exerceri solet, ex debito, aut obligatione aliqua præstare ipsi teneantur, sed tantum spontaneè & libere iuum adiutorium Episcopis & fidelibus exhibendo, non alio iustitiæ vinculo, nec iure alio, quàm gratitudinis, pro eleemosynarum sibi à fidelibus beneficio exhibito gratiam spiritualibus bonis reddentes. Quare solum ad hoc tenentur, quando Prælati id præceperit. Quando verò prælati teneatur id præcipere, crediderim, fortè non alio tempore, quàm necessitatis, vt si ob penuriam Parochorū (vt contingere solet tempore pestis) non esset, qui fidelibus sacramenta posset ministrare. Alijs verò temporibus licet pium sit & laudabile omnibus ordinibus mendicantibus, proximorum saluti attendere: in nostra tamen Religione, oportebit, Prælatum in hac re non esse nimis sollicitum, & anxium: sed ea ratione hæc

Ioā. XXII.

Clemēs VI.

D. Thom.

Clem. Dud.

§. cæterū, de sepulturis.

Extrau. super cathedrā

§. fin. de sepulturis.

Capit. inter cætera, de officio ordinarij.

Gregorius.

disponere, & discernere debet, vt subditorum mētes in plura, ac varia non diuidantur studia. Nam sępe fit (vt lucullenter Gregorius I. Pastoralis c. 4. inquit) *Susceptam curam, diuersa intuēdo, cor diuerberare, & imparem quemque inueniri ad singula, dum confusa mente diuiditur ad plura. Vnde quidā sapiēs prouidē admonet Ecclē. 11. Fili mi ne in multis sint aētus tui, quia, videlicet, nequaquam benē in vniuscuiusque operis ratione colligitur, dum mens per diuersa sparsa partitur: & sic fit sępe in exteriorum dispositione sollicita, & sui solum modo ignara: scit cogitatione multa, se nesciens: nam cum plus in exterioribus, quam necesse est, se implicat, quasi occupata in itinere, obliuiscitur quo tendebat, ita, vt à studio sua Inquisitionis alienata, ne ipsa quidē quę patitur damna consideret. Hęc Gregorius. Quę neque extendi, neque applicari alijs religionibus in procuranda proximorum salute studentibus debent: cum potius ex hoc maxime cōmendandę sint. Nam per hęc media suum principalem finem inquirunt. Meritō tamen adaptari possunt nostrę, ne, omisso potissimo fine, minus principalem nimia sollicitudine quęramus: ne, si vtrumque simul amplecti velimus, plura aut maiora viribus exequentes, neutrum consequamur.*

Quibus omnibus non incongrue illud addi potest, quod Dñs fundatricę nostrę **THERESAM A IESV** alloquens, sic monet, *Dic ((inquit) fratribus discalceatis, vt plus vitę exemplo, quam verbis prædicent. Qua propter illud vni cuiq; nostrū conueniētissimū, imo necessarium erit, vt secundum propositum, quod elegit, secundum vocationem, siue gratiam, quam accepit, ad operis arrepti finem peruenire festinet, & aliorum quidem ordinum laudans diuersa studia, nequaquam à sua, quam semel elegit, professione discedat, sciens, secundum Apostolum, vnum esse corpus Ecclesię, multaque membra: quę etiam secundum gratiam, quę data est eis, sint donationes differentes. Et, vt in corpore membra aliorum sibi membrorum ministeria nec vindicare volunt, nec possunt, quia nec oculi manuum, nec nares aurium vtuntur officio: sic in Ecclesię corpore euenire necesse*

esse est, vt propria membra proprijs tantum fungantur
 numeribus. Impossibile namque est (vt fermè in hoc propo-
 sito Nestorium Abbatem apud Casianum collatione. 14.
 capitulo. 6. contuluisse traditur,) *Vnum, eundemque*
hominem simul vniuersis fulgere virtutibus, quas si quis volue-
rit pariter affectare, in id eum incidere necesse est, vt dùm om-
nes sequitur, nullam integrè consequatur: magisque ex hac mu-
tatione & varietate dispendium capiat, quam profectum:
multis enim vijs ad Deum tenditur, & ideo vnusquisque il-
lam, quam semel arripuit, irrenocabili cursus sui intentione con-
ficiat, vt sit in qualibet professione perfectus. Hęc sunt Abba-
tis Nestorij.

Nestor. Ab.
 apud.

Constat igitur ex prædictis, orationem, ac meditationē
 continuam, potissimum esse nostræ Regulæ finem. Quid
 autem comprehendatur nomine orationis, ac meditatio-
 nis, & qua ratione huius præcepti continuatio debeat intel-
 ligi, ac denique quæ sint media, ad quæ quis tenetur, vt huic
 Regulæ fini satisfaciatur, infra in commentarijs tertiæ. p. c. 6.
 Regulæ explicabimus. Nunc de Regulæ præfationibus alijs
 dixeramus.

D V B I V M. V.

*Ad quam ex quatuor Regulis hæc
 Alberti Regula redu-
 catur.*



Quatuor esse in Ecclesia Dei approbatas Re-
 gulas, quæ veluti quatuor perfectionis ele-
 menta sunt: & sub his quatuor omnes ordi-
 nes Ecclesiæ militare, cōmunis tenet autho-
 rum sententia. Cæteræ vero Regulæ (si quæ
 sint) harum quatuor appendices, & quasi co-
 rollaria appellantur, vt videre est apud Volaterranum lib.
 21. Geographiæ. Polidorum lib. 7. de inuentione. c. 4. Gene-
 brar. lib. 4. circa ann. Incarnationis 1285. Inter quatuor igitur

tur prædictas Regulas prima fuit Basilij. Basilij enim in Orientali Ecclesia normam, ac viuendi Regulam Monachis Syriæ constituit. Docet id Antoninus 2. parte. suæ historiæ tit. 15. c. 12. & esse hanc communem omnium scribentium sententiam: retulit Cassaneus in Cathal. glo. munc. 54. consideratione. Basilio successisse Augustinum in Occidente, omnes etiam sine controuersia tradunt. Post hanc sequitur Benedicti Regula, quæ tertium iure occupat locum. Vltimo Regula à B. Francisco non sine magna utilitate Ecclesiæ edita est. Carthusienses tamen sub Regula aliqua non militant: sed propria habent statuta, quæ mutari possunt per prælatos sui ordinis, ac proinde non reducuntur ad aliquam ex prædictis Regulis, sed proprio ordine, inter aliosque perfectissimo, & sub constitutionibus instituto gaudent. De Regula verò fratrum Carmelitarum vel authores plurimi non meminere, vel ij, qui de ea sermonem instituunt, appendicem eius, quæ D. Basilij est, non verentur fateri: licet alij ex Paulino, & Basilio: alij ex Ioanne Hierosolymitano, & Basilio extractam tradant. Prioris sententiæ, nempe, quod Carmelites sub Regula Basilij quondam in Occidentali Ecclesia militauerint, author est Antoninus 3. p. suæ summæ tit. 16. c. 1. §. 8. prope finem vbi sic ait. *Sub Regula Basilij (quæ 1. fuit) Fratres Carmelitæ aliquando fuerunt: quibus anno Domini 1247. Dominus Innocentius III. addidit quasdam ordinationes per modum Regula, traditas eis à quodam Patriarcha Hierosolymitano dicto Alberto, extractas à Regula Basilij cum quibusdam additis.* &c. Hæc Antoninus: quem sequuntur plures alij grauissimi scriptores, vt sunt Cassaneus, in Cath. gloriæ mū. 4. p. cōsideratione 70. qui de Carmelitis loquens, ita ait: *Carmelitæ præferendi sunt fratribus Prædicatoribus, Sancti Augustini, & Minoribus: quia primò fuerunt instituti, cum fuerint sub Regula B. Basilij: quæ prius fuit, quam Regula Beati Augustini, sub qua erant Prædicatores, & Regula B. Francisci, quæ fuit solum anno Domini 1218.* Sentit idem Syluester verbo (Religio. 1.) n. 7. & Armilla eodem verbo, & Antoninum sequitur turba Canonistarum, & alio-

Antoninus.

Cassaneus.

Antoninus.

Cassaneus.

Syluester.
Armilla.

& aliorum authorum: & præcipuè quantum ad id, quod asserit, Albertum dedisse Regulam mutuatam ex Basilio, cū eo tenent Polidorus lib. 7. c. 3. de rerum inuentoribus, Sabellic. lib. 5. ænead. 9. & Platina: quorum etiam sententiam probat author Theatri vitæ humanæ volumine. 21. lib. 3. folio. 41. 14. Alij verò alia via procedunt, asserentes, Carmelitas non immediatè sub Regula D. Basilij fuisse, sed eam accepisse circa annum Domini 412. à Ioanne Patriarcha Hierosolymitano, de quo supra mentionem fecimus. Hunc tradunt, Regulam Carmelitis dedisse, extractam verò ex doctrina D. Basilij. Ita affirmat noster Vvaldensis de sacramentalibus titulo. 9. cap. 89. Pro qua sententia affert ibi Armacanum Hiberniæ Primatem. Censet idem Paleonidorus libro. 2. c. 5. Plato. de bo. sta. Relig. lib. 2. cap. 22. Morigia lib. 1. de Origine Relig. c. 30. & demique interiuiores Frater Emanuel Rodriguez in quæstionibus Regular. quæst. 1. de Origine Religionum, art. 5. & alijs ordinis Historiographi. Nobis verò in hac parte primum videtur, Carmelitas nunquam sub Regula Basilij militasse, & D. Antoninus sine fundamento loquutus fuisse videtur. Nam in primis excogitari non potest vllum tempus, in quo Carmelites sub Regula Basilij fuerint. Regula enim Ioannis Hierosolymitani, (vt supra p. 1. docuimus) tradita fuit Carmelitis circa annum Domini. 412. & hæc perdurauit vsque ad Aymerici tempora: qui (vt supra etiam retulimus) institutionem à Ioanne Hierosolymitano Carmelitis datam, & idiomate Græco conscriptam, Latine verti, propter Latinos in monte Carmeli commorantes, iussit. Floruit autem Aymericus (vt præcedenti dubio tradidimus) circa annum Domini 1150. Cui ferè immediatè successit Albertus, qui anno. 1171. Regulam nobis concessit. Quo ergo tempore sub Basilij Regula Carmelitæ viuere potuerunt? Et minus etiam probabile apparet id, quod idem Antoninus, & alijs censent, Regulam Alberti extractam, ac desumptam fuisse ex eà, quam Basilius condidit. Cum potius, si nostra Regula eum Basilij, & aliorum Regulis conferatur, in nullo ferè eam, quæ Basilij est, referre videatur: cùm cæteris verò frequenter concordet. Nam si per singula Regulæ nostræ capita discurramus, nul-

*Polidorus.
Sabellicus.
Platina.
Theatrū vi-
tæ humanæ.*

*Vvaldensis.
Armacan.
Paleonidor,
Hie. Plato.
Morigia.
F. Emanuel
Rodriguez.*

lum ex Basilio desumptum facile inueniemus. Nam primū, quod est de Priore habendo, ac de tribus votis seruandis, (in quibus Regularis disciplina consistit,) nō mirum, quod in Basilij Regula inueniatur: cum hoc commune sit omnibus Religionum institutis. Differt tamen in eo, quod potest. Nam Basilius in sua Regula Præpositum, siue Abbatē nominat: Albertus verò Priorem appellat. Secundum & tertium. cap. in quo de Eremi situ, de cellularum singularitate, distantia & dispositione agitur, non solum à Basilij Regula petita non sunt, verum ei omnino contraria apparent. Basilius enim cœnobialem, ac communem vitam in vno monasterio, sine hac cellularum separatione, in suis Regulis sæpe instituit. Albertus verò eremiticam vitam, ac solitariam decernit. Quartum verò c. de cōmuni refectione traditur. An igitur quia idem in Regula Augustini & Bened. inuenitur, nostra Regula ex Augustini & Benedicti Regulis desumpta est? Aut fortè, quia Basilius communem mensam statuit, & hanc suis Regulis Augustinus & Benedictus confirmarunt, Regula Augustini & Benedicti à Basilio emanasse dicenda erit? Sed quid moror in hoc? cum Regula Alberti communis refectionis mensam Eremitis non sternat, sed hoc ab Innocentio III. additum fuisse constet? Præterea c. 5. nostræ Regulæ, quod de situ cellulæ Prioris agit, eam esse construendam iuxta vestibulum monasterij tradens, nusquam in Regulis Basilij reperies. Sextum verò de oratione ac meditatione continua nec apud Basilius, nec apud alios Religionum institutores sub præcepto cautum inuenitur. Septimū, quod circa horas Canonicas, & officium diuinum persoluendum versatur, potius Benedictum quam Basilius redolet. Octauum, quod de abdicando rerum vsu, ac proprietate tractat, forte Basilij est, quia omnium commune esse debet. Nam cum paupertatis votum, à quo hæc abdicatio prouenit, Religionibus omnibus commune sit: quid mirum, si in Regula Basilij inueniatur.) Nonū verò. cap. de oratorio in medio cellularum erigendo, neque in Basilij, neque Augustini, neque alia cœnobitica Regula scriptum reperies. Huius verò quod in eodem. c. statuitur, vt ad audienda missarum solemnia fratres conueniant, etiam non memi-

nit Basilius. Cap. verò decimum de capitulo & correctione fratrum agit, vbi autem in Basilio capitulum, aut aliquid, quod illud sapiat legitur? Et, vt omnia concludam, vbi Basilius ieiunium ab exaltatione Sæctæ Crucis vsque ad Dominicam Resurrectionis suis monachis commendauit? vbi abstinentiã à carnibus decreuit? Certè nec de ieiunio in Regula Basiliij aliquod peculiare statutũ inuenio: & carniũ esum non solum non interdici, verũ & expresse concedi video, vt patet in Regulis ferior. interrogatione 19. & 20. vbi Basilius apertè monachis, se nosse carniũ esum negare, fateatur. De silentio quoque nocturno in Basiliij Regula sermo nõ fit. Quod si de delabore manũ in ea tractatur (quod quidem non inficior) hoc tamen laborandi studium ita fuit monachis Syriæ & Ægypti cõmune, vt nullus ad eorum cõfortium admitteretur, qui alicuius artis mechanicæ munere nõ fungeretur. Nec solũ in orientalibus Religionibus id receptũ cõperies, sed in Occidentalibus apud Benedictũ August. & Frãcisẽ idẽ statutũ videbis. Quid ergo cõmerciij, societatis, aut similitudinis Alberti Regulæ, cũ Basiliij institutionibus? vt prædicti authores ausi sint affirmare, nostrã Regulã ex Basilio extractam, eiusque appendicẽ esse? eũ tam late, longeque inter se distent. Et certè inter hæc duo dicta Antonini, nepe, quod Religio nostra fuerit aliquãdo sub Regula B. Basiliij, & præterea, quod Regula Alberti sit extracta ex institutionib⁹ Basiliij, hoc secũdũ magis cũ ratione ac experientiã pugnat. Nã de priori nõ miror, quod, cũ Religio nostra in remotis Syriæ partibus cõmoraretur, eius initia, ac progressus ab Antonino, & alijs Latinis scriptoribus ignorarentur, & sic falli potuissent, existimantes sub Regula Basiliij, famulatum Deo præstitisse.

Nõ parũ prædictis obtare videtur nostri ordinis authorũ sententiã. Nã Vvald. vt sup. & Paleonidor. & Mātuan. in apolo- *Vvaldensis.*
logia de antiquitate ordinis affirmãt, Regulã nostrã extra- *Paleonidor.*
ctã fuisse ex Regulis Basiliij. Huic obiectioni respõdetur, quã *Mantuanus*
(vt ex Amphil. Yconicæ Episcopo, & ex alijs docet Paleon. *Amphilot.*
lib. 2. c. 5.) Eusebius Cæsareæ Episcopus, cũ primũ Basiliũ agnouit, admirãs pfundissimæ sapiëntiæ eius Pelagus, vocatis quibusdam montis Carmeli fratribus, in monte Dichini eis
Monaste-

Monasterium constituit, cum quibus Basilius omni humilitate conuersando, post mortem Eusebij meruit prouehi ad summum Cæsareæ sacerdotij gradum. Et insuper addit Paleonidorus. Iste est Basilius, qui Monachorum institutū duplici sub forma composuit: vnam per modum dialogi, & hanc eius confratres Carmelitæ in monte Didimi assumpserūt: & eundē in Patronū eligētes, de ordine S. Basiliij vocati sunt: aliam per modum communis admonitionis, quam S. Ioannes. 44. Hierosolymorum Episcopus suo libro inseruit, & Carmelitis tradidit. Sub hac Carmelitæ vixerunt quousque ab Alberto compendiosam regulam acceperunt. Hęc Paleonidorus. Id mihi in hac re magis probatur (quod latius sum profecutus libro. 1. cap. 10. de ordinis antiquitate) D. Basilium, præter regulas, quas monachis communiter in cœnobijs de gentibus composuit (quæ etiam inter sua opera habentur) aliam regulam tradidisse his, qui solitariã vitam in Ponto Euxino agebant (quorum ipse simul cum D. Gregorio Nazianzeno collega fuit, vt sæpè tã ipse, quã Nazianzenus Epistolis suis repetunt. Consulendus de re hac Varonius, qui hæc & alia D. Basili gesta tomo. 4. circa. annū 362. & 63. plena oratione scripsit.) Et quantū mihi fas est colligere, has institutiones Basilius simul cum Nazianzeno composuit: vt aperte ipse Nazianzeno Epistola. 9. demonstrat. Ab his fortè regulis, Eremitis illis Euxinum colentibus, impositis Ioannes Hierosolymitanus partem aliquam suarum institutionū est mutuatus: a quo Albertus Patriarcha (vt infra dicam) suam regulam accepit, & ideo Albertus dicitur suas institutiones à Basilio mēdicasse. Quibus bene consonant ea, quæ nostri ordinis historiographi de Basilio dicunt: nempe, Regulam Ioannis extractam fuisse ex Regula Basiliij, non ex his, quæ inter scripta Basiliij circumferuntur, sed de alijs institutionibus, quas ipse Eremitis Ponti siuè voce, siuè scripto tradidit. Et ex hoc comunis authorum sententia occasionem assumpsit affirmandi, Carmelitas in occidenti sub Regula Beati Basiliij militasse.

Sed certè (quod verius existimo) horum authorum errandi occasio non alia fuit, quàm, quod cum ipsi solum in Europa quatuor prædictas Regulas agnouissent, & Carmeli-

tas neq; sub Augustini, neq; Benedicti aut Francisci regulis viderent, statim suspicati sunt, sub Regula Basilij originem sumplisse. Maxime, cum eorum initia, vt pote in Syria, & alijs remotissimis Religionibus peracta ignorarent. Nec mirum est, quod historiographi Latini ea, quæ ita procul contigere, non cognouerint. Et hoc est in causa, vt tam variè, tam incertè, & frequenter tam longe à veritate de huius Religionis gestis loquantur.

Ex prædictis igitur luculenter patet, Carmelitarum Regulam à Patriarcha Alberto eis traditam, non esse appendicem Regulæ Basilij, neque ad aliquam aliam ex quatuor superius allatis reduci. Quare cum omnino diuersa sit ab illis, non iam tantum quatuor Regulæ, sed quinque inter approbatas erunt annumerandæ: præcipuè, cum Regula Alberti nec tempore (vt dictum est supra,) nec perfectione, vt iam pergimus explicare, alijs posterior sit. Patet etiam secundo, Albertum in sua regula nulla ferè inseruisse, que antea in institutionibus Ioannis Hierosolymitani non essent appositæ. Quod facile esset ostendere, per singula Alberti capita *Specul. ord.* discurrendo, vt probatur in Speculo ordinis libr. 8. capit. 4. vbi fusiùs demonstratur, prædictam Regulam ferè in omnibus, eam, quæ Ioannis est, æmulari: præcipuè verò legenti cap. 21. Ioannis Regulæ; constabit, ab eodem circa oratorium, cellarum separationem, & silentium, idem quod ab Alberto fuisse stabilitum. Quare Albertus in sua Regula id solum præstitit, vt, quod Ioannes in dictis institutionibus sua dendo in generali dixerat: Albertus statuendo in speciali determinaret. Ita expresse sentit *Vvaldensis.* de sacramenta tit. 9. c. 89. dum ait, *Ordo Carmelitarum à Ioanne Patriarcha Hierosolymitano regulam viuendi Græce conscriptam accepit, quam pleniori post sub Alberto Patriarcha forma digestam inspexit. Sentit ergo Vvaldensis in hac re nobiscum.*

D V B I V M VI.

De perfectione Regulae Alberti, nostraeque Religionis.



Aria sunt in Ecclesia Religionum genera, quibus Deus varijs hominum conditionibus consultum esse voluit. Nam cum diuersa sint hominum ingenia, varię propensiones, nec pares omnibus vires insint, vnus enim diligit solitudinem, alius frequētia gaudet, alius libentiùs legit, alius operatur, vel orat: non sine diuino consilio, Religionum institutum in multas professiones, studiaque diuiditur: & vt rectē Nestorius Abbas apud Calsianum collatione. 14. loquitur, *Quidam summam intentionis suę erga Eremita secreta, & cordis constituunt puritatē: vt in præteritis Eliã, & Eliseum, nostrisque temporibus Beatum Antonium familiarissimē Deo per solitudinis silentium cohæsisse cognoscimus. Quidam erga institutionem fratrum, & peruigile cœnobiolorum curam, omnem studij sui sollicitudinē dediderūt. Quosdã Xenodochij, & susceptionis piũdelectat obsequiũ. Quidã eligētes ægrotantiũ curã, alij intercessionē, quę pro miseris, ac oppressis impēditur, exequētes, aut doctrina insitãtes aut eleemosynas pauperibus largientes, inter magnos, ac summos viros vigerunt. Hęc Nestorius vt supra. Hoc autē singulis vniuscuiusque artis ac vitę professoribus innatum cernimus, vt illam omnibus alijs excellentiorem existiment, ac varijs laudibus efferant: (quod multis exemplis in artium professoribus relucet.) Laudant enim iurisperiti ita suam artem, vt cum eorum disciplina nihil putent conferendum: ab hac enim totius mundi administrationem ac practicam disciplinam pendere putāt. Medici verò nihil humano generi eorum facultate vtilius esse cognoscunt. Philosophi hęc omnia, tanquam vilia & caduca, aspernantur: nihil que sublimiùs ea disciplina exclamant, quę à terrenis his rebus*

Nestor. Ab.

rebus homines abductos, ad cœlestium contemplationem conuertit. Theologi denique (vt alios interim omittam) tanquam cum Deo versantes, eiusque arcana penetrantes, sciētiarum omnium famulatum Theologiæ deberi contendūt. Adeo enim vnicuique pulchrum, ac excellens suum institutum videtur, vt omnibus alijs præferendum merito censeat. In quo, de propria facultate & instituto, à nobis lato iudicio nescio quid proprietatis ac philauciæ latet: nam, dum de professione propria quis gloriatur, in sui laudem ac commendationem, suæ artis gloriam retorquet.

Idem quoque in suscipiendis religiosæ vitæ institutis plerumque accidere videmus, vt quod sibi quisque magis accommodatum videtur, id solum vt præstantissimum iactet: cætera verò pro nihilo ducat. Ex quo variæ sunt inter Religiones exortę quæstiones, & controuersię magnæ de excellentia, ac perfectione vniuscuiusque regulæ seu instituti: ita, vt ferè nulla sit, quæ alijs etiam perfectissimis palmam concedere velit: cum tamen verè & absque vlla dubitatione, multæ sint alijs digniores, ac perfectiores. Ex quo autem hæc perfectio p̄sanda sit, non est locus hic exactius examinandi, cū de hac materia latius in tractatione de professione simus dicturi. Tñ, vt ad propositi dubij resolutionē descendamus, aliqua circa hæc profari oportet: vt, præmissis his, nostræ Regulæ, ac Religionis arētudo, ac perfectio luculentius pateat. Cōsulto addidi (& Religionis:) nā ex sola regula, Religionis perfectio mēturanda nō est: cū plures Religiones perfectione inęquales, sæpè sub eadē Regula militēt. Quare ab alio principio, præter Regulā, pensanda est in Religionibus perfectio, ex vtroque tamen cōpletè: nēpè, tã ex Regula, quã ex alijs Religionis statutis, sine, & exercitijs, religiosi status perfectio cōsideratur. In hac dubitatione nostræ intentionis non est, sanctissimis aliarū Religionū institutis quicquam derogare, sed tantum nostræ Regulæ, ac instituti perfectionem eius athleticis, ac professoribus ostendere: vt sic ad brauium suæ vocationis alacrius, ac velocius ab omnibus expediti currāt, eiq; tenacius inhæreāt, nō vt de altissima p̄fessione gloriētur, sed vt cū timore, & tremore suā salutē operātes, potius reddēdā Deo rationē pertimescant.

Ioan. 4.
Colof. 3.

Primum igitur ad resolutionem huius difficultatis notandum est, veram perfectionem Christianam in charitate consistere. Nam cum vniuscuiusque rei perfectio in eo sita sit, vt suo vltimo fini quam arctissime coniungatur, & finis hominis sit Deus, cum quo eum charitas siue dilectio maxime vnit, iuxta illud Ioan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* & ad Coloss. 3. *Charitas est vinculum perfectionis,* id est, vinculum, quod ligans hominem cum Deo, illum reddit perfectum: sit ex consequenti quod in charitate, & dilectione Dei, omnis perfectionis Christianae summa sita sit.

D. Thom.

Secundo notandum est, quod quamuis in charitate perfecta, essentialis perfectio consistat: est tamen, praeter hanc, alia perfectio, quae perfectio status, siue status perfectionis dicitur: de quo D. Th. 2. 2. q. 183. ar. 1. & q. 184. ar. 4. & alibi saepe, & communiter Theologi, qui diuidunt perfectionem in absolutam, quae in charitate consistit, & in statum perfectionis, qui est modus viuendi certis legibus & consuetudinibus obnoxius, quibus perfectio adquiritur, vel exercetur. Qui perfectionis status adhuc subdiuidi solet, nempe in statum perfectionis iam adeptae, siue exercendae, (qualis est status Praelatorum vtpote Episcoporum,) & in statum adipiscendae, siue acquirendae perfectionis, qualis est status Religiosorum. Hoc enim interest inter Episcopos, & Religiosos, quod ij non tenentur continuo esse perfecti, sed tantum ad perfectionem aspirare, versantur enim in palaestra, & exercitatione virtutum, & remotione impedimentorum: illi vero tenentur esse perfecti, & in eo gradu charitatis inueniri, ad quem Religiosi per sua vota, & exercitia tendunt. Quare Episcopi debent esse perfecti, ac perfectionis veluti Doctores, & Magistri, qui eam exercere, & docere tenentur. Religiosis vero tantum conuenit discipulorum perfectio, quibus expedit addiscere, & profectum in disciplina curare. Tendunt igitur Religiosi ad perfectionem, & eorum status est via charitatis, siue perfectionis acquirendae.

Tertio obseruandum est, in statu Religiosorum, ad perfectionem parandam duplex esse instrumentorum genus: aliud est communissimum, qualia sunt tria illa substantialia vota, obedientiae, castitatis, & paupertatis: aliud vero solet esse proprium vniuscuiusque Religionis instrumentum, qualis

qualis est finis, siue proprius scopus illius Religionis: ac deinde peculiare vniuscuiusque ordinis obseruantia, vt vigilia, ieiunia, meditatio scripturarum, oratio, nuditas, solitudo, & similia, quæ proprijs Religionum Regulis, ac constitutionibus decernunt. Inter hæc vero instrumenta, potissimum est, & omnino necessarium illud primum, quod tria substantialia vota complectitur, in quo substantia Religionis saluatur, ac sine quo Religio perfecta esse non potest. Nam hæc sunt, quæ à Christo Domino, vt potissima ad perfectionem media, in Religione sunt instituta: cum certè, vt quis perfectè Deum diligat, debeat & se totum Deo tradere, & omnia impedimenta remouere. Vtrumque vero consequimur per virtutes obedientia, castitatis, & paupertatis. Tradimus enim Deo nos totos, quando tradimus animam, siue eius libertatem, corpus, & res externas. Nihil enim habemus aliud. Animus verò per obedientiam, corpus per continentiam, res externæ per paupertatem à nobis in Religione Deo traduntur. Ac proinde hæc virtutes cum primis in Religione sunt necessariae ad perfectionem acquirendam. Nec solum ad hæc iuuat prædicto modo, sed insuper illis remouentur omnia impedimenta diuini amoris. Nam cum radix omnium malorū sit cupiditas, teste Paulo ad Timoth. 6. sic è contrario radix omnium bonorum est charitas, teste D. August. sermone. 12. de verbis Domini. Omnis verò mala cupiditas ad tria capita reducitur: ad luxuriam, auaritiam, & superbiam, vt habetur 1. Ioan. 2. Quidquid est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Hos igitur tres impedimento- rum fontes obruunt tres illæ prædictæ virtutes. Nam & concupiscentiam carnis, continentia: superbiam vitæ, obedientia: oculorum denique concupiscentiam, siue auaritiam, vitæ paupertas destruit. De quibus latius D. Thom. 2. 2. quæstione. 185. & 186. & doctissimè inter iuniores Plato libr. 1. de bono statu Religio. per plura capita, præcipuè à cap. 4. vsque ad. 11.

Secundum genus instrumenti, quod in Religione reperitur ad parandam perfectionem, est duplex. Vel enim est finis particularis Religionis, vel sunt exercitia,

*Ad Timot. 6
Augustinus.*

1. Ioan. 2.

*D. Thom.
Hiero. Plat.*

D. Thom.
Caietanus.

quæ in tali Religione sunt instituta. Hoc autem discrimen inter vtrumque versatur. Primo, quia finis semper debet esse aliquis actus virtutis: vel misericordiæ, (teste D. Thom. 2. 2. q. 188, art. 1. & Caiet. ibi,) vt sunt prædicare, docere, & ex nodochis inferuire, &c; vel Religionis, vt est oratio, siue cōtemplatio. Exercitia verò non semper sunt ex se actus virtutum, vt sunt corporis maceratio, vigiliæ, cameuniæ, solitudo, &c. Quæ licet intrinsecè actus virtutum nō sint: si tamē debite assumantur, sunt actus virtutis, vt D. Tho. 2. 2. q. 88 artic. 2. ad 3. docet: & perfectionis instrumenta, vt idem ipse quæst. 188, artic. 7. in corpore fatetur: imo & media non solum opportuna, verum (supposita communi hominum fragilitate) ferè omnino necessaria, vt experientia ipsa, & sanctorum innumera exempla testantur ad perfectionem Christianam, acquirendam, & conseruandam. De quo nos fortè alibi latius dicemus. Secundo differunt finis particularis, & exercitia Religionum, quòd hæc semper ordinantur ad maiorem obseruantiam trium votorū (vt docet D. Tho. 2. 2. q. 186. ar. 9.) Itaque oēs istę obseruatiæ habent pro scopo immediato perfectiorē triū votorū obseruationē, mediante verò ipsam charitatē: finis verò peculiaris nō semper ordinatur, nec respicit maiorē, vel minorē votorū obseruatiā, vt patet de fine prædicandi, docendi, &c. Ex se enim nullā ordinationē habent cū obedientia, castitate, & paupertate: sed immediatè respiciunt charitatē ipsam, qui est vniuersalissimus finis Christianæ Religionis. Ac denique inter exercitia particularia, alia ordinantur ad obseruantiam trium votorum, vt dictum est: alia ad consequutionem finis particularis, vt studium litterarum ad prædicandum.

Ex his clare constat, in quo conueniant, & distinguantur Religiones: in duobus enim omnes consentiunt, & in duobus alijs oēs ferè distinguuntur. Cōueniunt enim in vniuersalissimo, & potissimo fine, nempe, dilectione Dei, in cōmunissimis deinde instrumentis, & medijs, in tribus scilicet votis. Differunt verò frequenter in fine particulari, vel in exercitijs, aut instrumentis particularibus, tam in ordinatis ad obseruantiam trium votorum, quàm ad essequutionem illius finis particularis.

His

His præmissis breuiter, nunc constituo primum, quod excellentia vnus Religionis supra aliam potest attendi tripliciter, vt ex D. Thom. constat. 2. 2. q. 188. articulo. 1. & articulo. 6. Vno modo ex parte finis: & sic illa dicitur perfectior Religio, quæ ordinatur ad perfectiorem finem. Secundo attenditur excellentia vnus Religionis ad aliam, secundum quod in eodem genere finis vna ordinatur ad altiorẽ actum, quàm altera: vt inter Religiones, quæ ordinantur ad contemplatiuam vitam, perfectior erit illa, quæ ad contemplandum, quàm ea, quæ ad legendum ordinatur: & inter opera vitæ actiuæ, potior finis est, redimere captiuos, quàm recipere. Et ideo Religio, quæ ordinatur ad redimendum captiuos, erit excellentior, ea, quæ ad hospites suscipiendos ordinatur, (cæteris paribus.) Attenditur etiam ex parte finis excellentia, quando ad plures fines vna, quam alia ordinatur: vt, quæ ordinatur ad cõtemplandum & prædicandũ, perfectior erit, ea, quæ ad vnum istorum tantum designatur. Tertio iudicatur de præminetia vnus Religionis ad aliam, ex parte exercitij, non quidem quantum ad quantitatem, sed quantum ad proportionem eius ad finem intentum. Hæc sunt, quæ ex doctrina D. Thom. communiter obseruant Theologi, qui perfectionem omnem ex fine particulari, & medijs, siue exercitijs ad illum assequendum proportionatis, desumendam esse decernunt.

D. Thom.

Theologi.

Canonistæ verò, non ponderatis his subtilitatibus non à fine, sed ab exercitijs potius, Religionis perfectionem iudicant. In quo solum considerare solent, in qua Religione sit arctior, strictior, durior, vel fortior viuendi modus: solumque attendunt in omnibus communissimum charitatis finem, non inspectis alijs particularibus, sed tantum districtiorem viuendi rationem. Quibus fauet Innocentius Papa in c. licet de Regular: vbi sanctior vita dicitur arctior.

Canonistæ.

Cap. licet,
de Regular.

Non est locus hic differendi, quæ harum opinionum verior, ac magis iuri consona sit: parum enim ad propositum dubium spectat, an hanc, vel illam amplectamur. Et ideo huius controuersiæ ad alium locum reiecto examine, secundum ytramque opinionem placet nunc de excellentia, & perfectione nostræ Regulæ, ac Religionis philosophari: & prius

de Regula in comparatione ad alias Religionum Regulas: postea verò de Religione respectiuè ad alias dicemus.

Secūdo cōstituo, quod nostra Regula primitiua, tã secū-
dū Theologorū, quã Canonistarū sentētiam perfectior est
quibuscunq; alijs Religionū Regulis. Primò ex sentētia Pa-
trū, & Theologorū probatur. Nā eremiticæ vitæ institutū
est culmen, & fastigiū Religiosæ vitæ, ac proinde eremiti-
ca vita perfectior est omnibus alijs. Testatur id aperte D.
Thom. 2 2. q. 188. articulo. 8. & nullus est, qui ab hac senten-
tia dissentiat, in quam omnes ferè Patres conueniunt, dum
docent, non debere quenquam transire ad vitam eremiti-
cam, nisi prius diligenter in cœnobio se exercuerit, propte-
rea quod hic modus viuendi non adferat perfectionem, sed
præsupponat, vt Hieronym. docet in Epistola ad Rusticū,
Cassianus collatione 10. cap. 3. Augustinus libro. 1. de mori-
bus Ecclesiæ cap. 3. Benedictus in Regula cap. 1. Bernardus
sermone. 3. de circuncisione, & sic eremitica vita est perfe-
ctorum, similis (suo modo) Episcoporum statui. Sicut ergo
(vt verbis D. Thom. vt ar) id, quod iam perfectum est, præe-
minet ei, quod ad perfectionem exercetur, ita vita solitario-
rum præeminet vitæ sociali. Et hæc est potissima causa, qua
re Pontifices, omnium aliarum Religionum monachis ad
Carthusienses, vel Camaldulenses, qui eremiticam vitam
profitentur, transitum permittūt. Imò inter hos duos ordi-
nes, quia Camaldulenses vitæ Eremiticæ institutum perfe-
ctius exequentur, vt potè qui singulariter in cellulis sepa-
ratis degunt, concessum est à Leone Decimo, vt Chartu-
sienses licitè ad Camaldulensium ordinem transire pos-
sint. Cum ergo in nostra Regula, eremitica vita in rigore
perfectissima instituta appareat, (vt patet ex cap. 2. 3. 4. &
alijs Regule capitibus, in quibus, vt singuli separatim in cel-
ulis diuisis ac separatis viuant, statuitur, & solum præcipi-
tur, vt Dominicis diebus in capitulo, & singulis alijs ad au-
diendum Missarum solennia conuenire debeant, vt patet
ex his quæ in cap. 2. & 3. dicemus, cuius verba sunt, *Præterea
iuxta situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli vestrum singu-
las habeant cellulas separatas, sicut per dispositionem Prioris ipsius,
& de assensu aliorum fratrum eadem cellule cuique fuerint assigna-*

ita, ut quauis Innocentius III. in mitigatione addiderit, ut in Refectorio quotidie omnes cōueniant, tamē nihil aliud circa rigorem, ac perfectionem Eremiticæ vitæ temperauerit: rectē fit) ut ex hac parte sine ulla cōtrouersia alijs omnium Religionum Regulis præmineat. Nam neque Basilii, nec Benedictus, nec Augustinus, aut Franciscus de vita eremitica in sua Regula meminere. Nam etsi Augustinus fratribus eremitis Regulam dedit: tamen de eremitica viuēdi forma ac instituto nihil Augustini Regula tractat. Neque sufficit in eremo viuere, nisi solitariē, & separatim uiuatur, ut iure Eremitæ dici possint. De Chartusiensium vero & Camaldulensium Religionibus etiam censeo, cum nostra Regula non esse eas conferendas: (eo tamen modo, quo hæc propositio inferius explicanda, & temperanda est.) Primò quia Chartusienses non ita strictam vitæ eremiticæ formā, sicut nostra Regula præcipit, obseruant, cum in claustris simultaneè degant. Et præterea, cum id habeant ex constitutionibus, quæ quotidie mutari, ac deleri solent, non sunt cōparandi cum eo eremiticæ vitæ instituto, quod in aliqua Regula constituitur. Camaldulensium verò Religio D. Benedicti Regulam obseruat: & sic, quamuis perfectior sit alijs in solitudine, modus tamen eorum, & vitæ institutio adhuc si cum eo, qui à nostra Regula decernitur, conferatur, excellentior illo non est: imò ab eo in multis superatur, potissimum verò in hoc, quod ille à Regula, hic verò à constitutionibus statuitur.

Et fortè minus propriè vtrumque institutum ac eremiticè viuendi modum comparamus: cum hic sermo non sit, nec cōtrouersia, nisi inter ea, quæ in Regulis Religionū constituuntur. Quare, cum illi vel Regulam eremiticam nō habeant, (nempe Chartusiani,) vel qui habent, ut Camaldulenses, in ea de eremitica vita nihil agant: manifestè fit, ut nostra Regula non solum perfectior sit ex hac parte omnibus alijs Religionum Regulis, sed potius sola sit, & vnica ex Regulis ab Ecclesia approbatis, quæ eremiticam vitam decernat.

Tertio dico, quod nostra Regula ex parte exercitij, nō solum quantū ad quantitatem, sed quantum ad propor-

Cassianus.

tionem, est perfectior alijs. Quod ex eo manifestè probatur: quia austeritas & solitudo sunt optima media, & magis proportionata ad finem eremiticæ vitæ. Nam finis austeræ & solitariae vitæ est contemplatio Dei, rerumque coelestium, vt patet ex Cassiano collatione. 19. quæ est de fine vitæ eremiticæ: quia medium, ad contemplationem omnium optimum est, habere animum collectum, & intentum: cui rei valde deseruit solitudo, quæ omnem strepitum rerum, quæ animum distrahere possunt, procul arceat. Idem quoque de ieiunio, & reliqua vitæ seueritate dici potest: & nos supra, dum de fine nostræ Regulæ ageremus, diximus. Cum igitur in nostra Regula cellas distinctas, ac omnino separatas Albertus constituat, ac prætereà ieiunium, silentium, manuum laborem distinctè commendat, fit, vt simul cum eremitica vita, proportionata ac conuenientia media pro eius perfecta exequutione decernantur, ac proinde, quod, ex parte exercitij ad finem proportionati, perfectior fit alijs Religionum regulis.

Imò, quamuis nostra Regula vitam eremiticam non amplecteretur, adhuc ex parte finis perfectior est alijs Religionum Regulis. Nam, vt ex præcedentibus constat, finis, & scopus eius est oratio, ac meditatio continua: quod in nulla Religione ex vi Regulæ statutum inuenitur. Legat, ac reuoluat Lector Basilij, Benedicti, Augustini, aut Francisci normas, quas tradidere viuendi, & præceptum simile de mentali, ac iugi oratione non inueniet. Quod si quis dicat, in alijs Regulis actus docendi, aut prædicandi præcipi, qui contemplationi præstant: respondeo, quod adhuc nostræ Regulæ perfectioni non derogat. Primò, quia in Augustini, Basilij, aut Benedicti Regula vix de prædicatione mentio fit: solū Francisci Regulam prædicationis munus eius professoribus iniunxisse inuenio. Quod tamen parum prædictis obest, quia tunc prædicationis munus præferendum est contemplationi, quando simul est cum illa, & ab eà deriuatur. Nam præcisè si contemplatio, & prædicatio sumantur, contemplatio prædicationi præfertur, vt ex D. Thom. patet, vt supra articulo. 6. in corpore. Quare, licet finis Regulæ Beati Francisci sit prædicatio, quia tamen in illa non coniungitur

D. Thom.

iungitur cū contēplatione (nullum enim est in Regula Francisci de contēplatione statutū) apertè sequitur, finem nostræ Regulæ præferendum esse ei, qui in Regula Francisci præfigitur.

Dico quarto. Si vitæ perfectio ex arctiori viuendi modo (vt Canonistæ non immeritò volunt) pensetur: nostra Regula perfectissima est inter alias, cum inter omnes sit strictissima. Probat. Quia etsi sola ea, quæ ex solitudine oritur, austeritas sufficeret, vt eam arctiorem redderet, habet præterea continuā in cellis clausuram, simul cum assidua, & iugi oratione. Deinde ab exaltatione sanctæ Crucis vsque ad Dominicam Resurrectionis prolongata ieiunia. Quæ omnia (imo nec singula) apud vllam aliam Religionis Regulam præscripta inueniuntur. Quibus si addas paupertatem in communi, à carnibus (nisi pro infirmitatibus) abstinentiam, manuum labores, ac ita arctum silentium, vt in nulla Regula ei æquale proponatur: proculdubio hæc regula alijs omnibus seuerior, ac districtior apparebit: & quamuis in ea aliud non esset, nisi vitæ eremiticæ institutum, omnibus in vitæ seueritate præemereret.

Hæc dicta sunt de nostra Regula secundum se considerata. Quæ proculdubio, si, quantum ad eremiticæ vitæ formā attinet, in eo rigore, in quo condita est, seruetur: nec Camandulensium, nec Charthusiensium institutum ei esset cōferendum.

Nunc verò de nostra Regula, prout à nobis seruetur, adiunctis alijs à Religione excogitatis ad maiorem obseruantiam exercitijs, disseramus: & nostram Religionē cum alijs tum ex parte finis, tum ex parte exercitiorum comparemus. Loquor autem nunc de Religione, prout complectitur tam Regulam, quàm statuta à capitulis generalibus cōdita: & suppono, nostram regulam in omnibus ad vnguem seruari exceptis his, quæ de separatis cellulis, & commoratione in eremis statuit, vt videre est in nostris constitutionibus.

Dico quinto. Religio B. Mariæ Virginis de mōte Carmeli, prout à fratribus discalceatis seruetur, alijs Religionibus in perfectione inferior non est. Loquor nunc de Religionibus

bus illorum, qui eremiticam vitam non profitentur. Nam Chartufiani, & Camandulenses, nobis, & alijs cœnobiticam vitam degentibus, ratione vitę solitarię, in perfectione sunt præstantiores. Quare omnibus cœnobitis ad eorum confortium transitus est permissus. Probatur id efficacissima ratione: quia ex duplici capite, vt ex dictis constat, attendi potest in Religione perfectio: primò ex parte finis, & constat inter omnes, finem mixtum ex contēplatione, & actione, siue prædicatione perfectiorem esse alio quolibet. Præterea constare debet, inter mixtos fines, præferendum esse eum qui plus habet de contēplatione, illis, qui ex æquo vel ex contēplatione & actione, vel minus ex contēplatione, & magis ex actione constant, quia plus participat de contēplatione, quæ perfectior est alijs finibus: sed nostrā religio, vt ex dictis patet: habet hunc finem mixtum, ita tamē, vt principaliter constet ex cōtēplatione, minus vero principaliter ex actione: ergo ex hac parte nulli Reigionis posterior est.

Secundo hæc perfectio considerari potest ex parte mediiorum, & constat in Religione nostra de medijs ad contēplationem ordinatis de quibus latè diximus difficultate tertia. Patet etiam de illis, quæ ad prædicationem conferunt, qualia sunt studia, & exercitia litterarum, quæ in nostris cōstitutionibus districtè præcipiuntur. Ergo neque ex hac parte inferior est alijs. Quod si in sententia Canonistarum de perfectione loquamur, qui eam tantum ex arctitudine vitæ cōijciunt, si hæc in nostra Religione consideretur, etiam non est minor alijs: nā tā ex Regula, quā ex cōstitutionibus, vt videre est in ultimo dubio totius Regulæ, plures habet, & nō contemnendas asperitates: in quibus à nulla superatur.

Solet etiam vna Religio altera excellentior ac dignior dici ratione antiquitatis: quoniam, qui prior est tempore, potior est iure, vt patet ex cap. Antiqua de priuil. & Reg. Qui prior de Reg. iur. in. 6. vt tradit Cassaneus in Cathal. glo. mun. 4. p. consideratione. 52. Præterea excellentia, & præminencia considerantur ex parte instituentium, ita, vt ordines illi, qui à maiori, vel digniori sunt instituti, præferantur ex parte hac eis, qui à minus digno originē habēt: vt patet

ex cap. quia sæpè cap. si eum depreb. in 6. & tradit idè Caf-
 fane. Vt supra vltimo confideratur, quòd vna Religio fit ex
 cellentior altera ex approbatione: & ita illa Religio dig-
 nior erit, quæ prius fuerit approbata, vt notatur in cap. fina-
 li de Religiofis domibus, & hæc tria potius ad dignitatem
 quam ad perfectionem fubftantialem pertinent. Adhuc ta-
 men in his, quæ accidentalialia funt, hæc Religio indignior
 non eft: nam de antiquitate patet ex dictis: de dignitate, &
 excellentia institutoris (nempe fanctiffimi propheta: Eliæ)
 tacere potius, quam loqui par eft: de approbatione vero fu-
 perius vifum eft, noftram Religionē faltem omnibus alijs,
 quæ mendicantes funt, prius fuiffe approbatam: quod ex
 Genebrardo, & alijs grauiſſimis viris, & veritate ipfa confir-
 mabamus. Hæc funt, quæ de noſtræ Regulæ, ac inſtituti per-
 fectione breuiter attigimus.

*Cap. quia se-
 pe c. si eum,
 de Præbend.
 in 6.*

*Cap. si. de re-
 ligioſ. domi-
 bus.*

D V B I V M VII.

*De obligatione Regula: an ſcilicet obliget ad
 Mortale an vero ad veniale pecca-
 tum, ſiue potius ad
 nullum.*



Vius dubij reſolutio adeo grauis & diffici-
 lis authoribus viſa eſt, vt Caiet. 2. 2. q. 189.
 artic. 9. in ſi. dubij magniſimum Pontificē
 ad eundem pro eius declaratione putet. An-
 gelus verbo (præceptum) eandem, circa D.
 Auguſtini regulam, declarationem deſide-
 rat, Nauarr. verò, vir alias rebus moralibus aptiſſimus, hanc
 inueſtigationem cap. 23. n. 48. ita difficilem, & obſtruſam
 arbitratur, vt ibi aſſerat præoptaſſe ſe, vt à Concilio Triden-
 tino diffiniretur. Quod & expectaſſe Henricum & Caieta-
 num, ibidem aſſerit ille. Et tandem Sylueſter verbo (lex) ni-
 hil ſe potuiſſe in hac re exploratum, & certum habere, con-
 fitecur. Hæc enim eſt illa difficultas, quæ adeo olim fratres
 ordinis

Caietanus.

Angelus.

Nauarrus.

Sylueſter.

ordinis minorum vexauit, vt tunc Clemētem Ecclesiæ sum-
 mum Pastorem suis precibus coëgerint, illam celebrem Cle-
 mentinam, *Exiuit de Paradiso*, occasione suæ regulæ in lucem
 edere. Et vtinam huius Ponticis, & aliorum circa suam regu-
 lam declarationibus postea factis, adhuc eorum conscien-
 tiæ sedarentur. Adeo arduum, & difficile est, institutoris, si-
 ne legislatoris regulæ mentem dignoscere, aut aperire. Sed
 quia pendet huius dubij solutio ex notione alterius æquē
 ignoti, ac difficilis, penes quid inquam conijci possit, quan-
 do lex in conscientia obliget, & præceptiua sit, quando ve-
 rò directiua tantum, aut poenalis solum: ideo præsens diffi-
 cultas in duas secabitur partes. In prima de dignoscenda le-
 gis obligatione, in secunda de huius regulæ obligatione dif-
 feremus.

P R I M A P A R S

*Penes quid dignosci debeat, an lex sit præcep-
 tiua, & obligans in conscientia.*



Rezmittendum est, præceptum dupliciter
 sumi. Primo strictè, & propriè, siue anthono-
 masticè pro illo præcepto, cuius transgres-
 sio est mortalis. Secundo sumitur latius,
 prout solum eius transgressores venialis
 culpæ reos constituit: in quo sensu ab ali-

*Archidiano.
 Hugo.*

quibus præceptum mandatum appellatur, vt ab Archid.
 post Hugonem 14. quæstione 1. cap. Quisquis: vbi affirmat,
 hac ratione sumptum præceptum esse mandatum, mediāns
 inter præceptum obligans ad mortale, & consilium, siue ex-
 hortationem: quia inter obligationem ad mortale, & liber-
 tatem ad opera consiliorum, mediare debet hæc obligatio
 ad veniale, Quæ licet mandatum siue statutum ab aliquibus
 appelletur. (in quo modo non moror: tamen tam hæc, quā
 illa obligatio ad mortale, cadit sub nomine præcepti generi-
 cè sumpto, de cuius ratione est obligatio ad culpam, abstra-
 hendo à mortali, & veniali. Docent hoc Antoninus. 3. p. tit.

Antoninus.

16. §. 7. Gerson a' phabeto. 63. littera. G. Caiet. 2. 2. quæst. 186. ar. 9. & opusc. 21. artic. 1. Nauarr. de pœnit. dist. 5. capit. Negotium num. 7. Corduba in regulam Bèati Francisci c. 10. q. 3. puncto 1. Et ratio est manifesta: quia peccatum veniale est etiam prohibitum, vt constat de mendacio aut verbo iocoso: ergo est contra præceptum, quia prohibitio inter reliquos actus legis connumeratur à D. Thom. 1. 2. q. 90. artic. 2. Tenētque id Doctores in materia de peccato veniali, illud esse in hoc sensu contra præceptum. Igitur præceptū in generica & latiori sui significatione vtramque obligationem comprehendit.

Gerson.
Caietanus.
Nauarrus.
Corduba.
D. Thom.

Restat nunc, vt aliquibus conclusionibus, siue regulis aperiamus, quibus signis, aut coniecturis sit inuestigandū, quando lex, siue præceptum imponat venialem, quando vero læthalem obligationem. Oportet tamen prius de lege distinguere. Nam aut loqui possumus de lege secundum se, antequam vsu, & consuetudine recipientium interpretetur, verbi gratia de lege nuperrimè edita, aut promulgata: vel potest esse sermo de illa, prout iā vsu, & consuetudine recepta est: nultum enim interest, an hoc, vel illo modo loquamur. Nam in priori sensu ferendum est iudicium de lege secundum se inspecta, antequam consensu populi eius vis minuat, augeatur, obscuretur, aut omnino extinguatur. Posteriori verò compellimur, de lege consuetudine declarata aliter sentire: quia tanta est consensus recipiētium legem vis, ac potestas, vt variè eius obligationem immutare possit. In vtroque sensu aperienda est difficultas, & inuestiganda sunt certiora signa, ex quibus institutoris, aut legislatoris mens obligandi hoc, vel illo modo intelligatur.

Prima Regula. Quoties legislator apertè suam intentionem obligandi declarat, per quæcumque verba, aut signa id faciat: tunc sine dubio talis lex obligat secundum voluntatem, & intentionem legislatoris. (dummodo qualitas materie id ferat.) Hæc regula certissima est. Nam si legislator potestatem habet obligandi ad culpam, tum maximè credendum est, eum obligare, quando ipse suam intentionem obligandi apertis signis, aut verbis manifestat. Dixi, si materia id ferat, nam si hæc leuis, & parui momenti sit, non potest

potest (quantumuis legislator velit) grauem obligationem inferre, vt infra dicemus.

Soto. Ex qua regulâ colligo contra Soto lib. 1. de iustitia. q. 6. ar. 4. & alios, legislatorem, si legem absolutè ferat, neque vilo verbo aut signo declaret suam intentionem obligandi ad mortale, minimè tunc ad id obligare, quamuis aliàs materia sit grauis. Ita sentit Nauar. c. 23. numero. 50. Imo etiam si addat verbâ præceptiua, sentit, in dubio præsumendū esse de culpa veniali, non verò de mortali. Ratio est, quia in dubijs præsumendum est de mente legislatoris, (maximè Ecclesiastici, & potiori iure de institutoribus & patribus Religionū,) noluisse cōscientias subditorū illaqueare: nec oneribus importabilibus filios suos grauare, vt rectè docet D. Tho. quodl. 1. q. 9. art. 4. si enim id voluissent, aliquo signo, siue nota suam expressissent voluntatem. Præterea, quia cū in Clemētina Exiuit, de verborū significatione, diffiniat, obligationē legis ad culpā, colligendam esse ex verbis præceptiuis, aut equipollētibus, si hæc deficiāt, (nisi aliàs euidenter cōstet de cōditoris volūtate) non est, cur, suspicari similit̄ obligationē, teneamur, nisi quis velit (vt dicitur) nodum in scirpo quærere.

Secunda Regula: Quoties legislator inferendis legibus verbis præceptiuis vtitur. tunc signū est, eū voluisse ad culpam obligare: (loquimur autē in hac regula de culpa, prout abstrahit à mortali, & veniali: nā de his statim in specie differemus.) Verba autē præceptiua sunt, præcipimus, mandamus, prohibemus, inhihemus, vetamus, interdiciamus, iubemus, & similia: & à fortiori, cū aliquid præcipitur districtè, vel in virtute sanctæ obediētiae, sub obtestatione diuini iudicij, sub indignatione Apostolorū Petri, & Pauli, vel alijs æquipollentibus verbis, quæ mādantis animū magis declarant. Hæc regula, vt magistralis & certa, traditur in dicta Clemētina Exiuit, vbi Pōtifex explicans B. Francisci regulam, tunc docet illā ad culpā obligare, cū per similia verba præceptiua aliquid decernit: & ex eius mente colligitur, eandē regulā obseruari debere ad leges omnes ecclesiasticas, imo & ciuiles dignoscendas: præcipuè vero ad regulas aliarū religionū, quarū occasione prædicta Clemētina edita est. Fate-
tur

tur hoc maxima Theologorū & Canonistarū pars, saltē loquendo de Ecclesiasticis legibus: & constat, quod decisio dictæ Clémentinæ sit etiam pro regula habenda, ad ciuiles leges interpretandas: quia ibi Pontifex ex generali principio, scilicet, quod verba præceptiua habeant hanc obligandi vim, infert & concludit, id specialiter esse seruandum in aperienda mente B. Francisci. Ecce quomodo Clemens ibi tradat quasi generale iuris principiū, quod omnibus constitutionibus, tam Ecclesiasticis, quā ciuilibus adaptari, & conuenire potest, & debet.

Propositam igitur regulam, vt vniuersalem, & veram amplectuntur Ioannes de Medina. C. de ieiunio. q. 7. & Castro lib. 1. de lege pen. c. 5. documento. 4. Syluester verbo (præceptum) q. 2. Armilla eodem tit. n. 7. Caiet. dicta. q. i § 6. ar. 9. dub. penul. Nau. vt sup. n. 50. & sequen. Couar. regula peccatum. 2. p. 5. n. 2. & 3. Sot. vbi sup. Med. 1. 2. q. 94. ar. 4. & cōmuniter Canonistę, in dicta Clémentina exiuit. &c. quod præcipitur. 14. q. 1. c. concupiscentiam de constitutionibus.

Quamuis Syluester, & Armilla vt supra de verbo, mandamus, asserant, non denuntiare præceptū, nisi dicatur, præcipiendo mandamus: immeritō tamen. Nam licet aliquando extra constitutiones & leges hoc verbum positum non inducat præceptum, vt patet ex c. mādastis. 2. q. 5. vbi Sixtus Papa quibusdam Episcopis rescribens, sic ait, *Mādastis, vt scriberem vobis*: nunquam tamen verbum (mando) in lege ponitur, quin vim præceptiuam præ se ferat: præ se ferat (inquā) ex propria natura, & significatione, nisi alias, ob aliquam circumstantiam aut aliam specialem rationem, hæc præcipiendi vis impediatur. Et idem sentiendum est de cæteris verbis præceptiuis. Quod eo argumento probari potest: quia similia verba ex vi suæ significationis connotant decretum voluntatis, alicuius Superioris, subditis intimatum & impositum, vt illud exequantur: quod pertinet ad virtutem obedientiæ, quæ pro obiecto habet præceptum superioris. Quare, cū talis intimatio fiat per præceptiua verba, consequens est, vt quoties illa ponuntur in legibus, semper inducant obligationem obediendi. Loquimur autem nunc de obligatione, prout abstrahit à mortali, & veniali.

Io. de Medina
Castro
Syluester
Armilla
Caietanus
Nauarrus
Couarrua
Soto
Medina

Io. de Medina
Castro
Syluester
Armilla
Caietanus
Nauarrus
Couarrua
Soto
Medina

Cap. mandastis. 2. q. 5.

Idem

Idem, quod de verbis expressè præceptiuis dictum est, extendi debet, ex mente prædictæ Clementinæ & ferè omnium prædictorum authorum, ad verba præceptis æquipollentia, qualia sunt, debeant, teneantur, necesse, aut necessarium, non licet, non potest. Et addit Ioannes Medina quem sequitur Nauarr, num. 53. verbum (oportet) saltem quo ad leges ecclesiasticas, significare etiam obligationem præcepti. Et quamvis oppositū verius existimet Castro vt supra, asserens, verbum hoc solam decentiam & honestatem sæpè significare: opinio tamen Nauarri communior, & probabilior videtur. Cæterum, quicquid sit de verbo (oportet), illud sine controuersia est apud viros doctos, verba imperatiui modi esse præceptiua: vt manifestè traditur in dicta Clementina. 6. Nam etsi. Quem textum, vt mirabilem & singularem in hoc proposito, commendat Abb. dicto. cap. Concupiscentiam (& cum eo comuniter Canonistæ) de constitutionibus.

Ex hac regula primò obseruandum est, quòd, cum prædicta verba ex vi sua habeant hanc vim obligandi, siue illa in lege ciuili siue in ecclesiastica reperiantur, eandem vim retinere necesse est. Et sic eodem modo de lege ciuili, & de ecclesiastica iudicandum est. Quare non rectè limitauit Nauarr. ea tantum deseruire legibus Ecclesiasticis: quia Pontifex in dicta clementina nihil declarat aut decernit circa ius canonicum, quòd non possit commodè iuri ciuili adaptari.

Secundo colligo, per hæc verba, ordinamus, stabilimus, sancimus, volumus, decernimus, si in legibus ponantur, nullam colligi posse obligationem ad mortalem culpam, quamuis materia aliàs grauis sit. Affirmant Nauarro dicto capit. 23. num. 49. & præludio. 9. nume. 16. vbi hanc dicit esse communem cum Caietano dicta questione. 186. ar. 9. & Castro vt supra, & videtur expressa sententia D. Thom. quodlib. 1. questione. 9. artic. 4. Ratio huius est, quia tunc, cum lex simili verborum tenore fertur, potius directiua, quam præceptiua videtur: & vt rectè notat Nauarrus, illis verbis significari videtur, quòd legislator quamuis habuerit animum quòd actus transgrediendi, qui antea erat indifferens, sit deinceps vitiosus, & consequenter voluerit obligare ad veniale,

Ioan. Med.
Nauarrus.
Castro.

Abb. Panor.

Nauarr.
Caietan.
Castro.
D. Thom.

niale, quia tamen non præcipit, neque prohibet, videtur non
luisse obligare ad mortale. Hucusque de verbis, quæ obliga-
tionem in conscientia transgressoribus imponunt, dictum
est: nunc de qualitate huius obligationis differamus.

Tertia Regula. Non sufficiunt prædicta verba præcepti-
ua, vt lex ex se obliget ad mortale, sed amplius requiritur,
vt materia præcepta sit grauis, & alicuius momenti. Hanc
regulam ita certam, & veram existimant authores, vt inter
eos nullus sit ex his, quos ego viderim, qui eam neget: aut
iure negare possit. Nullus enim affirmare ausus est, in mate-
ria leui legislatorem imponere posse culpam grauem, quan-
tumuis verbis clarè præceptius vtatur. Quare ad dignoscē-
dum, quando lex grauem & lethalem imponit transgresso-
ribus censuram, præter præceptiua verba, spectanda est gra-
uitas materiæ. Ratio huius ea est, quia, cum ex dictis, verba
præceptiua abstrahant ab obligatione veniali vel mortali,
fit, vt ex se non sufficiant ad inducendam potius vnâ, quâ
alteram obligationem. Quare ea conijcienda est ex grauita-
te materiæ. Tantæ enim considerationis est grauitas, aut le-
uitas materiæ, vt nō sit in potestate legislatoris, circa leuiorē
aut paruā materiā, grauē culpam indicere. Quod mihi ex
eo euidenter cōstat. Primo, quia ferè omnia præcepta natu-
ralia & diuina, aut saltē aliqua, tradūtur per verba clarè præ-
ceptiua: quæ tñ in materia leui nō obligāt trāsgressores ad
mortale peccatū: quia cōtra naturā est, vt pro rei leuis trās-
gressione æterno supplicio quis perimatur: ergo à fortiori
in lege positua talis obligādi vis inesse nō potest. Cōfirma-
tur: quia, vt legislatoris voluntas obliget, debet esse iusta, &
rationabilis: nā si nulla, aut leuis est causa præcipiēdi, & Præ-
latus velit subditos grauibus onerare præceptis: quædā spe-
cies tyrannidis est. Nā, sicut quinto Eth. docuit Arist. non
finimus Principē dominari, sed rationē: quia cū sibi hoc a-
git, tyrannus efficitur: ergo Prælatus præcipiens sine vtili
vel necessaria causa, (si grauiter trāsgressores punire velit,)
tyrannicè & iniustè ageret, & sic eius lex non obligaret. Di-
ces, in materia graui potest legislator leuem obligationem
indicere: ergo in materia leui potest imponere grauem, & le-
thalem: quia non videtur vlla discriminis ratio.

O

Aliqui

Aristot.

Bellarmin.
Medina.
Driedo.

Aliqui ex iunioribus Theologis censent, non esse in potestate legislatoris, (supposita materia graui) obligare ad culpam venialem, & leuem. Ita docent Bellarminus tom. 1. de laicis libr. 2. cap. 11. prope fin. Medina 1. 2. q. 96. artic. 4. & alij volunt, esse sententiam Driedonis, vt supra. Qui conituntur fundamento: quia, quamuis in potestate legislatoris sit, præcipere, vel non præcipere rem grauem, tamen non est in eius facultate, vt præcepto indicto in re graui, malum graue non sit, ei non obedire: & ita existimant: in præcepto posito in materia graui, quasi ex opere operato, consequi obligationem grauem.

D. Thom.

Contrarium tament verius & probabilius videtur: nempe, quod possit legislator, ferens legem circa grauem materiam, suam intentionem non obligandi nisi tantum ad culpam venialem declarare, ac proinde, quod lex ab eo lata in eiusdem transgressores tantum præferat hanc culpam. In primis id mihi sentire videtur. D. Thom. quodlibet. 1. quaestione. 9. articulo. 4. vbi docet, quod neque ea, quæ traduntur in regula per modum statuti siue ordinationis, nec similiter Prælatus (qui est regula animata) obligat semper ad peccatum mortale in suis mandatis. Et supponere videtur. Diuus Thom.: id etiam contingere, supposita quacunque materia adhuc graui: nam loquitur de esu carniū, & alijs obseruantijs, quæ vtilis & graues in ordinibus reputantur: & in quibus inest capacitas & pondus, vt possint sub graui præcepto imponi: & passim sub tali onere præcipiuntur. Quod fieri non posset, nisi alias esset grauis materia. Imo expressè ipse Diuus Thom. ait, esum carniū non esse peccatum mortale, quia in regula Diui Benedicti non est sub præcepto (nempe districte sumpto:) & idem affirmat de fractione silentij. Sentit ergo, quod si hæc essent sub præcepto, obligarent ad culpam mortalem: & tamen tradita per modum statuti obligant solum ad veniale: ergo sentit D. Thom. quod potest fieri statutum in materia graui cum sola obligatione culpæ venialis. Et in hoc sensu intelligit Nauarro, Nauar. c. 23. n. 49. hunc locum D. Thomæ & communiter Canonistæ.

D. Thom.

Præterea adhuc clarius fatetur id Diuus Thomas. 2. 2. quaest.

questione. 105. articulo. 2. vbi grauitatem præceptorum & eorum obligationem, docet, detinendam esse ex voluntate præcipientium. Ex quo infert, aliter esse dignoscendam grauitatem diuini præcepti, aliter verò humani. Nam illud quanto datur de meliori materia, tanto eius inobedientia & transgressio grauior est. Quia, cum voluntas legislatoris (nempe Dei) semper feratur ad bonum: quanto aliquid est melius, tanto magis Deus vult, illud impleri. Vnde, qui inobediens est præcepto de dilectione Dei, magis peccat, quàm qui transgreditur præceptum de non furando. Voluntas verò humani legislatoris non semper fertur in melius: & ideo vbi obligamur ex solo hominis præcepto, non est maius peccatum ex eo, quod maius bonum prætermittatur, sed ex eo, quod præteritur id, quod est magis de intentione præcipientis. Apparet ergo, Diuum Thomam grauitatem transgressionis humanæ legis non pensare ex grauitate materie solum, sed etiam ex intentione præcipientis. Ex quo fit, secundum mentem D. Tho. posse subditum minus peccare, si præceptum circa materiam grauiorem ab homine latum prætermittat, dummodo sibi constet, intentionem præcipientis non fuisse in illo ita arcte obligandi, ac si transgrediatur aliud præceptum sibi impositum circa materiam minus grauem, dum constet in eo strictius prælatum obligare voluisse. Siergo ex mente D. Tho. omnis obligatio legis, tanquã ex principali & potissima radice, à voluntate legislatoris dimanat, ita, vt legislator possit in materia graui, vt octo, imponere obligationem grauem, vt vnum: cur etiam non erit in eius potestate (supposita materia graui) obligare tantum ad culpam leuem? cum par sit vtriusque ratio. Nec video, cur possit intra limites culpe mortalis, eius grauitatem, stante eadẽ materia, augere, aut diminuere, & nõ possit hanc grauem obligationem auferre, & solum leuem imponere: cum certe difficilius primum, quam secundum appareat.

Tenet præterea hanc sententiam expresse D. Bernardus, *D. Bernardus*, qui lib. de præcepto & dispensatione sic ait. *Maiora, minoraque mandata dixerim secundum quod maius minus ve velle constiterit ipsum, qui præcipit, siue hominem, siue Deum.* Et infra loquens

de præceptis positiuis in sua regula traditis, & vt condiffin-
guuntur contra præcepta naturalia, & contra alia præcep-
ta positia leuiora, (ex quo clarè constat loqui de illis in
materia graui), ait: *Præceptum superioris obnoxium facere
subditum suo mandato, mandatumque peccato, non tamen
magno, si contemptus defuerit, & infra: Hæc ergo generalis
regula sit vniuersorum, quæ per se nec bona, nec mala sunt:
aut diuina institutione, aut propria cuiuscunq; professione
fixa non sunt: vt non iussa quidem, licitè vtrumlibet vel ad-
mittantur, vel omittantur: iussa verò, sine culpa non negligan-
tur, sine crimine non contènantur.* Hæc Bernardus. Inteligit
tamè ibi nomine culpæ, nō mortale, sed veniale, vt distin-
guitur cōtra crimē lethale, vt ipse sæpius clarè inquit, & pa-
tet ex illis verbis antecèdentibus, in quibus loquès de ritu,
vel silentio interdicto ait. *In peccatum reputantur, non ta-
men in crimen.* Vbi distinguit crimen, quasi mortalem cul-
pā, contra peccatum, quod accipitur ibi pro veniali culpa.

Præterea huius sententiæ fautores sunt omnes illi, qui do-
cent, posse fieri votū in materia graui, quod solū obliget ad
veniale culpā: in quo expresse eā amplectuntur omnes Do-
ctores, qui docent, ciuilem legē solū obligare sub veniali, vt
Ricardus quodlib. 1. q. 19. Ang. verbo obediētia §. 1. & alij
Canonistæ apud Syluest. verbo (lex.) §. 8. expresse tamen
omnibus Nauar. d. c. 23. n. 49. absolute dicens, omnes leges,
etiam canonicas, quæ non habent expressa verba præcepti-
ua, sed solum cōstitutiuia, aut ordinatiua, nō obligare ad pec-
catū mortale, sed tm̄ ad veniale: dummodo ferantur de ma-
teria, quæ de se aliàs nō sit præcepta, nec obliget ad peccatū
mortale. Solū enim apponit hanc expositionem Nauarrus,
quoniā loquitur ibi vniuersaliter, etiā de his legibus, quæ in
materia graui feruntur. Hancque, censet, fuisse D. Tho. sen-
tentiā d. ar. 9. & cōmuniter approbatā à Panormitano & ce-
teris Canonistis in c. Nā cōcupiscentiā de constitut. quā no-
uissimè amplexi sunt Gutier. c. 7. n. 20. asserēs, quod lex hu-
mana iusta, & de re graui obligat illi? trāsgressorē ad culpā
mortale, aut veniale, iuxta variā legislatoris volūtate: Hæri-
quez

Richardus.
Angelus.
Syluester.
Nauarrus.

D. Thom.

Panormita.
Gutierrez.

quez libro. 4. cap. 7. numer. 1. & cap. 8. numer. 2. in. 3. tomo fuorum operum, qui licet publicè editus non sit, eum tamè iam typis excullum Salmanticæ vidi. Inclinat apertè Caietanus d. quæstione 186. articulo. 9. dubio penultimo, & clarius colligi potest ex opusculo. 25. & probat Nau. vt supra. Primo, quia actus agentium non operantur ultra eorum intentionem. Secundo probatur, quia potest legislator in materia graui transgressoribus maiorem vel minorem poenâ infligere: ergo & culpam, quia maior est connexion poenæ ad culpam, quam sit obligatio culpæ mortalis cum materia graui præcepta: sed potest legislator poenam sine culpa transgressoribus inferre, vel minorem poenam, quam sit culpa, & causa in transgressione legis: ergo similiter, supposita materia graui, potest imponere solum leuem, & venialem culpâ. Antecedens probatur, quia poena semper includit relationem ad culpam, saltem præsumptam: culpa vero grauis nullam habet connexionem cum materia graui, cum hæc præcipiatur sæpius sine impositione vllius culpæ.

Tertio, quia si non est in potestate præcipientis, in materia graui transgressorem sub leui culpa ligare, inaximè, quia non est in eius potestate, vt tunc subditus graue mandatum prætermittens, grauitè non peccet, ei non obediendo (vt assertores contrariæ sententiæ prædicant:) sed tunc adhuc est in eius potestate, vt hæc grauis transgressio, inobedientia non sit: ergo & vt sub leui culpa ligare possit. Maior probatur: quia inobedientia formaliter sumit specificationem à transgressione rei præceptæ, in quantum procedit à voluntate superioris: & sic, cum tunc voluntas superioris non sit, grauitè subditum obligare, nec velit subditum ita arctè obedire, fit, vt in eius potestate sit, vt inobedientia hæc grauis non sit.

Vltimò, quia communis consensus tenet, multa iuris præcepta, vt sunt ea, quæ traduntur in cap. Cum ad monasterium, de statu monachorum, & in alijs iuribus, quæ disponunt circa religiosorum vestes, silentium, refectorium, & alia, tantum esse obligatoria ad veniale, de quo videndus est Antoninus, 3. parte. titulo. 16. 6. 7. Verè igitur affirmari potest, in materia graui posse ferri præceptum, quod tan

Henriquez

Caietanus,

Nauarr.

Cap. Cum ad monasterium, de statu Monac. Antoninus.

tum obliget sub culpa leui. Quæ autem sit materia grauis, vel leuis, non est huius loci determinare. Sufficiat ex alibi disputandis supponere, materiam grauem non posse diffinitione aut regula certa comprehendere, sed potius relinquendam esse prudentis arbitrio. Quando vero, vel quibus circumstantijs consideratis, prudens arbiter id pensare debeat, latius in materia de obedientia dicemus.

Ad obiectionem contrariæ sententiæ dicendum est, quod eo ipso, quod legislator declarat, suæ intentionis non esse, grauius obligare, ex consequenti aufert à subdito onus grauioris transgressionis, siue inobedientiæ.

Quarta Regula. Dum legislator explicat, suam voluntatem non esse obligandi ad culpam, etiam si verbis præceptiuis in materia graui vtatur, eius constitutio nullatenus etiã in materia graui ad culpam vllam obligat. Hęc regula constat clare ex communi omnium ferè Religionum consensu, in quibus constitutiones variæ verbis præceptiuis, & in materia graui traduntur: & tamen, quia ab eorum conditoribus declaratum est, suæ intentionis non esse, subditos ligare in conscientia, fit, vt ab hac obligatione omninò liberi maneant.

Quinta Regula. Quando neque ex verbis præceptiuis, neque ex alio signo colligi potest obligatio legis, recurrendum est ad pœnam, quam legislator transgressoribus imponit: ex grauitate enim huius non incongruè legislatoris voluntatem coniectamus. Hęc regula, vt iacet, communis est, sed quia à nobis pro nunc ad vnguem examinanda nõ est, quia parum conducit ad præsens propositum: ideo ea, quæ de lege pœnali tam temporali, quam spiritali pœnam infligente adduci hic possent, consultò prætermittimus. Hactenus de Regulis ad inuestigandam & dignoscendam legis obligationem secūdum se sumptè disputauimus: restat vt iã de lege, prout vsu, & cõsuetudine recepta est, differamus.

Ideo sit vltima regula. Vera, & potissima interpretatio obligationis cuiuslibet legis iam promulgatæ & receptæ est, communis populi consensus, communisque vsus, & consuetudo piorum, aut maioris partis communitatis. Nullus est enim alius legis fidior interpretis, nec securior, ac certior glosa,

sa, quàm consensus populi consuetudine firmatus. Hanc regulam ita perspicuam, & notam iudicat Caietanus, vt supra d. artic. 9. vt existimet, nulla probatione indigere. Probari tamen potest ex cap. dilectus de consuetudine, vbi Innocentius, *Consuetudo (ait) est optima legum interpret.* Idem docet D. Thom. 1. 2. quæstione. 97. art. 3. in corpore, & communiter Summistæ verbo (consuetudo) & Canonistæ dicto cap. dilectus. Et ratione confirmatur: primo, quia si consuetudo vim habet abrogandi legem, & auferendi ab ea omnem obligationem: cur non & interpretandi? Cõsuetudo autem in hoc proposito dicitur communis consensus eorum, qui sub tali lege viuunt. Nec in hac consuetudine, sicut in alijs, requiritur temporis diuturnitas, siue præscriptio, sicut eruditè docent Castrësis, Aretin, Socinus senior, & alij relati à Menochio, de arbitrarijs to. 1. libr. 2. cap. 199. n. 11.

Caietanus.

*Cap. dilect.
de consuet.
Innocentius
D. Thom.
Summistæ.
Canonistæ.*

*Castrensis.
Aretinus.*

*Soc. Senior.
Menochius.*

Secundo probatur, quia in Regula D. Augustini, & Benedicti, multa anthonomasticè præcipiuntur, & tamen neminem obligant ad mortale: cum tamen professores Regulæ B. Francisci varijs implicentur præceptis. Cuius diuersi modæ obligationis non inuenio aliam causam, nisi quod, consuetudine interpretante, in ordine Minorum ab ipso religionis primordio apud omnes eius proceres, & litteratos receptissimum: semper fuerit, vniuersa suæ regulæ mandata præuaricantes lethalis criminis fuisse participes: cuius contrarium in ordine D. Benedicti, Augustini, aut alijs contrario etiam consensu, & consuetudine introductum est. Quare, cum neque vtrobique deficient præceptiua verba, & subsit materia grauis, fit, vt tota obligandi, vel non obligandi ratio à consuetudine deriuata sit.

A quo autem accipiat consuetudo hanc interpretandi potestatem, primò affirmari potest, eam, ex vi legis naturæ, consuetudini innatam esse: lex enim naturalis dicitur, singulas communitatis partes debere obedire, & conformare se cum voluntate totius communitatis: ex quo fit, vt securè sequantur cõsensum totius communitatis. Vel prætereà alia ratio reddi potest non minus certa aut firma, nempe, legislatores tacitè velle obligare communitatem, sicut ipsa pro maioris suæ partis consensu se voluerit obligare.

S E C V N D A P A R S

De obligatione nostræ Regulæ.



HIS igitur præmissis, ad principalem quæ-
stionem accedamus, & nostræ Regulæ obli-
gandi vim ex dictis conijciamus: est enim
hæc difficultas iam pridem inter nos simul
cum reformatione exorta: & tam inter no-
stri ordinis professores, quam inter alios ex-
tra ordinem authores pios, & doctos, sæpe exagitata: quo-
rum alij rigidissimam censuram, alij mitiorem, alij vero nul-
lam de hac regula proferentes, in varios sensus, & opinio-
nes diuisi sunt. Nam ex his authoribus plerique ad morta-
le, alij ad veniale peccatum, nonnulli verò neutro modo
obligare censebant.

D. Thom.

Priorū sententia, quod regula ad mortalē culpā obliget,
sequentibus rationibus probari potest. Prima, quia (vt au-
thor est D. Thom. 2. 2. quæst. 186. ar. 9. communiter ab om-
nibus in hac parte receptus) in regula, præter tria vota,
quodcumque aliud præceptum positum obligat sub mor-
tali, & res est euidens ex superioribus dictis: sed in nostra re-
gula omnia, quæ in ea continentur (exceptis his, quæ per
modum monitionis, & exhortationis traduntur) cadūt sub
præcepto: ergo omnia in ea contenta cadunt sub mortali.
Minor huius rationis ex eo constat, quia quotiescunque
in aliqua constitutione ponūtur similia verba, præcipimus,
mandamus, sine dubio constitutio est præceptiua, maximè
verò, si eis adiungantur alia verba, quæ horum vim augere
solent, vt districtè præcipimus, &c. (quod supra etiã latius
ostendimus). Cum ergo in nostræ regulæ vestibulo stabili-
tur quoddam generale præceptum extendens se ad omnia,
quæ in ea continentur, vt patet ex illis verbis, quibus uti-
tur Innocentius Pontifex, nempe, *Religioni vestræ qua fungi-
mur auctoritate mandamus, vt eam firmiter obseruetis*: iniò & in fi-
ne eiusdem regulæ simile huic apponatur vniuersale præ-
ceptum totam regulam respiciens, illamque comprehendens
illis

illis verbis, *Hæc breuiter scriptissimus vobis, religioni vestræ formulam statuentes, secundum quam in posterum viuere debeatis, verbū enim (debere) (præcipue si de imperatiuo loquatur) inducit præceptum, vt supra ostendimus: fit profectò manifeste omnia, quæ in regula decernuntur, obligare ad mortale, cum ea omnia sub his duobus præceptis in initio & regulæ fine appositis includantur.*

Nec valet, si quis vim argumenti conetur euadere, dicens, simile præceptum reperiri in Regula D. Benedicti. Is enim suam regulam sic exorsus est, *Ausculta, o fili, præcepta magistri, & efficaciter comple, &c.* & propterea D. quoque Augustinus in sua regula ait, *Hæc sunt, quæ vt obseruetis præcipimus.* Et tamē, quamuis horum Patrum prædicta verba præceptum sonare videantur, adhuc eorum Regulæ statuta ex communi cōsensu Doctorum (exceptis his, quæ de tribus votis feruntur) non obligant ad mortale.

Nam contra hoc in primis militat, non esse ita certum, prædictas Augustini & Benedicti regulas non obligare sub mortali. Nā in primis de Augustini Regula expresse id sentiūt Hēriqus de Gādauo, & Ioannes de Neapoli, & alij, quorum meminere. Umbertus in expositione eiusdem regulæ, & D. Antoninus. 3. par. tit. 16. §. 6. qui non multum ab hac sententia dissentire videtur. Præterea de regula D. Benedicti D. Bernardus in libro de dispensatione, & præcepto, sic ait: *Omnia contenta in regula Diui Benedicti, non profitentibus (idest Nouitijs) monita, seu consilia sunt censenda, nec grauant non seruata: cum tamen profitentibus præcepta, præuaricantibus in crimina fiant.* Insuper, quia (quicquid sit de verbis præceptiuis prædictorum Patrum regulis insertis: & quamuis in eis fateamur, nō inesse vim præceptiuam: in nostra tamen regula est omnino diuersa ratio. Tum primò, quia in illis iam communi cōsensu & recepta cōsuetudine eneruata est vis & robur obligandi horum verborum: in nostra verò non constat de tali consensu. Tum secundo, quia verbis præcipiendi in nostra regula addita sunt alia, quæ eorum vim, & legislatoris intentionem fuisse obligandi, magis declarant, vt sunt, *Qua fungiamur auctoritate, & illa, Firmiter obseruetis.*

Secunda ratio. Olim, ante mitigationem ab Eugenio fa-

Paleonyd.

etiam, hæc eadem regula obligabat sub mortali: quod ex eo maximè licet colligere, quia antiqui nostri ordinis scriptores textum huius regulæ tradentes, & eius singula capita distinguentes, ea sub præcepti tit. narrant. Sic Paleonydorus, qui, viginti nondum elapsis annis post mitigationem, scripsit, hanc nostram regulam referens, singulis capitibus hoc ordine præcepta coniungit, vt primum cap. primum præceptum, & deinde secundum caput, secundum præceptum appellet, & sic vsque ad. 12. præcepta recenseat.

Et confirmatur: quia pristini ordinis professores à summis Ecclesiæ Pastoribus huius regulæ mitigationem instanter postularunt, quæ nõ mihi leuis coniectura est, ea ætate regulam, vt obligatoriam fuisse receptam; cum nulla regula in Ecclesia Dei à sua primæua institutione & rigore fuerit relaxata aut declarata, nisi illæ tantum, in quibus obligatio culpæ agnoscebatur. Imo nullam aliam inuenio, nisi D. Frãncisci regulã, ob hæc eadẽ causam à Clemẽte V. mitigatã, seu (vt proprius loquat) declaratam: & nostram, quæ non semel, aut bis, sed quater, aut quinquies correctã, declarata, ac mitigata est. Signum ergo est, professores regulæ ad huiusmodi mitigationem postulandam metu grauioris culpæ fuisse coactos.

*D. Clement.
Exiuit. §.
Nam etsi.
Panormita.*

Tertia ratio. Quia verba imperatiui modi, supposita allas materia graui, obligant ad culpam grauem, & præcepto stricto æquivalent, vt ex dicta Clementina Exiuit. §. nõ etsi, ex mente Panormitani, & communis supra ostentum est. At in multis nostræ regulæ articulis (imo ferè in omnibus vsque ad exhortationes) omnia sub tenore verborum imperatiui modi traduntur: nec dubitari potest, materiam omnem his articulis comprehensam vtilem, necessariam, & grauem, & cuiuslibet obligationis capacem esse: ergo prædicta omnia cadunt sub præcepto lethalis culpæ. Quod verò in his materia sit grauis, à posteriori demonstratur: quia similes materiæ in alijs regulis, siue Ecclesiasticis legibus, ac Religionum constitutionibus strictè obligant, & non est, qui possit dubitare, supra quemlibet Regulæ articulum ferri posse à Prælatis præceptum strictè obligans ad mortale: quod euidentis signum est, materiam cuiuslibet esse grauem.

Quarta

Quarta ratio. Quia hoc quasi euidenter ipsius regulæ processus demonstrat. Quæ enim aliud sibi vult, illa manifesta distinctio, quæ in regula fit, in qua post tradita priora, & præceptiua eius capita, distinguuntur exhortationes, & separatim sub titulo exhortationum traduntur: nisi clarè & aperte secernere præcepta, & potissima mandata à consilijs, & ab ijs, quæ præcepta non sunt. Et confirmatur: quia ex ipso etiam processu litteræ manifestè cognoscitur, omnia, quæ in Regula ponuntur ante exhortationes, esse verè leges, & præcepta. Traduntur enim breuiter, succinctè, ac per modum Canonis, siue regulæ, authoritatiuè statuendo, ac imperando absque vlla probatione, aut corroboratione. Postea verò cum ad exhortationes peruenitur: omnino stylus in alterum mutatur: qui magis accedit ad suadendum, vel dissuadendum, quàm ad statuendum, vel imperandum.

Vltimo. Quia saltem si nostra regula exactè consideretur, & rationes, quæ pro hac, & alia parte videntur, appendantur: certè reddunt dubiam propositam quæstionem, & sufficientem causam scrupuli præbent. Sed cum dubitatio oritur, an regula obliget, necne, tutior pars est amplectenda, ea nempe, quæ obligationem tuetur, ac docet: vt in simili specie loquens de regula B. Francisci, docuit Clemens. V. in dicta Clementina Exiuit. 6. Item quia, & facit cap. consilium, & ibi glossa de obseruatione ieiunij, & ciuuenis desponsalibus, cum similibus, & late probat Felinus in clauditis penultimo de præscripti & Castro libro: 1. de lege poen. docu. 4. in fin. ergo saltem ob hanc rationem reputanda est regula vt obligatoria ad lethalem culpam.

Pro contraria verò parte, quod regula nostra tam grauè (vt superior tenet opinio) non præferat obligationè, est efficax argumentum. Quia ex acceptatione legis, & cõmuni consuetudine eam recipientium, tanquam ex euidentiori signo, & certiori coniectura, pensanda, ac coniecienda sit eius obligatio, vt supra ex cõmuni omnium sententia præscripsimus. Vbi etiam docebamus, omnes alias coniecturas ac regulas, ad cognoscendam legis obligationem, aliquando esse incertas, ac fallibiles: hanc verò, (nempe, recipientium

Clemens. V.
Cap. consil.
& ibi glo. de
obseru. ieiunij:
& ca. in
uenis de spõ
sal.

Felinus.
Castro.

piantium consensum) solam ut magistralem, ut certam, ut infallibilem, ac ut superiorem omni exceptione tradidimus. Quare, cum in nostra Religione nunquam fuerit receptus talis Regulæ sensus, aut obligatio, nec à maiori, nec à minima eius parte, à primo limine approbatus: sed potius contrarium religionem profitentibus prædicere, ac de nostra regula commendare soleant Prælati pij, ac docti, nimirum nihil in ea, præter tria vota, transgressorem reum constituere culpæ mortalis: evidens signum est, regulæ mandata siue præcepta nullam similem suis professoribus obligationem imponere.

D. Thom.

Pro certiori resolutione recolendum est, ex *D. Thom.* 2. 2. quæstione, 186. articulo. 9. ad primum, triplicem esse profitendi formam, ac modum. Primus est, quando quis absolute profitetur regulam: & tunc non tenetur sub mortali servare omnia, quæ sunt in regula, sed tantum vouet regulare vitam, quæ essentialiter consistit in tribus votis. Secundus modus est quo (teste *D. Thom.*) in aliquibus Religionibus cautius aliqui profitentur, non quidem regulam, sed vivere secundum regulam, id est, tendere ad hoc, ut aliquis informet actus suos secundum regulam, sicut secundum quoddam exemplar. Tertius est, quo adhuc in quibusdam alijs Religionibus cautius emittitur professio, dum Nouitij tantum profitentur obedientiam secundum regulam: & tunc professioni non contrariantur nisi ea, quæ sunt contra præceptum regulæ. Transgressio verò vel omisio aliorum solum obligat ad peccatum veniale. In hoc vero triplici profitendi modo, quantum ad obligationem maiorem, vel minorem, nullum est discrimen: & idem censeo de alijs profitendi formulis, quibus hodiè variæ Religiones utuntur, (de quibus in tractatu de professione dicemus.) Omnes igitur, qui prædictis modis profitentur, non tenentur ex vi professionis servare sub mortali omnia, quæ in regula continentur: quia cum isti tantum profiteantur servare regulam, ut ipsa proponitur seruanda, nimirum præcepta ut præcepta, & consilia, ut consilia: non est cur ad omnia sub mortali obligari dicantur, ut

*D. Clement.
Exiuit.*

expressè decernitur in dicta Clementina Exiuit. Et ex eo aperte probari potest. Nam qui profiteretur servare legem

Euangé-

Euangelicam, certum est, non intendere se velle in omnibus æqualiter obligari, sed potius pro qualitate rerum, & diuersorum præceptorum, & consiliorum. Quare, cum Populus Iſraeliticus Exod. 24. & Iosue ultimo, iuramento & anathemate se obligaret ad præstanda ea, quæ Dominus fuerat loquutus: non est credendum, obligasse se ad omnia legis seruanda sub mortali: aliàs iuramentum esset valdè temerarium. Idem igitur censendum est de eo, qui profitetur seruare totam Regulam.

Exod. 24.
Iosue, ultim.

An vero is, qui profitetur seruare regulam, transgrediens præcepta Regulæ, sit reus voti solennis, ac si essent vota Regulæ præcepta, an vero tantum dicendus sit præcepti præuaricator, latius, dum de voto obedientiæ tractaremus, à nobis elucidatum est.

Prima cōclusio. Si nostra regula in se cōsideretur, omnino præceptiua (etiã sub reatu culpe grauis) videtur: de facto tamen ad mortale nullatenus obligat. Prima pars huius cōclusionis sufficienter confirmatur argumentis ac fundamentis superius pro contraria parte adductis. Secunda etiam ex dictis constat: quia cum hæc regula non sit recepta, vt obligatoria ad mortale, non est dubium, de facto ad talem culpam non ligare: est enim consensus, & consuetudo recipientium legem, tantæ vis, ac roboris, vt ab ea omnis potestas obligandi in lege dependeat. Neque alia efficax ratio reddi potest, quare Regulæ Benedicti, Basilij, & Augustini, aliorumque Patrum suos professores strictè non obligent, D. vero Frãncisci ita arctè grauet, nisi quia illæ vsu & moribus eas profitentium sub graui obligatione non sunt receptæ, ista verò à principio apud omnes eius familiæ fratres, vt prætereferens contra transgressores lethalem culpam habitata est.

Secunda conclusio. Omnia, quæ sunt in nostra Regula per modum præcepti exposita, ad minus obligant ad peccatum veniale. Hæc conclusio est D. Thom. vt supra qui in solutione ad primum ait, quod omnia, quæ sunt contra præcepta regulæ, (nempe contra præcepta strictè sumpta) obligant ad mortale: transgressio vero aliorum ad veniale tantum. Et probat D. Thom. quia omnia alia, præter tria vota,

D. Thom.

sunt

sunt dispositiones ad principalia vota seruanda, tanquã media ad finem, & cum peccatum veniale tantum sit dispositio ad mortale, & de se non tollat finem, sed impediatur aliquo modo, ideo transgressio eorum, quæ sunt in regula, de se obligat ad veniale. Secundo probatur ex eodem D. Thoma quodlib. 1. articulo. 20. vbi expresse innuit hanc eandẽ sententiam, nimirum, omnia, quæ sunt in Regula, ad minus obligare ad culpam venialem. Et clarè ibi docet D. Thom. quod, præter præcepta Regulae, ea omnia, quæ traduntur in ea per modum cuiusdam ordinationis ac statuti, obligant ad culpam venialem. Igitur à fortiori obligare debent ea, quæ per modum præcepti statuuntur, vt in nostra Regula fit. Præterea de regula Diui Augustini, quod saltem ex se obliget ad culpam venialem, docet idem D. Thom. dicta quæst. 186. articulo. 9. ad primum, in his verbis, *In aliqua tamen Religione (scilicet ordinis Prædicatorum) talis regulae transgressio non obligat neque ad culpam venialem, sed solum ad poenam taxatam sustinendam: quia per hunc modum professores huius Regulae ad eam obseruandam obligantur.* Sentit ergo D. Thom. regulam D. Augustini in alijs Religionibus ex se saltem obligare ad venialem culpam, quantum in ordine Prædicatorum per accidens (quia professores non intenderunt se ad culpam, sed tantum ad poenam obligare) non obliget. Sicut posset quis in voto, quod aliàs de se obligat in conscientia, obligari tantum ad poenam à se constitutam. Et idem de Regula D. Augustini, quod obliget saltẽ ad veniale, fatetur Caietanus to. 1. opusc. 25. articulo 1. & non minus expresse in dicto articulo 9. circa responsum ad secundum prope fi. Imo & D. Antoninus vt supra. 6. 6. affirmat, esse aliqua præcepta, præter tria vota: licet non explicet in specie, an præcipiatur sub veniali, vel mortali. Et idem videtur sentire Vmbertus, & Ioãnes Dominicus in expositione eiusdem regulae apud eundem Antonin. 6. 5. & 6. (Loquuntur tamen hi de regula secundũ se.) De regula quoque D. Benedicti non obicure affirmat idem D. Thom. dicto quodlib. 1. fusius tamen & clarius D. Bernardus, de præcepto & dispensatione, ferè per totum: vbi,

D. Thom.

Caietanus.
Antoninus.Vmbertus.
Ioã. Domin.D. Thom.
Bernardus.

vbi, si attentè legatur, in regula D. Benedicti, secluso contēptu, tantum obligationem ad veniale docet & probat. Idem sentit Turrecremata, in expositione eius regulæ, circa principium: & illum sequitur D. Antoninus vbi supra. §. 7. Qui in regula D. Benedicti, præter tria vota, & ea, quæ aliàs lege Dei sunt præcepta, tantum in cæteris statutis & ordinationibus prædictæ regulæ agnoscunt obligationem ad venialem culpam. De nostra vero regula in specie, quòd obliget solum ad veniale, videtur colligi ex eodem Antonino vt supra. §. 8. prope fin, dum docet, esse ordinationes quasdam per modum regulæ traditas. Appellat autem consultò eas ordinationes, potius, quàm præcepta. Quare æquo pede, ac in alijs, fatendum est, in nostra regula hanc solum venialis offensæ obligationem latere.

Turrecrem.

Antoninus.

Hanc D. Thomæ sententiam, qua docet, omnia, quæ sunt in regula, ad minus continere contra transgressores culpam venialem, communiter sequuntur Canonistæ, vt videre est apud Abbatem c. relatum, Ne clerici vel monachi, Archid. cap. 1. 27. quæstione. 1. Inuolam, & Felin. in cap. Nam concupiscētiam de constitution. Tenet idem Antoninus 3. parte. titul. 16. §. 5. & communiter Summistæ, qui omnes cum D. Thom. sentiunt, omnia quæ traduntur in Regula, quæ consilia non sunt, obligare ad minus ad veniale.

Abb. Panor.

Archidiacon.

Immola.

Felinus.

Probatur deinde ratione. Quia in nostra Regula satis aperte constat, multa tradi sub forma præceptiua, vt 1. & 3. argumento pro cōtraria parte adductis probatum est. Præceptum autem ex se vel obligat ad mortale (si strictè feratur, & contraria consuetudine nō temperetur, & hoc in nostra regula locum non habet ob rationem dictam,) vel obligat ad veniale: de se enim præceptum saltem hanc obligationem præferre debet maxime si contraria consuetudine non abrogetur: ergo in nostra Religione, ea, quæ in Regula traduntur, obligant ad venialem culpam. Nec potest quis verè affirmare, communi cōsensu hanc vim obligandi etiã ad veniale esse extinctam: quia potius serè omnium religionum nostrorum consensus & sententia in hanc partē semper inclinavit: & ita hodie passim tam Prælati, quam subditi, tam docti, quam indocti, vna mente, & ore fatentur.

Quod

Quod si aliqui contrarium aliquando conati sunt persuadere, hi vel pauci, vel minus periti, aut docti fuerunt. Imo si idem aliqua magna pars communitatis sentiret, parum certè obstaret. Tum primo, quia cōtrariū maiori parti semper, vt verius, & probabilius placuit, & modò omnibus ferè placet. Tum secundo, quia posito, quòd religio in studia contraria diuideretur, tunc sentiendum esset de regula secundum se, & non prout est consensu recipientium declarata: & sic manerent regula & eius præcepta in sua vi, & ad minus obligarent ad veniale. Et fortè, si consensum recipientium excludamus, timeri potest de lethali obligatione.

Tertio probatur. Quia vel loquimur de regula secundum se, aut de illa vt est iam vsu, & consuetudine declarata: vtroque autem modo obligat ad veniale: nam de secundo certū est ex dictis, de primo verò probant prædicta testimonia D. Thom. & rationes nuper adductæ: constat enim manifeste, D. Thom. loqui de regula secundum se.

Dixi ad minus obligare ad veniale, quia ad mortale minime obligat, tum ob rationem in prima cōclusionē allatam, tum etiam, quia, dum apertissime non constat de mente institutoris Religionis, voluisse, scilicet, lethalem obligationē subditis imponere, non est præsumendum de tali obligatione. Quia Sancti patres (vt rectè D. Thom. dicto quodlibeto ait,) qui religiones instituerunt, noluerunt hominibus iniicere damnationis laqueum, sed potius viam salutis aperire. Quia alias fortè maius periculum esset in Religione, quam in sæculo. Ac proinde censendum est, omnes alias obseruatias, (præter tria vota,) nisi alias euidentissime constet de mente legislatoris, tantum ad venialem culpam, minime ad lethalem obligare.

Obseruandum tamen est, regulæ transgressionem, licet non pertingat vsque ad lethale crimen, intra limites verò venialis offensæ, esse certe grauissimam inobedientiam. Quæ grauitas primo sumitur ex parte præcipientis, quia grauior inobedientia est, prætermittere præceptum Superioris, quam inferioris Prælati: & sic grauius est, regulæ, quàm constitutionum ac aliorum prælatorum, madata frangere. Tum etiam, quia tunc grauior est transgressio, quando præsumi

præsumitur id, quod est magis de voluntate legislatoris, ut supra ex Divo Thom. docebamus. Constat autem, omnia, quæ in Regula constituuntur, esse magis à legislatore volita. Nam cum posset (exceptis votis) alia consulendo, aut ordinando, & stabiliendo tradere: his non contentus, suam obligandi voluntatem verbis præceptiuis, non utcumque sed alijs, quæ eis firmitatem & vim adferrent, adiunctis, ut sunt, *Qua fungimur auctoritate, Firmiter, &c.* & non solum præceptis generalibus, sed specialibus, manifestavit.

Iam argumenta in contrarium facta facile ex dictis solvantur. Nam primum tantum probat, in regula reperiri aliquot præcepta, & ea fortè, si secundum se spectentur, obligare ad mortale: quia tamen non sub hac obligatione, sed tantum sub veniali recepta sunt, ideo eorum transgressores excusantur à mortali culpa.

Ad replicam respondeo, regulam Augustini & Benedicti tantum obligare ad veniale, ut supra probatum est: & illud testimonium Bernardi exponunt Dicus Antoninus, *Antoninus.* & Turrecremata dicto. §. 6. dicentes, ibi Beatum Bernardum non accipere præceptum proprie & strictè, sed large pro quacunque iussione, vel ordinatione: quæ, licet non constituat transgressorem reum lethalis culpæ, constituit tamen præuaticatorem cum sola veniali offensa. *Turrecremata*

Mihi vero hæc expositio non placet: grauiorem enim culpam, quam venialem, sonare videntur illa verba. *Cum tamen profitentibus præcepta, præuariantibus in crimina fiant.* Quare dicendum est, Diuum Bernardum loqui ibi indistinctè de aliquibus præceptis, quæ tangunt tria substantialia vota, que obligant sub grauiori culpa, de reliquis verò in regula contentis aperte tradit Dicus Bernardus in dicto libro, solum ligare ad veniale. Cæterum, quicquid sit de Regula Augustini, aut Benedicti: de nostra indubitatè tenendum est, sub tanto onere, (nempe lethalis offensæ) non grauare eius transgressores, propter rationes ibi adductas.

Ad secundam rationem responderi potest, quòd, licet ab antiquis ordinis scriptoribus regula tradatur sub forma

præceptiua, non ideo sequitur, quòd imponat nunc transgressoribus culpam mortalem: tum quia præceptum (ve superius annotauimus) communem rationem obligandi, tam ad veniale, quam ad mortale, includit: tum etiam, quia etsi solum ad mortale obligaret, non sufficeret hoc, nisi nunc inter nos communi consensu ita esset approbatum: tum tertio quia, etsi fortè apud primos Regulæ professores maior obligatio, quàm nunc est in Regula, agnita sit, apud posteros verò potuit contraria consuetudine prædicta obligatio extingui, aut mitigari.

Ad confirmationem, fateor libenter, eos vel agnouisse in Regula maiorem, quam nunc est, obligationem, (quod parum obstat ex dictis,) aut si eam non agnouerunt, satis fuisse arduum viris alias timoratis, venialem offensam suspicari, vt hoc scrupulo compellerentur ad moderationem & mitigationem Regulæ petendam.

Tertia ratio, imo & quarta eodem modo ac prima soluentur.

Ad vltimam verò, quicquid sit de maiore argumenti, adhuc tamen nihil infertur contra nostram sententiam, cum apud nos nemo rationabiliter dubitare possit,

loquendo in rigore de dubitatione, an regula obliget ad mortale, necne: cum

satis iam in ordine compertum

sit, minimè ad mortale

obligare.

(?)

Finis secunda partis.



SEQUITUR

TERTIA PARS,

Quae continet explicationem omnium capitulum Regulae Alberti usque ad exhortationes.

Cap. I. De electione Prioris.

TEXTVS.

Illud in primis statuimus, vt vnū ex vobis habeatis Priorem, qui ex vnanimi omniūque assensu, vel maioris & sanioris partis, ad hoc officium eligatur: cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate seruare, cum castitate, & abdicatione proprietatis.

Glossa. I.

CAput hoc duas cōtinet partes: prima de Priore habēdo, & de modo in eius electione seruando: secunda vero de obedientia ei promittenda, & de alijs votis, ex quibus professio regularis constat, breuiter tractat.

Circa primam huius c. partē in primis annotare oportet, olim apud nostri ordinis professores Anachoreticum institutum multorum annorum spacio vsque ad Aymerici Antiocheni Patriarchae tēpora floruisse: vt constat ex ijs, quae superius de antiquitate ordinis tractauimus. Cū vero Hierosolymis praedictus Aymericus Apostolicae sedis legatione fungeretur, & nostrorū fratrum tūc verē Anachoretarū, iuxta Eliae fontē in latere Carmeli cōmorantiū, laudabilē vitā

De electione Prioris 2. p. statutorum Carthus. c. 2 De elect. Generalis & obedientia ei praestanda ac de professione triū voto rū agit Reg. B. Francisc. c. 1. & 8. De obed. & paupert. Reg. Societ. Iesu. p. 3. cōstitutionū c. 1 De obed. itē, castitate & pauper. Reg. monachorū ex scriptis D. Hiero. ex tracta. c. 1. 3. & 4. & Reg. Monacharū Dino Hierony. ad scripta c. 2. & 3. & 6.

ac conuersationē conspiceret: eos speciali fauore, & dilectio-
 ne fuit prosequutus. Quare deinceps ordinis profectui, ac
 utilitati consulere volēs, eos decreuit ab illo arcto & strictis-
 simo viuendi ritu ad cōmunem vitā ac cœnobialē reducere.
 Nā licet solitariae vitæ institutū sublimioris sit perfectionis
 (nā eam merito Basilus in Epistola ad Quilonē martyrio
 cōparat, Nazianzenus, in Apologia pro fuga sua, cœlestem
 vitā, Chrylostomus verò Homil. 8. in Matth. paradiso dig-
 niorē, & Angelicis choris comparandā prædicāt, Hierony.
 verò ad Eliodorū, & ad Eusthochiū, non solitudinē, sed Pa-
 radisum eā vocat, & alij Patres, vt Epiphanius in Cōpendia-
 ria doctrina, & Cassianus in collationibus, multa de huius
 vitæ dignitate, austeritate, & perfectione tradiderunt) no-
 uerat tam vir ille esse hāc altissimā professionē paucorū, cū
 sit periculis ac laboribus plenat passim prædicti Patres,
 & alij testātur: ecōtra vero communē vitā ac socialem mag-
 na emolumenta ac commoda eius Athletis præferre. Cō-
 plures huius vitæ utilitates, ac Anachoreticæ incōmoda &
 pericula D. Basilus regulis fust. q. 7. enumerauit. Qua in re
 vtriusq; vitæ oculatū testē Abbatē illū Ioānē producamus,
 quē Cassian. coll. 9. ca. 3. triginta annos in cœnobij cōgrega-
 tione, deinde alios viginti in solitudine egisse, vtroque vero
 summa sanctitate ac perfectione: ac demū in illa ætate pue-
 rta ad priorē vitæ cōmunitatē se se vltro retulisse cōmemo-
 rat. Et, vt omittā alia, quæ Basilus vt sup. & hic Ioānes apud
 Cassianū de solitariae vitæ periculis docēt, hoc vnū adiciā:
 quòd in hac assidua nostræ vitæ super terrā militia, ac inces-
 sabili pugna, & quidē de tanta re, quanta est vita æterna, ni-
 hil periculosius esse potest (vt Bernardus serm. 3. circūcisio-
 nis ait) quā solū luctare velle, nihil verò tutius, quàm multo-
 rū vna pugnantiū manibus adiuuari. Confirmant hoc mul-
 torum solitariē degentium tristes exitus: qui cū multos an-
 nos in solitudine, ieiunijs, vigilijs, ac summo vitæ rigore pe-
 regissent, tandē à callido, & versuto hoste decepti, misere pe-
 rierunt. Nec opus est hic amplius in describēdis cœnobialis
 vitæ emolumentis ac solitariae periculis detegendis immo-
 rari: quia de hoc (fauēte Deo) in tractatu de p̄fessione mona-
 stica latiorē sermonē proferemus. Sufficiat nūc lectori, præ-
 cognouisse

*D. Basilus.**D. Nazian-**Zenus**D. Chrysof.**D. Hierony.**S. Epiphan.**Cassianus.**D. Basilus.**Cassianus.**Bernardus.*

cognouisse, solitariam vitam sociali in perfectione, ac puritate eminere: hanc verò securitate, iucunditate, facilitate, ac alijs perfectionis fructibus solitariam vincere.

Aymericus igitur his, & alijs vitæ communis vtilitatibus accensus, fratres nostros ex Anachoretarum viuendi norma ad cœnobiale institutum redegit. Ita tamen, quòd Eremiticam vitam ad formam communem redactam, (vt nunc est apud Camandulenses, strictiorem tamen, quàm apud Chartusianos) seruant. Et sic ab eo prudenter illa strictissima nostrorum Anachoresis fuit temperata, & ad mitiorem, vereque commodiorem Eremitarum vitam, vt in regula Alberti depingitur, reuocata.

Hoc igitur tempore, postquam Aymericus Carmeli Anachoretas sub prædicto viuendi modo coëgit, statim Bertholdū eiusdē Aymerici cōsanguineū eis præposuit, & Latinorum more Priorē nuncupauit. Olim nāque etsi omnibus fratribus vnus præset, qui Abba Syriacā lingua, & Latina Pater dicebatur, voluit tamen, fratres nostros, qui iam more Latinæ Ecclesiæ monachorum in communitate degebāt, etiā hāc Latinæ Ecclesiæ cōsuetudinem tenentes, Prælatos Priorum nomine nuncupatos habere. Quare Bertholdum hunc ob prædictam rationem primum Priorem Generalem ordinis monumenta recensent.

Ex quo factum fuit, quòd, cum Fratres nouum viuendi modum ab Aymerico traditum libenter assumerent, nouam sibi viuendi regulam fore necessariam conspicientes, (neque enim regula Ioannis Patriarchæ ab eis iam pridem suscepta tunc eis sufficere poterat, cum anachoreticæ vitæ institutum, de quo ipsa ferebatur, iā esset extinctū,) Albertum Patriarcam adierunt, vt sibi iuxta nouum vitæ propositum nouam viuendi normam traderet. Quod satis indicāt illa priora Alberti in Regula verba. *Multifariam multisque modis Sancti Patres instituerunt, qualiter quisque in quocunque ordine sit, &c. viuere debeat. Verum quia requiritis à nobis, vt, iuxta propositum vestrum, tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in posterum debeatis, &c.* Propositum igitur, de quo fit hic mentio, nō est aliud, quam illud, quod

maiores nostri habuerunt viuendi in communitate secundum formulam ab Aymeryco descriptam: & iuxta hoc haberi regulam postularunt, quam Albertus tunc Hierosolymitanæ Ecclesiæ Patriarcha suo iure & potestate tradidit: in qua inter cætera statuta caput primum & potissimum fuit de electione Prioris, & de modo in professione seruando. Et ideo ab electione Prioris Albertus suæ Regulæ dedit inittum dicens. *Illud in primis statuimus, ut vnum ex vobis habeatis Priorem, qui ex vnanimi omniumque assensu, vel maioris & sanioris partis, ad hoc officium eligatur.*

*Paleonidor.
Specul. ordi.*

Circa illa verò priora verba, *vnum ex vobis habeatis Priorem*, forsan aliquis hic hæsitare poterit, de quo Priore, an de Generali, vel conuentuali illa accipienda sint? Cuius dubitationis solutio facilis est ex his, quæ ordinis historiæ reperiunt. Omnes enim affirmant (vt videre est apud Paleonidorum, libro. 3. cap. 1. & in Speculo ordinis, & nos nuper attingebamus) Bertholdum fuisse primum Præpositum, siue Priorem Generalem, cui Brocardus in Generalis ministerio successit. Hic ab Alberto regulam hanc poposcit: & hunc in regulæ initio & fine Albertus alloquitur, & Priorem appellat. Quare cū hic tunc esset Generalis Prior, & regula mentionem faciat de Priore eligendo, fit, vt de Generali sit intelligenda. Quod ex eo confirmari potest, quia tunc licet plura essent in Syria & forte per totam Ægyptum dispersa monasteria, Prior tamen conuentualis montis Carmeli simul erat omnium Generalis, sicut nunc contingit in pluribus monachalibus, vbi Prior certæ ac peculiaris domus simul vt Generalis toti ordini præsidet: quamuis non incongruè secundo interpretari possumus prædicta verba, tam de electione Prioris Generalis, quam conuentualis, cū vtrique possint commodè adaptari.

Ex quo fit, ea omnia, quæ in regula nostra de Priore absolute proferuntur, tam ad Priorem Generalem, quam ad conuentualem spectare, dummodò singula singulis debite accommodentur: ita, vt ea, quæ ad monasterij administrationem reducuntur, ad Priorem conuentualē referantur: illa verò, quæ ad totius ordinis regimen spectant, vt sunt domos recipere, & similia, Generali Priori conuenire omnino asserendū sit.

Secun-

Secundo circa illud verbum, *Unum ex vobis, &c.* locus erat examinandi, qualis regendi forma in Religionibus commo-
dior sit, an Monarchiæ, quæ ad vnius principatum & do-
minationem reducitur, solaque vnius nititur voluntate &
imperio: an Aristocratix, in qua sceptrum optimates te-
nent: vel forsan Democratix, quæ à totius populi, siue com-
munitatis suffragijs, tanquam à potissimo principio diman-
nat? At quia nos breuiter his commentarijs ea, quæ utilio-
ra, & selectiora sunt, tradere festinamus: omisis alijs, quæ
hinc inde adducta longiorem hanc tractationem redderēt:
id primum in hoc dubio absque controuersia ex omnium
fere Philosophorum sententia constituo: ex natura rei, se-
clusis alijs circumstantijs (de quibus infra,) Monarchiam
omnes alias regēdi species antecellere, Probat id inter alios
doctissime Angelicus Doctor opusculo de regimine Prin-
cipum lib. 1. c. 3.

D. Thom.

Secundum est, (idque vt certum multi grauissimi autho-
res tradidere) quòd hominum fragilitate inspecta (sumus
enim omnes natura nostra in vitia proni, estq; humana cō-
ditio maioribus quotidie corruptelis infesta,) vtilius est &
conueniētius imperium ex Monarchia & Aristocratia mix-
tum: ita Diuus Thom. 1. 2. quæstione 95. ar. 4. & ibi omnes
eius expositores scripserunt. Tradit quoque ex sua & alio-
rum sententia Bellarminus, tomo. 1. tractatu de Romano
Pontifice, statim post initium. Hæc autem mixta regendi
forma tunc conlurgit, cum vnus qui aliorum existit Prin-
ceps, siue Prælatas, de eorum consilio decisiuo vniuersa
moderatur. Dixi, decisiuo. Nam si aliorum suffragia tantū
sint consultiua, potius Monarchiæ, quam Aristocratix vi-
res retinet: vt videntur enim omnes Principes, qui Monarchiæ
imperio fruuntur, multorum consilio, & prudentia. Et quia
istorum consensus necessario non est requisitus, ideo abso-
luti Princeps & Monarchæ dicuntur. Nostræ verò Religio-
nis gubernandi forma magis ad Aristocratiam accedit siue
(vt verius dicam) ad Monarchiam mixtam. In ea enim Ge-
neralis, ex sententia & consensu Diffinitorum, omnia gra-
uiora disponit, gubernat, & præcipit: quamuis hodie Gene-
ralis authoritas non sine rationabili causa fuerit amplius

D. Thom.

Bellarmin.

Nauarrus.

extensa, Definitorumque coarctata: ita, vt non nisi in gra-
uissimis rarioribusque casibus, eorum consensus requira-
tur. Huiusmodi autem regendi formulam, nostris tempori-
bus, Religionibus bene institutis maxime conuenire pul-
chrè ostendit Nauarrus, in c. Nullam 18. quæstione. 2. nu-
mero. 10. & præcipue numero 15. cuius verba libuit hic re-
ferre. Concedimus (inquit) absolute quidem & simpliciter op-
tiam regendi speciem esse Monarchiam, qua Reges vtun-
tur, in qua vnus solus gubernat, secundum Aristotelem recep-
tum à D. Thom. libro. 1. de regimine Principum capitulo. 3.
4. & 5. licet soleat in Tyrannidem degenerare, qua est pes-
sima species mali regiminis secundum eosdem. Concedimus
item, Patrem nostrum Augustinum per suam Regulam signi-
ficasse, quod potius Monarchia, quam Aristocratia, vel De-
mocratia in suo ordine seruarietur, veriusque esse id, quod an-
tea diximus, nempe, sanctius commodiusque monasteria gu-
bernari per vniam, quam per multos, si Prælati essent Augusti-
ni, & subditi Possidonij. At quia Prælati longe ab Augusti-
no, & subditi à Possidonio degenerauerunt: & Monarchia
absoluta omnium ferè non mendicantium in Tyrannidem dege-
nerauerunt: ideo in quam plurimis Religionibus loco Monar-
chie instuta est Aristocratia, aut certè Monarchia stricta,
qua vnus de consensu multorum ad idem designatorum guber-
nat. Hæc Nauarrus vt supra.

Præterea huius regiminis, quod nunc in nostra floret
Religione, vestigia quædam, etsi non valde expressa, adum-
brata tamen in nostra Regula traduntur. Nam. cap. 2. & 3.
statuitur, vt in domorum receptione, & cellarum assigna-
tione Prior fratrum consensum requirat, & spectet. Quæ
verba de Priore Generali intelligi, iam supra à nobis proba-
tum manet.

Tertio circa prædicta verba, Vñ ex vobis habeatis Priore,
obseruandum est, nostræ Regulæ mentem fuisse, vt ille, qui
in Priorem eligendus fuerit, sit ex nostris, & primitiue
Regulæ

Regulæ professor, vt constat ex illis verbis, *Ex vobis*. Quod etiam iure Canonico cautum esse video, vt constat ex cap. *Cap. Nullus de electione in. 6.* nullus de electione in. 6. vbi decernitur, in Abbatem non debere eligi, nisi illum, qui expressè professus sit Regulam eorum, quibus præesse debet. Quod nouissime sessione 25. c. 22. de reformatione regular. Concil. Tridentinum approbavit. *Conc. Trid.* *(Confidimus (inquit) Romanum Pontificem curaturum, vt his, qui suos conuentus habent, Regulares personæ eiusdem ordinis expressè professa præficiantur. Quibus iuribus adducti Romani Pontifices, Gregorius XIII. Sixtus V. & Clemens VIII. à Prælati- fratrū nostrorum, qui Regulam mitigatam obseruant, & eorum iurisdictione omnino nos separati, & ex ipsis Disceatis ac Regulæ primitiuae professoribus Generalem in noua hac reformatione assumi, sanxerunt.*

Qui ex vnanimi, omniumque assensu, vel maioris & sanioris partis, ad hoc officium eligatur. His verbis breuis formula in electione Prioris Generalis seruanda, à Regula, describitur, statuendo, electionem fieri debere ex consensu omnium fratrum, vel maioris, & sanioris partis. Circa hoc, illud scire oportet, capitulum generale, quod nūc in vsu est apud omnes serè Religiones, olim non viguisse: sed mortuo Prioris Generali, qui per totius vitæ spaciū perdurabat, alter à maiori parte omnium Religiosorum eligebatur. Nunc tamen, sicut in alijs Religiosorum congregationibus, à maiori parte capituli Generalis, vt iura & canonicæ sanctiones disponūt, nominatur, qui tantum in ordine per sexennium durat, vt in Bulla Sanctissimi Domini nostri Clementis Papæ VIII. de *Bulla Clement. VIII.* cernitur. De forma autem in electione: (iuxta Concilij Trident. decretum) seruanda, non est hic differendi proprius locus: videndi sunt Summistæ verbo, electio.

Cui obedientiam promittat quibet aliorum, & promissam studeat operis veritate seruare, cum castitate, & Abdicatione proprietatis.

Hæc est secunda huius c. pars, in qua de professione & eius forma agitur, statuendo, vt omnes, dum profitentur, Priori Generali obedientiam cum castitate, & abdicatione proprietatis expressè promittant. Et quanuis ad stabilitatē professionis sufficiat, vt quis tantum obedientiam promittat, aut conuersionem vitæ, aut Regulam absolute, nec

requiratur ad eius solemnitatem, quod exprimat paupertas, vel castitas: imo nec obedientia, vt latius in tractatu de professione dicemus: olim tamen hæc veritas non erat ita constans, & recepta, vt nunc est apud authores. Quare Maiores nostri, cum in regula Alberti nulla mentio fieret de paupertate & castitate, apud Innocentium III. qui prædictam regulam declarauit & mitigauit, dubitare ceperunt an ad obseruantiam paupertatis & castitatis ex vi Regulæ tenerentur: seu potius, (vt proprius, & verius loquar,) ad tollendas scrupulorum occasiones, ab ipso postularunt, vt castitatis, & paupertatis expressa mentio in hoc cap. traderet: & sic Innocentius III. in hoc cap. illa verba adiecit, *cum castitate, & abdicatione proprietatis*. Quæ olim in regula Alberti non constabant. Circa hanc igitur huius cap. partem, vttilis valde & omnino necessaria tractatio de professione, & tribus votis, quæ fundamenta sunt, in quibus totius Religionis ædificium superstruitur, suscipienda à nobis esset, nisi de his nos alibi longam, & peculiarem disputationem suscepturos sperarem.

Cap. I I. De Receptione locorum.

Textus.



Loca autem habere poteritis in eremis, vel vbi donata vobis fuerint, ad vestræ Religionis obseruantiam apta, & commoda, secundum quod Priori, & fratribus videbitur expedire.

Glossa. I I.

CVM Carmeli grex & deuota virginis familia in dies magis augetur: tum ob loci angustiam, tum etiam vt Carmeli vinea versus omnes terræ partes suas mitteret radices, ac palmites extenderet, alias adire regiones, & noua experiri loca, fratres ad id vsque temporis in

Prouin-

De consil. à
Fratribus ex
pectando Ba
silius in bre
uior Reg. 48
& optime Be
ned. c. 3. sue
Regule, Sta
tuta Carthu
si. 2. p. ca. 4.
& regula
Monacharū
c. 7.

Prouincia Syriæ commorantes decreuerunt. Quare ab Innocentio III. dispensationem petierunt; vt sibi liceret vbi que terrarum monasteria erigere: nam ex vi Regulæ Alberti tantum in eremis hoc eis videbatur permissum. Vnde totum hoc cap. 2. additum est ab Innocentio. III. in quo duo potissimum statuit. Primum, habitationem nostram in solitudine, vel eremo, vel in alijs locis ad nostræ professionis obseruantiam aptis esse debere. Secundum, quod prædicta loca arbitrio Prioris, & aliorum fratrum ad nostrum propositum, siue institutum iudicentur idonea.

Ex hoc igitur cap. tria licet manifestè deducere. Primū, non solum in eremis, sed alijs quoque locis nostras domos cōstrui posse. Secūdū: nō. quælibet loca ad nostrarū domorū cōstructionē admitti posse, sed ea tantū, quæ ad Regulæ obseruantiam visa fuerint conuenire. Tertium, nullum locum recipi posse, nec debere, nisi ex arbitrio Prioris Generalis, & aliorum fratrum (nempe Diffinitorum.)

Circa primum horum, illud se offert animaduersione dignum, quod hic prætereundum non est, quantum (scilicet) nostræ Regulæ & professioni solitudo & eremus conueniant. Id enim est proprium, & potissimum, quod Regula intendit dum ait, *Loca autem habere poteritis in Eremis.* Imo, quod alibi licet erigant, id potius extensio quædam, siue regulæ indulgentia videtur. Nec mirum est, quod fratribus, quos Eremitas Regula appellat, eremi habitatio magis, quàm urbium quadret.

Circa secundum verò, statim obuia est dubitatio, quæ (scilicet) loca possint dici ad nostræ Religionis obseruantiam apta, & commoda? Cuius solutio ex Regula patet: nempe, ea esse, quæ Prior Generalis & alij fratres apta & conuenientia iudicauerint. Sed quæ sint circūstantiæ & conditiones, quæ debeant concurrere, vt Prior Generalis & ceteri fratres debite id arbitrentur, & sine periculo ordinis discernant, id non facile erit vnicuique explicare.

Pro cuius declaratione primò certū est, hoc arbitrium siue iudicium pensandum esse ex commoditate loci recipiendi. Quæ autem dici possint, & verè sint commoditates loci ad nostræ Regulæ obseruantiam? Hæc sine dubio regulandæ,
& de-

& desumendæ sunt ex fine, & speciali nostri ordinis scopo siue instituto. Ex fine enim, & non aliunde, mediorem proportio maior vel minor mensuratur. Quare, cum finis specialis, & primarius nostræ Religionis sit (vt ex dictis in Regulæ præfationibus constat) assidua diuinæ legis meditatio, siue frequens & sine intermissione ad Deum oratio (hic enim ante omnes alios scopus est, in quem omnia nostræ militiæ tela diriguntur) secundarius verò & veluti minus intentus sit verbi diuini prædicatio, & salutis proximorum cura (vt superiori loco dicebamus) sit, ea loca à Prælati, vt aptiora præ alijs eligenda esse, quæ ad hos consequendos fines, seruata vniuscuiusque dignitate, & principalitate, magis proportionata iudicauerint. Ea nimirum, quæ ad contemplationis quietem & aliqualem proximorum curam utiliora repererint. Ita tamen, vt licet potissimum illud attendatur, hoc tamen nequaquam prætermittatur.

Greg. Naz.

Similia loca ad suorum monasteriorum constructionem D. Basiliū elegisse, ex Nazianzeno in eius vita accepimus. Cum enim (inquit Nazianzenus) animaduertisset, eos, qui in communi vita (idest monachos qui degunt inter seculares) monasticam licet abstinentiam seruent, alijs quidem vtilis, sibi vero nequaquam existere, cum multis eos necesse sit versari malis, quæ vitæ perfectæ, ac planè quieti contraria videntur: eos vero, qui in solitudine procul ab his agunt, firmiores quidem proposito, magisque Deo coniunctos, quam supradictos vidit, tamen sibi tantum vtilis: vtrumque vitæ genus coningere conatus est. Quamobrem Monachorum cœnobia haud procul ab his, qui in hominum societate viuunt, edificari iussit, nec omnino separauit, vt & propinquitate, cum opus charitatis exposceret, adesse possent: distantes alioqui proprijs terminis, ne quies eorum, aut pax interrumpi per multitudinem pesseret: vt & sic nec ipsi Monachi actionis merito, quod ex impendenda alijs pietate esset, priuarentur, neque rursum eorū actio per tumultus inutilis efficeretur. Hæc Gregorius vt supra.

Ex

Ex quibus colligere licet, duo potissimum in domorum nostrarum erectione esse consideranda. Primum, ut earum situs contemplationi aptus, & congruus sit: & ita à secularium conuersatione & cohabitatione aliquantulum distet. Nam, ut optime Bernardus epist. 78. ad Suggestium Abbatem, rescripsit, *luce silentium & ab omni strepitu secularium perpetua quies cogit caelestia meditari. Nam multum quidem (ut aiebat Gregorius) deorsum ducimur, dum loquutione continua secularibus admiscemur.* Confirmat hoc Casianus collatione 19. ubi per totam solitariae vitae finem esse contemplationem, & illam ad hanc medium esse aptissimum demonstrat. Nam cum medium optimum ad contemplationem sit, habere animum collectum, & à rebus omnibus abstractum: huic rei mirum in modum solitudo deseruit, quae omnem strepitum rerum, quae mentem distrahere possunt, procul arcet. Quod adeo esse verum scribit D. Hieronymus, libro. 2. contra Iovinianum, ut etiam multi Philosophi solo naturae ductu in desertis habitauerint, imo & quidam sibi oculos eruerint, ut sine distractione contemplari possent.

D. Bernard.

D. Gregor.

Casian.

D. Hierony.

Secundū est, ut construēda monasteria ab hominū cōiuctu & vicinitate procul nō erigantur: tū propter opera charitatis, praedicationibus, & cōfessionibus à nobis cōciuibusexercēda: tū etiā propter eleemosynarum retributionem, quā nos pauperes & mendici à secularibus ad nostrum quotidianum victum expectamus: necnon ob alias varias necessitates, quibus pauperes frequentius vrgeri solent. Quare, sicut mendicus homo, qui aliorum misericordia viueret, ab hominum omnino separari consortio nō posset, aliās magna pateretur incommoda: ita nec pauperum conuentus longe ab vrbibus construi, nec oportet, nec debent: sin minus maiora incommoda sentient. Medium igitur inter duo extrema sumendum est, ita, ut nec in medijs vrbibus, nec procul ab eis, loca ad monasteriorum fabricam recipiantur: ut sic vtrumque finem, scilicet, orationi vacare, & proximorū saluti studere, possimus amplecti. Hunc verò esse opportunorem nostris domibus situm, experientia ipsa (optima rerum magistra) edocemur. In illis enim domibus, quae simili situ & distantia gaudent, ut sunt oppidorum Pastranae, Granae,

natae, & Vallisoleti, Religiosos maiori perfrui quiete, seruē-
tiori oratione, & spiritu ambulare compertum est. Et uti-
nam, si id fieri commode posset, in secretioribus remotiori-
busque locis monasteria nostra erigerentur: vbi Deo tan-
tum vacandi eiusque consortio fruendi locus esset.

At dicet quis. Proximorum saluti commodius consuli-
tur, si in vrbibus nostrae domus erigantur. Nam cum ibi sae-
cularium sit maior frequentia, & concursus, plus nostro
exemplo aedificabuntur, & confessionibus nostris, ac praed-
icationibus proficient. Haec tamen euasio forte Daemonis
est versutia, qui sub specie recti, à nostro instituto & propo-
sito nos reuocare nititur: vt ex aequo vtrumque finem am-
plecti cupientes, vtriusque fructu priuemur, & neutrum cō-
sequamur. Nam cum finis noster situs non sit in proximo-
rum cura, sed in assidua oratione, vel meditatione: quae lex
quodue consilium postulat, vt praetermisso principali
scopo, vel eo saltem nimium periclitante, minus principalē
summo studio, & diligentia curemus? Vbi quaeso in nostra
Regula de proximorum salute perquirenda, aut de concio-
nibus ad populum habendis mentio fit? Vbi confessionum
aut praedicationum ministerium praecipitur, consulitur,
aut saltem indicatur? At, vt intra cellulas nostras manentes
frequenter oremus, & noctu diuque legem diuinam medite-
mur, id nostrae regulae centrum, & fundamentum est. Opor-
tet igitur, illud ita facere & praestare, vt haec, quae potissima
sunt, nequaquam aut pereant, aut in aliquo minuantur.

Secundo ex dictis infero, quantum in hac parte circums-
pectos esse oporteat Ordinis praelatos, curātes, extra vrbes
& hominum frequentiam conuentus erigere. Nam aliās or-
dinis puritatem & primitium rigorem magno (sine du-
bio) relaxationis periculo exponunt. Quia, quantum in se
est, occasionem praebent, vt in his domibus Religiosi nunc
vel succesu temporis saecularibus negotijs occupati, varijs
distrabantur curis, hisque implicati deuotionis spiritum
amittant, orationis feruorem extinguant, & denique omnia
alia spiritualia illis in nauseam & tedium vertantur.

Tertio adhuc licet inferre, nostrae intentionis nō esse hic,
damnare cremi domos, quas longē ab hominum conspectu
secretis-

secretissimis in locis in vnaquaque Prouincia construi, à nostro admodum Religioso Patre Generali Elia à sancto Martino, simul cum Capitulo Generali, nuper sancitum est. Hoc enim potius laudandum, ac vix omnibus commendandum est: cum monasteria hæc columnen sint, ac ordinis decus, ac Regularis obseruantie fundamentum: & denique veluti ossa ac nerui, quibus hoc spirituale Religionis ædificium sustentari debet. Loquor igitur nunc non de his eremitorijs, in quibus eremiticæ vitæ puritas ac perfectio omnino seruatur: sed de illis tantum Monasterijs, quæ frequentius in ordine eriguntur, in quorum fundatione prædictum modum obseruandum dixi. Quia per illum Regulæ menti, & ordinis vtilitati, ac Religiosorum profectui satis consulitur.

Circa tertium, quod Regula præcipit, nempe loca recipi debere de arbitrio & dispositione Prioris, & de assensu aliorum fratrum, supposito, quod hic Regula de Priore Generali loquatur, vt supra cap. præcedenti statuimus, restat nunc examinandum, quo iure Prior Generalis authoritatem habeat ad nouas domos in ordine fundandas, vel ad desserendum iam ante fundatas.

Pro cuius resolutione primò constituendum est, ordinis Prælatos, etiam si de Generali loquamur, ex vi iuris communis non posse sine authoritate Apostolica conuentum aliquem erigere: quia hoc expressè eauctur. c. vnico de excessibus Prælatorum in sexto. Imò, & præter authoritatem Pontificis prædictam, requiritur Episcopi diocesani licentia, vt decretum fuit à Tridentino sessione 25. de reformat. regul. cap. 3. in fi. in quo statuitur, vt prædicta loca minimè erigantur sine authoritate Episcopi diocesis, &c. in qua erigenda sunt. Quare vtraque & Summi Pontificis & Episcopi facultas ad noua monasteria construenda præcedere debet. Nec decipiatur quis existimans, nunc, post editum Concilium, authoritatem Apostolicam de iure non prærequiri, cum de illa Tridentinum non meminerit: nam ab Illustrissima Cardinalium congregatione declaratum fuit, adhuc post concilium, authoritatem Apostolicam esse necessariam, per hæc verba. *Monachi non possunt adificare monasteriū*

Cap. vnico,
de Excessib.
Prælat. in. 6
Conc. Trid.

in Parrochia, in qua id non habent, sine cognitione, & licentia Papæ.
 Quæ declaratio maximè videtur iuri consentanea : nam in prædicto Tridentini decreto minimè abrogatur dispositio iuris communis antiqui, secundum quam licentia Papæ præ requirebatur, vt patet in dicto cap. vnico de excessibus Prælatorum libro. 6.

*Dict. c. vnic.
 de excessib.
 Prælator.*

*Compendiū,
 Mendicant.*

Quæri tamen merito potest, post prædictam Cardinalium declarationem, quæ licentia Papæ prærequiratur, & an vti liceat religionibus suis priuilegijs, quibus eis indulgetur, vt possint sine noua Papæ licentia monasteria erigere? Quod concessum fuit ordini nostro à Sixto III. & nouissi me à Sixto V. & idem Minoribus Iulius II. & Vrbanus III. concesserunt, vt in compendio Mendicantiū habetur verbo (ædificare.) Respōdetur huiusmodi priuilegia nō esse abrogata, neque à Tridentino, cum nihil contrarium eius decretis contineant similia priuilegia, neque à congregatione Cardinalium, quia hæc tantum declarauit mentem concilij, attento cōmunis iuris rigore; vnde, licet ex vi iuris sine licentia Papæ non possint Religionum Prælati noua recipere monasteria, possunt tamen ex vi priuilegij illis concessi, vel ab alijs ordinibus participati.

*F. Emanuel
 Rodriguez.*

Extendenda tamen aliqui ex iunioribus volunt hætenus de fundatione nouorum monasteriorum dicta ad translationem monasterij de vno ad alium locum, etiam intra eādem dicecesim vel ciuitatem in quo requiri, præter Papæ licentiam, etiam Episcopi fatentur. Quia (vt ipsi aiunt) non videtur maior ratio de vno, quàm de alio: & iam hoc vsu religionum videtur fuisse receptum: tenetque Frater Emanuel Rodriguez, in Summa verbo (prælados) ca. 29. conclusio. 10. & sic, isti censent, ex vi Concilij Tridentini, Episcopi licentiã esse necessariã. In hac re illud mihi videtur certū, ex vi iuris non requiri licentiam, neque Pōtificis, neque Episcopi, ad transferenda Monasteria de vno loco ad aliū, (loquor nunc de illis monasterijs, quæ post decretum Bonifacij VIII. in dicto cap. vnico de excessibus prælatorum sunt erecta. Probatum apertè: quia si id in aliqua iuris parte esset stabilitum, maximè vel in cap. vnico de Religiosis domibus, vel dicto capite etiam vnico de excessibus Prælat.

*Cap. vnic.
 de religios.
 domibus.
 Cap. vnic. de
 excessibus
 Prælatorū.*

Nullibi

Nullibi enim nisi his locis fit mentio de hoc. Sed in primis id nulla ratione colligitur ex capitulo vnico de Religiosis domibus. Nam quamuis ibi, in .6. (confirmatos,) Religiosis Mendicantibus interdicitur, nouam domum acquirere vel antiquam mutare: tamen ibi loquitur de illis ordinibus Mendicantibus, qui propter decretum Concilij Lugdunensis extincti sunt. Et expressè ab hac decisione ibi excipiuntur sacri Carmelitarum, Eremitarum sancti Augustini, Dominicanorum, ac Franciscanorum Ordines. Quare textus ille nullatenus comprehendit has religiones, nec vllas alias Mendicantes, quæ post dictum Concilium approbationem à sede Apostolica meruere.

Præterea in d.c. vnico de excessibus Prælatorum, quamuis ibi expressè caueatur, ne Religiosi ordinum Mendicantium denuò ad habitandum domos recipiāt, vel eas absque sedis Apostolicæ licentia mutare præsumant: adhuc tamen hæc decisio non extenditur ad domos, quæ post illam editam fundatæ sunt. Nam quamuis quantum ad hoc, quod est, nouum erigere monasterium, semper requiratur ex vi illius iuris, summi Pontificis authoritas, quia id sine vlla limitatione, prædicto c. statuitur, quantum verò ad illud, quod decernitur de transferendis aut mutandis domibus iam receptis, expressè in d.c. declaratur, intelligendū esse tantū de domibus ante prædictum decretum receptis, non vero de recipiendis, vt ibi expressè obseruat Glossa ferè in principio: imo id concessum est ad maiorem firmitatem ordinibus Mendicantibus, vt patet in compendio verbo (ædificare,) vbi Leo. 10. id concessit monialibus sanctæ Clare: & ex consequenti per communicationem omnibus alijs.

Glossa.

Porrò supposito, quod Religiosi habeant à Sede Apostolica hanc transferendi sua monasteria ad alia loca facultatē non video, quo iure teneantur Episcopi licentiam expectare. Nam certè Tridentini decisio, loquens de noua monasteriorum fundatione, non est, cur extendi debeat ad translationem intra eandem diocesim. Primò, quia cum ista constitutio sit odiosa, ac iuris communis correctoria, minime extendi debet ad casum in ipsa non comprehensum. Imo limitari debet eius decisio, per tex. in d.c. vnico de excessibus

Q

Præla-

in l. sciendum. ff. Qui satisfare cogan. & in Authen. offeratur, C. de litis contest.

Glossa.

Prælatorum. Nam leges generales, etiam posteriores, intelliguntur & limitantur per leges speciales priores. Cuius exemplum quotidianum est in lege sciendum. ff. qui satisfare cogantur, & in authent. offeratur. C. de litis contestat. Vbi glossæ communiter receptæ idem asserunt. Ex quibus fit, mentem Concilij exponendam, & intelligendam esse iuxta dictum cap. ita, vt non extendatur ad translationem: sed tantum ad nouam Conuentus erectionem. Tum secundo, quia minimè in iure idem sunt, fundare, & trāsferre monasteriū, vt patet expressè ex d. c. vnico. de exc. præl. vbi Bonifacius prohibet nō solum nouam loci erectionem sine Pōtificis licentia, verum & quamcunque eiusdem mutationem: vbi annotauit Glossa, minimè vnum comprehendi sub alio, & expressè in casu, de quo loquimur, nobiscum sentit. Tum tertio, quia cum Patres Concilij non ignorarent prædicta iura, quæ Religiosis Mendicantibus interdicit erectionem nouam, vel translationem, siue aliam quamcunque mutationem suorum monasteriorum, mirum est, ipsorum mentem fuisse (vt contrarij asserunt) comprehendere etiam domorū translationem, & id non expressisse, cum id in simili casu exprimere, antea necessarium visum sit & Concilio Lugdunensi, & Bonifacio Pontifici, vt refertur iuribus supra adductis. Tum etiam quarto, quòd authores contrariæ sententiæ affirmant, non requiri Episcopi licentiam ad desertionem monasteriorum: & certè, si res attentè perpendatur, magis includitur sub mente Concilij Trident. desertio, quam translatio: quia res per eandem causas nasci, & dissolui debet: ac pròinde eadem videbatur vtriusque ratio. Vnde nō video, qua ratione ducti fateantur, requiri Episcopi licentiam ad translationem, minimè verò ad desertionem.

Ex his ergo constat, Religionis Prælatos, licet ex vi iuris ad erectionē nouæ domus habere debeāt tam Papæ, quam episcopi licentiam: tamen ex vi priuilegiorum suorum nūc tantum obtinere debere Episcopi licentiam, quam, fatemur ex vi Tridentini ad foundationem nouam esse necessariam, non verò ad translationem domus iam constructæ, quādo intra eandem diocesim hæc translatio fit.

Secundo & principaliter statuo, quod quāuis ex vi iuris

commu-

cōmunis non sit specialiter decretū, ad quē facultas hæc recipiēdi nouos cōuentus pertineat, an ad Generalē, an verò ad Prouincialē, ac proinde ad vtrumque spectare videatur: tamen ex vi nostræ Regulæ, imò & nostrarum constitutio nū, in nostro ordine ad Generalem spectat, non vtcumque, sed simul cū consilio Definitorū: vt sic hoc Regulæ mandātū melius adimpleatur, in quo præcipitur, vt noua loca ab ordine nō aliter recipiantur, quā si Priori Generali, & alijs fratribus visa sint professioni nostræ expedire. Quod & nouissimè authoritate Sixti V. in Bulla, quæ incipit, *Cum de statu, ac bono regimine*, fuit confirmatū: vbi sic dicitur. *Ita tamen, vt Priores Prouinciales, aut alij fratres nouas domos aut monasteria recipere, erigere, aut construere minimè audeant.*

Tertio constituo, quod licet ad nouos erigendos conuentus sufficiat ex vi iuris, Generalis, vel Prouincialis auctoritas, tamē nouam Prouinciam erigere, & fundare, vel erectā diuidere, aut vnā Prouinciam alteri subijcere, sine licentia Papæ, Prælati Regulares non possunt. Ratio huius est, quia cum de similibus idem seruandum sit ius, fit, quòd prohibitio, quæ facta est à iure, ne fiat noua constitutio sedis Episcopalis, nec eius diuisio, nec subiectio absque facultate Papæ, vt patet ex c. *foelix.* 16. q. 1. & c. *locorum* de consecratione d. 1. & tradit Syluest, verbo (casus) casu. 9. & 10. accōmodari debeat & extēdi ad erectionem, diuisionem, & vnionem Prouinciarum Religiosorum. In qua re consulēda sunt propria vniuscuiusque ordinis priuilegia.

Cap. *foelix.*
16. q. 1. cap.
locorū de cō-
secrat. di. 1.
Syluester.

Quarto & vltimo circa desertionem monasteriorum dicendum est, attento iuris rigore, non posse Prælatos ordinum Mendicantium deserere conuentus iam in suo ordine erectos sine licentia Papæ. Ita expressè habetur dicto c. *unico* de excessibus prælatorum in. 6. Habent tamen Mendicantes à summis Pontificibus impetrata priuilegia, vt, absque noua licentia sedis Apostolicæ, possint proprias domos, cū expedire viderint, derelinquere. Sic Sixtus III. concessit Generali Minorum, vt habetur in compendio verbo (ædificare,) & Sixtus V. nostræ reformationi, vt ea loca, quæ fratribus suis minus commoda esse cognouerit, possit dimittere in manibus Ordinariorum, illa licitè de-

serendo, prout eis visum fuerit expedire.

Syluester.

Vbi nota, Prouincialem, imo nec totam Prouinciam sine licentia prædicti Generalis id posse facere, aliàs incurreret excommunicationem contra religiosos, priorum locorum desertores latam, cuius meminit Syluester verbo (casu] casu. 8. & verbo (excommunicatio) 8. §. 20. Et hæc de de sertione, translatione, ac erectione locorum dicta sufficiant.

Cap. III. De cellis Fratrum.

TEXTVS.

Camandulæ.
Constit. &
Carthus. ca.
14. reg. Mo
nachor. c. 2.
In nulla Re
lig. reg. fini
le statutum
de eremitica
vita reperi-
tur.



Ræterea iuxta situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas, sicut per dispositionem Prioris ipsius, & de assensu aliorum fratrum, eadem cellulae cuique fuerint assignatae.

Glossa. III.

De assensu
fratrum requi-
rendo Basil.
& Bened. vt
in c. præced.

Præcedenti capite postquam à Regula de situ loci recipiendi dictum est, iam ab hoc c. de dispositione, & forma conuentus incipit agere. Circa quod duo in illo connotantur, siue præcipiuntur. Alterum est, vt eremitarum cellulae adinuicem separentur, & vnusquisque sibi designatam singulariter habitet: alterum verò, vt hæc cellula vni cuique de Prioris, & aliorum fratrum consensu designetur.

Circa primam huius. c. partem recolendū est, quòd olim, vt ex ijs, quæ in regulæ introductione adducebamus constat, Religiosorum habitacula potius eremiticam, quam cœnobiticam conuersationem, imitabantur: & sic ad illius vitæ & conuersationis normam fratrum tabernacula ædificabantur. Quare tunc nō intra cœnobij claustra Religiosi contine-

continebantur, sed intra alicuius magni spatij terminos, diffunditas, ac separatas cellulas sub vnus tamē Prioris obedientia incolebant. Et sic sensus prioris partis huius capituli patet, dum inquit, Præterea iuxta situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas. Hoc est vt secundum capacitatem loci cellulae distent inter se. Vel sensus sit: iuxta situm loci, id est, prope locum, quem inhabitare proposueritis, & non longè ab eo, vt antea fieri solebat,) cellulae adinuicem separentur, & solitariè, siue sigillatim ab vno quoque habitentur. Notandum præterea est, quòd non solum præcipit regula, singulos singulas habere cellulas, sicut nunc inter nos, & ferè multis alijs Religionibus seruatur: sed addit, separatas, ita, vt & vnusquisque solus in cellula viuat, & in super cellula quæque aliqua distantia loci ab altera separetur, vt nunc in nostris eremi domibus, & apud Camandulenses consuetudine, & vsu receptum est.

Huius igitur statuti eam rationem veram & fundamentalem reddimus, quia, cum ferè omnis nostra institutio ad cõtemplationem dirigatur, & tendat: ea media, quæ ad hoc propositum magis conferunt, à Regula commendantur. Medium autem potissimum est solitudinis quies, quæ in nullo alio, quàm in separatione ab aliorum cohabitatione, & consortio sita est. Et præterquam quòd ratio id manifestat, & ex his, quæ in superioribus tradidimus conuincitur, id expresse de nostra regula tractans tradit noster *Vvaldensis* de sacramentalibus titulo. 9. capitulo. 76. In *Carmelitarum* (inquit) *Regula singuli habent cellulas separatas. Hoc autem ordinatum est propter orationes clandestinas. Vnde in Epistolâ ad Eustochium, de monachorum conuersatione loquens Hieronymus, sic ait. Et quia nocte, extra orationes publicas, in suo cubili vnusquisque vigilat, circumueunt cellulas singulorum, & aure posita, quid faciant diligenter explorant. Antiquior igitur vsus hoc habet in vsu, quod habet modo, iuxta quem habuit Christus in vsu solus orare, vt ex illo Matthæi constat, vbi dimissis discipulis secessit solus orare. In quẽ*

locum Chrysostomus Homil. 83. ad populum. Hoc enim (ait) faciebat, erudiens nos in orationibus quietem construere nobis metipsis in solitudine multa. Hucusque Vvaldensis.

Ex hac igitur prima capitis parte duo inferenda sunt: alterum, vt omnes solitariè absque vlla societate in designata sibi cellula habitent: alterum verò, cellulas adinuicem separatas, & loco distantes construendas esse: ita, vt cellulae quoque solitariæ, & singulares sint ad eam normam, & modum, quem Camandulenses seruare diximus.

Quæret tamen aliquis, quæ sit causa, cur nos hunc Regulae articulum ad vnguem non seruemus? Respondetur, id ita fortè contingere, quia forsan in hac parte (imò & id valde probabiliter apparet) antiquitus correctæ regula fuit. Et licet id nobis expresso testimonio non constet: ex eo tamen conijci potest, quòd quando ab Eugenio III. Hæc Regula fuit mitigata, inter alia, quæ summus Ecclesiæ Pastor tunc temperauit, illud potissimum fuit, vt fratres extra suas cellulas per monasterij claustra deambulare liberè possent. Ex quo non obscurè inferitur, iam tunc antiquam illam Eremitarum viuendi normam ad communem cœnobiticam siue claustralem vitam redactam fuisse.

Circa secundam verò huius capitis partem, nempe, quòd Prior de aliorum fratrum assensu vnicuique suam cellulam designet, maximè expendendum est, quanta cura & studio Maiores nostri ea, quæ spiritualem fratrum & Religionis profectum concernebant soliti sint examinare, vt in vna cellula assignanda, non solum Prioris, sed & aliorum fratrum assensus expectaretur. Quod non sine admirabili & diuino illorum seniorum consilio factum esse existimemus. Sciebantur enim ipsi, quantum ex sinistra vicinitate aut confortio detrimenti vnicuique, etiam optimo Athletæ, prouenire poterat. Et ideo, inspecta vniuscuiusque complexione, ac spiritali profectu, aliisque pensatis circumstantijs, (quod maturius fit multorum, quam vnius consilio,) cuique cellula propria arbitrio tam Prioris, quam fratrum designabat. Et insuper hoc ea causa fuisse sancitum credamus: vt inspectis ætatibus & necessitatibus, senioribus & infirmioribus

bus commodior cellula concederetur. Obiter tamen sciendum est, quòd, cum iam hic separatim viuendi modus cessauerit, etiam cessat hoc regulæ decretum, saltem quantum ad illam partem, quòd Prior in concedendis cellulis teneatur aliorum consensum requirere.

Vltimo tandem circa hoc cap. illud occurrit addendum, in regula nostra tam in hoc cap. quam in alijs, dum habitationis fratrum mentio fit, eam cellularum potius, quam cellarum nomine appellari: vt insinuetur, habitacula arcta & stricta, parū exulta & expolita, & ex consequenti pauperima ac simplicissima fuisse, & demum talis conditionis, vt non cellæ nomen, sed cellulæ tantum sibi possent vindicare. Huius enim altissimæ Regulæ professoribus non congruere sumptuosa, aut magnifica domorum, aut cellularum constructio, nostroque paupertatis, humilitatis, ac simplicitatis instituto minimè conuenire dignoscitur. Nam ædificiorum superfluitatem nobis reprehēdit Bernardus, in Epistola ad fratres de monte Dei (si verum est id, quod Paleonidorus noster docuit, epistolam illam Diui Bernardi ad fratres de monte Dei, fuisse ad Carmelitas, qui tunc eo in monte degebant, rescriptam: quamuis contrarium verius existimem: constat enim ex ipso epistolæ contextu, eam ad Charthusienses, quibus tunc familiariter utebatur Bernardus, fuisse missam.) Siue ergo nostri ordinis fratribus, siue alijs quibusuis missa sit: eius tamen doctrina Religiosis omnibus quadrat. *Iam* (inquit ille) *de ære alieno subintravit sumptuosa, & quantum pudor finit, ambitiosa cellularum ædificatio: & abiecta sancta simplicitate, & rusticitate, quasi religiosas quasdam nobis creamus habitationum honestates, dimissam nobis à Patribus nostris iure hereditario formam paupertatis, & sanctæ simplicitatis speciem, & verum decorem Dei alienantes à nobis &c.* Et paucis interiectis, vbi admonet, vt vnusquisque sibi propriam cellulam ædificet, addit: *Ergo obsecro in peregrinatione huius sæculi, in militia hac super terram, ædificemus nobis non domos ad habitandum, sed tabernacula ad deserendum, vt pote citò inde vocandi & migraturi in pa-*

Paleonidor.

D. Bernard.

*triam. Et infra. Credite fratres, quia pulchritudines ista, & fo-
rense honestates cito virile propositum enervant, & masculi-
num animum effoeminant. Idcirco Patres nostri in Aegypto
& Thebaida, sancta huius vitae ardentissimi amulatores, in so-
litudinibus degentes, sibi cellulas edificabant, in quibus lecti*

tantummodò & circumsepti à turbine & à pluvia tutabantur.
De comm. Re-
fett. Aug. c.
8. Reg. Be-
ned. c. 39. 40.
& 41. Pac-
chom. in Re-
gul. sibi ab
Angelis tra-
dita nu. 11.
vsque ad. 18
& Reg. socie-
tat. 3. p. con-
stit. c. 1. n. 5.
Regul. mo-
nacho. c. 2.
Monachar.
c. 35. statut.
Carthus. c.
9.

*Delectio. in
mensa cōcor-
dat Aug. c.
8. & Bened.
c. 38. Basil.
in breuior.
Reg. 180. &
Reg. societ.
vt sup. statu-
ta Carthus.*

*cap. 9. Reg.
Monacharū
c. 37.*

Cap. IIII. De communi refectiōe.

TEXTVS.



Ta tamen, quod in communi Refectorio ea, quæ vobis cro-
gata fuerint, communiter aliquam
lectionem sacrae scripturae audiē-
do, vbi commodè poterit obser-
uari, sumatis. Nec liceat alicui fratrum (nisi
de licentia Prioris, qui pro tempore fuerit)
deputatum sibi locum mutare, vel cum alio
permutare.

Clossa. IIII.

HÆc regulæ pars, siue articulus vno cōtextu cum præ-
cedenti legendus est, illi enim annectitur, & iūgitur:
& ita eius interpretatio ex anteriori cap. desumenda
est. In capite igitur antecedēti, vt vidimus, singulos fratres
singulas habere cellulas præceptum erat: hæc tamen distin-
cta cellularum habitatio ita statuitur, vt ad commune Refe-
ctorium

etorium omnes simul conuenire teneantur. Vnde verba posita in initio huius capituli, scilicet, *Ita tamen, quod in communi Refectorio, & sive sumatis, legenda sunt per modum Parêtesis: & subsequencia verba, nempe, Nec liceat alicui Fratrum, &c.* continuanda sunt cum vltimis verbis præteriti capituli. Et sic sensus vtriusque capituli erit, quod Religiosi, sicut per assensum Prioris eis fuerint cellulae assignatae, singulariter separatas inhabitent cellulas: (ita tamen, quod in communi refectorio omnes iungantur:) nec alicui liceat (sine eiusdem Prioris placito) deputatam sibi mutare vel permutare mansionem. Quo præmissis fundamentis, ad maiorem huius. c. explanationem accedamus.

Ita tamen, quod in communi Refectorio, ea, quae vobis erogata fuerint, communiter sumatis. Olim in Regula Alberti communis mensa Anachoretis nostris omnino erat interdicta, ut patet ex illis verbis: *Ita tamen, ut in deputatis cellulis singuli maneant, & ex his, quae sibi distributa fuerint, singulariter vianant.* Innocentius vero præcauens incommoda, quae in futurum ex hac tam singulari vita possent oriri, vel forte quia iam fratres tam arctam vitae eremiticae semitam, tepescente spiritus feruore, perficere non sufficiebant, prædictis verbis commune refectorium indixit. Quibus tria præcipue commendantur. Primum, nequis aliquid extra Refectorium comedat: sed id tantum fiat in Refectorio communi Monasterij omnibus ad id deputato. Secundum, quod omnes simul tempore comestionis conueniant: id enim exprimitur illo verbo (*communiter.*) Nam non solum dicit, ut in communi Refectorio cibaria sumantur, sed insuper consultò additur (*communiter,*) ut denotetur communis omnium & simultanea mensa. Tertium, quod in Refectorio peculiaris cibus extra id, quod communiter omnibus erogatur, à nemine vel sumatur vel postuletur: quod colligitur ex illis verbis, *Ea, quae vobis erogata fuerint, communiter sumatis.* Quae tria communem mensam constituunt: ad quam maxime spectat, ut omnes simul illic assistant, & eisdem & communibus reficiantur cibis. Quae omnia, quia non parum ad communem vitam, & ex consequenti ad perfectam Religionis obseruantiam conducunt, Patrum testimonijs, & ratione

ipsa confirmanda, & ornanda erunt.

Synod. Oxo
nensis.

Cassianus.

Primum, ne quis Religiosorum aliquid extra Refectoriū comedat, præcipitur in quodam decreto Oxonensis Concilij numero 45. vbi sic decernitur. *Quoniam inter alia vitia, impetus gula viros Religiosos præcipuè non mediocriter infestat: decernimus, vt nec Monachi, nec Canonici Regulares, nisi statutis locis (scilicet in Refectorio) & horis comedant aut bibant. Et insuper addit. Siquis verò sitiuerit, impetrata licentia, Refectoriū regulariter intret: vt sic necessitati subueniat.* Idem docet Cassianus libro 4. institut. cap. 18. summa diligentia seruari apud Ægypti Monachos. *Antequā (inquit) vel postquam legitimam refectionem percipiant, summa cautione seruetur, ne extra mensam quicquam cibi penitus ori suo quisquam indulgere præsumat: vt incedentibus per hortos & pomaria, cum passim blandeque per arbores poma pendentia, non solum se obijciant peccatoribus transeuntium, verum etiam strata per terram conculcanda pedibus se offerant, sacrilegiū ducatur, non solum quicquam ex eis degustare, verum etiam manu contingere, absque eo, quod palam cunctis in communi se reficientibus exhibetur.* Idem quoque Cassianus cap. 16. eiusdem libri inter monachos illos, extraordinariam ac furtiuam cibi refectionem plagis emendari, & purgari testatur. Vnde inter alia, quæ monachus ad perfectionem festinans, obseruare debet, illud potissimum hic sanctus commendat, vt non potus quicquam, non esus vlla voluptate deuietus, ante stationem legitimam communemque refectionis horam, extra mensam percipere sibi met prorsus indulgeat. Sed, nec refectioe transacta, ex his præsumere sibi quantumcumque permittat. Huic obseruationi Sanctus etiam

D. Benedic.

Benedictus in sua regula cap. 43. subscripsit, dum præcipit, ne quisquam præsumat, ante statutam horam vel postea quicquam cibi vel potus percipere. Rectè igitur nostra Regula, Patrum sanctionibus adhærēs, statuit, vt in communi refectorio ea, quæ religiosis erogata fuerint, sumantur. Quod insuper & constitutionibus ordinis roboratum, & confirmatum, in prima earum parte c. 5. reperies.

Secundum

Secundum vero, quod omnes tempore comestionis conueniant, ita, vt nullus à communi mensa, & refectione deficiat: & insuper, quod peculiaris portio, siue pietantia, præter id, quod omnibus erogatur, nemini sit conferenda, ratio vitæ communis id maximè postulare videtur. Nam vitæ cõmunis æqualitas potissimùm in communi mensa relucet, quæ minimè seruari poterit, si plures diuersis locis sternantur mensæ, ac proinde non simul eodẽq; loco religiosi reficiantur. Quare magna est in monasterijs abusio, grauisque & non contemnenda transgressio, si plures partiales mensæ parentur, aut alijs, quàm communibus, in eadem cibus quis reficiatur. Per hæc enim destruitur & corrumpitur, aut certè magna ex parte debilitatur præcipuum Religionis fundamentum, in communi vita consistens. Et ideo hanc communem, & æqualem vitam, omnes Religionum fundatores passim clamant, dicentes, *Sint vobis omnia communia*. Communia autem esse non possunt, quæ diuisa, & propria facta sunt, ac non æquè omnibus impertiuntur. Ex quo & innumera mala, plus quàm dici queat, in Religionibus resultant. In primis enim, ex eo, quod non omnes simul conueniant, magna præbetur Religiosis occasio, vt alijs à communitate vtantur ferculis, & ea auidè procurantes, proprietarij tandem euadant. Similiter monasteriorũ ministri his partialibus ac distinctis mensis valdè grauantur. Fit etiam, & non rarò, vt abstinentiæ quoque termini facillè contemnantur, ac silentium in Refectorio, & aliæ Religionum à Maioribus inductæ consuetudines relaxentur: & denique ex priuatis & separatis Religiosorum refectionibus multa, & magna ac periculosa vitia oriuntur, vt rectè annotauit Carthusianus de reformatione claustr. articulo. 18. his verbis: *Ingurgitatio, siue loquacitas, dissolutio, saturitas, delectatio sensualis, consolatio carnalis, ex quibus sequitur concupiscentia, & inflammatio corporis, fastidium diuinorum, somnolentia, scurrilitas, leuitas, perditio temporis, infructuosa atque indevota & negligens diuini operis persolutio.*

Dion. Cart.

Ob dicta incommoda (etsi quæ sunt alia, & erunt non pauca) tam sacra concilia, quàm religionum Patres has peculiare

- culiaries mensas, & priuilegiatas ac singulares portiones in suis monasterijs detestantur, & communem refectionem districtè præcipiunt. In primis, vetus quoddam Concilium Colonienſe, titulo de monachis, & eorum conuerſione & vita, sic ait: *Statuimus, quod omnes monachi in cõmuni reſectorio comedant, niſi infirmitas vel alia legitima cauſa excuſet.* Idem habetur in Concilio Maguntino, anno Domini 813. celebrato. cap. 9. cuius titul. eſt, *De regulari obſeruantia Canoniorum. Simul* (inquit) *manducent & dormiant: vbi his id faciendi facultas ſuppetit.* Et Concilium Oxonenſe numero. 48. circa Canoniorum Regularium Reſectorium cõmune ſic ſtatuit. *Et in vno Reſectorio ſimul edent: nec perſe cuiſlibet, ſed communiter omnibus victualia præparentur.* & numero. 42. prædixerat. *Omnem ſingularitatem interdici-mus in reſectorio, vt cibus aliter vni, quàm alteri præparetur: ſed qui præeſt videat, vt, ſcilicet, interdum alia præparentur de quibus aliorum debilitas vel infirmitas valeat releuari.*
- Conc. Colo.*
- Conc. Mag.*
- Conc. Oxo.*
- Cõc. Camer.* Hoc etiã admonet Conc. Cameracẽſe, titulo de monaſterijs c. 3. & 4. his verbis. *Quia menſæ communio Charitatis vni-onem designat, & à patribus antiquis ſtatutũ obſeruatumque fuerit in bene moratis cœnobijs, vt omnes eodem loco cibum ſimul caperent, ſtatuit ſancta Synodus, vt ſuperiores ſeuerè prohibeant priuatas menſas, coganturque omnes, qui legitimè non fuerint impediti, ad vnum conuenire Reſectorium, communis Reſectionis gratia.* Et denique Synodus Prouincialis Hidrũtina, titulo de monaſterijs capitulo. 4. id quoque decernit. *Priuata inquit menſæ prohibeantur cogantque ſuperiores, omnes, qui legitimè non fuerint impediti, ad vnum conuenire Reſectorium, in eodem loco, eademque menſa cibum capere: cum menſæ communio charitatis vni-onem designet.*
- Synod. Hid.*
- Chryſoſtom.* Præterea S. Ioannes Chryſoſtomus, homilia. 58. ad populum, ſui temporis monachos his & alijs verbis commen-dat. *Vna* (inquit) *menſa & miniſterium ſuſcipientibus, & exhibentibus, eadem feracula, eadem indumenta, habitacula eadẽ,*
eadem

eadem vita, &c. Hanc vero communem mensam in suis monasterijs seruandam supponit. Diuus Augustinus, cum in sua Regula, cap. 8. ait. *Dum acceditis ad mensam, &c.* Idem euidenter colligitur ex Casiano libro. 4. capit. 18. superius relato. Basilii quoque in regulis breuioribus, interrogatione. 136 maximo rigore præcipit communem refectorem. Inquit enim prædicta interrogatione hoc modo, *Num neccessè est omnes hora prandij congregari? & eum, qui reliquerit ac post prandium venerit, quomodo tractabimus?* Respondet idem Basilii, *Si, cum venire potuisset, non festinauit, veluti qui negligentia crimen incurrit, impransus maneat vsque ad horam constitutam sequentis diei.* Hæc Basilii. Qui etiam in interrogatione. 131. valde eos reprehendit, qui cibos communis, quibus cæteri monachi refici solent, stomachantur, ac fastidiunt, & alios deliciares quærunt. Accedat denique Archipater Monachorum Benedictus, qui cap. 43. suæ Regulæ ita circa commune refectorium scriptum reliquit: *Ad horam verò refectiois qui ante versum non occurrerit, vt simul omnes dicant versum, & orent, & sub vno omnes accedant ad mensam: qui per negligentiam suam aut vitium non occurrerit vsque ad secundam vicem, pro hoc corripatur: si denuò non emendauerit, non admittatur ad mensæ communis participationem: sed sequestratus à consortio cæterorum, reficiatur solus, sublata ei portione vini vsque ad emendationem.* Idem etiam supplicium contra discedentes à communi mensa ante gratiarum actionem eodem capite decernit.

Casianus.
Basilii.

D. Benedictus.

In hac tamen communis refectiois regula nolumus legitime impeditos, aut infirmitate oppressos comprehendere: nam & illi occupatione legitima à communi refectiois hora excusantur, his verò propter ægritudinem, neque ad communem mensam accedere, neque eisdem cum alijs vti cibis permissum est. De his nec Concilia, nec Patres loquuntur: imo expresse eos à prædicta generali regula excipiunt. Vnde Basilii dicta interrogatione. 136. *Eos (ait) qui, ob ægritudinem aliquam vel aliam necessitatem, alijs ci-*

D. Basilii.

bis

Benedictus.
Augustinus

bis vtuntur, & scriptura sacra, in qua legimus Act. 4. distribuebatur unicuique prout opus habebat, saluat. Videndi etiam erunt idem Basilius dicta interrogatione 131. Benedictus cap. 34. & 37. suæ Regulæ, Augustinus cap. 8. suæ regulæ. Qui omnes nuper adducto scripturæ testimonio, ita volunt in suis monasterijs omnia esse communia, vt tamen unicuique, iuxta propriam necessitatem & indigentiam, distributio fiat: quod & in nostra Regula, eadem cautione, infra c. de non habendo proprium, commendatur.

Basili.

Vnde eos tantum communis mensæ obseruatores esse Patres voluerunt, qui nec obedientia tunc sint occupati, nec morbo aliquo grauati. Cōtra hos enim, qui optima corporis valetudine præstant, si alia, præter communia condimenta, requirant: aut communia, quia vilia vel fortè suo palato insipida, reijciant: aut ob aliam rationem de appositis cibis murmurent aut contristentur, acriter sancto Religionis zelo & feruore præfati Patres insurgunt. Diuus Basilius, vt supra interrogatione 132. *Quid dicit (ait) nocet mihi hoc, & contristatur, si aliud datum non fuerit, quid est? Responso apparet, quod non nouit dilectionem eius, cui omnium, & ipsius cura concredita est. In summa autem, neque de nocente, neque de adiuuante cibo aliquis sibi ipsi probarionem permittere debet, sed prælato ad probandum quod unicuique vtile est, qui principaliter vtilitatem animæ requirit: atque ita secundaria ratione, ea, quæ ad corporis vsum necessarium pertinent, dispensat. Et immediatè interrogatione. 133. addit. Si verò murmurauerit propter cibum? Respondeo. Iudicium eorum, qui in deserto murmurauerunt habet. Dicit enim Apostolus. Nolite murmurare, quemadmodum quidam illorum murmurauerunt, & interempti sunt ab exterminatore. Quibus accedit Bernardus, qui serm. 30. in Cantica prope fin. molles ac delicatos monachos his verbis carpit. Qui voluerit (inquit) animam suam saluam facere, perdet eam. Quid hic vos dicitis, obseruatores ciborum, morum neglectores? Hippocrates & sequaces eius docent, animas suas saluas facere in hoc mun-*

Bernardus.

do:

do: Christus & eius discipuli, perdere, Quem nam res è duobus sequi magistrum eligitis? At manifestum se facit, qui sic disputat: hoc oculis, hoc capiti, & illud pectori, vel stomacho nocet. Profecto quòd vnusquisque à suo Magistro didicit, hoc in medium profert. Caro & sanguis reuelauit tibi hanc sapientiam, non spiritus Patris. Et infra. Epicurus atque Hippocrates, corporis alter voluptatem, alter bonam habitudinem profert: meus magister (nempè Christus) vtriusque rei contemptum prædicat. Et paucis interiectis, addit. Quid vero prodest tēpere à voluptatibus, & inuestigandis diuersitatibus complexionum, ciborumque varietatibus exquirendis quotidianam expendere curam? Legumina (inquit) ventosa sunt: Caseus stomachum grauat: lac capiti nocet: potum aquæ non sustinet pectus: caules nutriunt melancoliam, cholera porri accēdunt: pisces de stagno aut de lutosa aqua meæ penitus complexioni non congruunt. Quale est hoc, vt in totis fluuijs, agris, hortis, cellarijsue reperiri vix possit, quod comedas? Puta te, quæso, monachum esse, non medicum: nec de complexionibus iudicandum, sed de professione: parce obsecro primum quieti tuæ: parce dein de labori ministrantium: parce grauamini Domus, scandalizatur enim in tua singularitate frater, iudicās te superstitiosum, tanquam superflua quærentem, aut certè me durum causans, qui non perquiram victui tuo necessaria. Frustra sibi quidam blandiuntur de exemplo Pauli hortantis discipulum non bibere aquam, sed modico vti vino, propter stomachum, & frequētes suas infirmitates. Qui attendere debent primum quidē, Apostolum minimè sibi ipsi rē istius modi suadere: sed nec discipulum æquè exposcere sibi. Deinde non Monacho hoc intimari, sed Episcopo, cuius vita tenera adhuc & pernascenti Ecclesie per necessaria erat. Da mihi alterum Timotheum, & ego cibabo eum (si vis) etiam auro, & potabo balsamo. Ceterum tu tibi metipsi dispensas, misertus tuus: suspecta est mihi, frater,

tui ipsius in te dispensatio, & vereor tibi illudi, sub tegmine
& nomine discretionis, à carnis prudentia. Quibus Bernardus optimè, vt solet, monachorum delicatorem mores depinxit. Sed quod in maiorem me admirationem trahit illud est, quod Patres tantam voluerint huius communis mensæ in suis monasterijs haberi rationem, vt non obscure indicauerint, ad infirmos & valetudinarios fratres, suo modo, extendendam fore, saltem in eo sensu, vt ipsi nihil de cibis sibi necessarijs solliciti sint, neque extraordinaria condimenta plus, quàm status paupertatis exigit, anxie sibi procurarent. Quod clarè colligitur ex Diuo Bernardo, ex vltimis verbis nuper adductis: clarius tamen monet id epistola. 321. ad fratres de Sancto Anastasio. Quod ex Basilio & alijs infra à nobis adducendis in capitulo. 12. manifestius fiet.

Et denique his omnibus de communi mensa allatis tandem accedat, prædicta omnia de communi mensa districtè in nostris constitutionibus præcipi, & districtius forsan à Prælatis & subditis cum Dei adiutorio obseruari. Quod omnes ad Refectorium simul accedant, libro. 1. cap. 5. Constitutionum cauetur. Alterum verò, quòd aliqua singularis pietantia nemini (etiam Generali) apponatur, eodem cap. numero 1. & 3. summo rigore decernitur. Et denique, quod extra Refectorium nihil cibi vel potus assumatur, eodem quoque cap. admonemur.

Benedict. in
Reg. ca. 38.
Aug. c. 8.
Basil. in bre
uiorib. reg.
180. & alij
vt supr. de cõ
mun. Refect.
Cassianus.

Aliquam lectionem sacra scriptura audiendo. Antiquissimus est Religionum mos reficientibus se fratribus sacras aliquas aut deuotas lectiones in Refectorijs recitari: quem morem non de Aegyptiorum typo, sed ex Capadocum Monachorum instituto dimanasse, docet Cassianus libro 4. institutio num cap. 17. Hanc verò lectionem, tum ob spiritualem animæ refectioem, tum (idque præcipue) ob compescendam superfluum, otiosamque inter edendum confabulationem, à Patribus fuisse statutam, ibidem Cassianus ait. Quod autem ob duos prædictos fines sit lectionis inter edendum introductus vsus, ex Concilijs, & Patribus cõprobabimus. Primò synodus Hydruntina titulo de monasterijs capitulo. 4.

Hydrũ. Syn:

Seruato

Servato (inquit) silentio, in communi mensa sacra lectio adhibeatur, ut una cum corpore sumat quoque mens cibum. Et infra. Nulli sermones irreligiosi immisceantur, &c. B. Benedictus in Regul. c. 38. Mensis (ait) fratrum edentium lectio deesse non debet. Summum silentium fiat ad mensam, ut nullius mussitatio vel vox, nisi solius legentis, ibi audiatur. Hieronymus, de virginitate seruanda, Vnaquaque (ait) Monachorum decuria cum suo parente pergat ad mensam: nullus ibi in cibo strepitus est, nemo comedens loquitur. Et D. Augustinus in sua Regula. cap. 8. Cum acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu, & contentionibus audite: ne sola vobis fauces cibum sumant, sed & aures esuriant verbum Dei. Cassianus, ut supra, Apud Aegyptios (ait) tantum silentium exhibetur, ut cum in vnum tanta numerositas fratrum refectiois obrentu conserit, nullus nec mutire quidem audeat, praeter eum, qui sua Decania praest. Tantaque silentij huius disciplina seruatur, ut, cucullis ultra oculorum palpebras demissis, nihil amplius intueantur, quam mensam & appositos cibos: ita, ut quemadmodum vel quantum se reficiat alius, nullus inuicem notet. Ob qua Innocentius III. cap. cum ad monasterium de statu Monachorum praecipit, in Refectorio semper silentium obseruari. Silentij etiam apud Ethnicos tanta obseruantia fuit, ut Persarum, ac Medorum, atque Chaldeorum Regna (ut Origenes refert libro. 3. in Iob. tomo. 2.) & gentes omnes, pariter pusilli & magni, cum manducauerint, non loquantur: cum biberint, non sermocinentur, maximam notam irrationabilitatis hanc esse aestimantes, si manducans quis loquatur, vel bibens concionetur. Idcirco inescis ac potibus os non aperiunt ad loquendum, neque qui ministrant, neque quibus ministratur: sed nutibus omnibus ministrantibus praecipunt, hanc consuetudinem pro mandato a prioribus accipientes, & velut legem hanc cum sollicitudine obseruantes: & qui hanc violauerit, tanquam maxima transgrediens iura torquetur. Huius praeterea in mensa lectionis D. Basilii

D. Benedict.

D. Hierony.

D. August.

Cassianus.

Innoc. III.

Origenes.

Ius in Regulis breuioribus meminit, dū interrogatione iſo
quærit, *Qua animi attentione, & affectione ea debeamus au-
dire, quæ ad mēſam accubantibus nobis leguntur.* *on Reſpdet-
Maiori multò cum delectatione quàm cum quãta aut edimus,
aut bibimus. Idq; , vt appareat, mētē nequaquã diſtrahi ad cor-
poris voluptatē, ſed maiorē ſe in modū in verbis Dñi oblectare.*

Conc. Tolet.
c. pro. venerē
tia d. 44.

*Quod ille faciebat, qui dixit, Dulciora ſuper mel & fauū. Qui
bus omnibus Conc. Tolet. tertiū, vt refertur d. 44. c. pro re
uerētia, meritò adiungi poteſt: vbi de ſacerdotali conuiuio
agens, ſic ait. In conuiuio ſacerdotali, diuinarū ſcripturarū le-
ctio ſemper habeatur: primò, vt non ſolum homo exterior, ſed
etiã interior, Dei verbo paſcatur. Secūdo vt anima diuinæ le-
ctiōni intenta à delectatione ciborū vt cūque trahatur. Tertio,
vñ nocua verba & contentioſa, quæ in conuiujs oriri ſolent,
euitentur. Quibus Conciliū breuiter explicuit rationes, ob
quas à Patribus inter edendum lectio ſacra eſt introducta.*

Sed antequã ab hac cōmuni menſa diſcedamus, non erit
abs re, noſtri ordinis laudabilem, ne dicam neceſſariam con-
ſuetudinem, referre ac commendare ſimul. Præcipitur enim
1. p. conſt. c. 5. in ſi. vt poſt prædium, cœnamve, aut collatio-
nem, omnes fratres in aliquem communē locum conueniē-
tes ibi per vnã horam de rebus ſpiritualibus ſiue honeſtis
confabulentur. Hæc autem confabulatio, ſiue animi quies,
aut recreatio, vt facilius diuturni ordinis labores ſufferan-
tur, ab initio reformationis ſtatuta eſt. Nã ſicut homo cor-
porali quiete ad corporis ſuſtentationem indiget (cōtinuè
enim laborare nemo poteſt:) ita etiam (vt eleganter monet
D. Tho. 2. 2. q. 186. ar. 2.) ex parte animæ, cuius operatio-
nes etiam laborioſæ ſunt (præcipuè ſi contēplationi vacet)
aliqua requie vti neceſſe eſt. Adducitque D. Tho. in huius
confirmationem illud, quod in collationibus Patrū legitur
de B. Ioanne Euangelifta, qui, cū quidam ſcandalizarentur,
videntes, eum cum diſcipulis ludere, mandaffe fertur vni eo-
rum, qui arcum ferebat, vt ſagittam mitteret, quod cum plu-
ries feciſſet, quæſiuit vtrū hoc continuè facere poſſet. Reſ-
pondit, quod ſi hoc cōtinuè facerte, arcus frangeretur. Cui

D. Thom.

Beatus

B. Ioannes subintulit, similiter anima hominis frāgitur, si nūquam à sua intētione relaxetur. Hæc autē animi relaxatio dicitur iucūditas, siue Euthropelia, quæ est virtus cōsistēs in dictis vel factis ludricis, in quibus tantū queritur delectatio animalis, eo tñ sine & intentione, vt postmodū strenuè & viriliter ad spiritualia rediri pōssit. Hūc etiā esse antiquorum monachorū morē, facillē in primis ex D. Hieron. ad Eustochiū colliges: vbi de monachis sui tēporis, postquam de eorū prandendi modo scripsit, sic ait. *Hinc consurgunt, (nēpē à mensa) pariter, & hymno dicto, ad præsepia redeunt: ibi vsque ad vesperā cū suis vnusquisque loquitur, & dicūt. Vidistis illū & illū, quāca in ipso sit gratia? quantū silentiū? quā moderatus incessus? Si infirmū viderint, consolantur: si in Dei amore feruentē, cohortantur ad studiū, &c.* Præterea Cassianus collat. 24. c. 20. loquens de remissione in abstinentia, & ieiunijs. quā Eremitæ in hospitū aduentu charitatis causa seruire consueuerāt, sic inquit. *Licet molesta vobis, ac fugiēda hæc remissio videatur: tñ quā sit utilis ac salubris, tã corpori, quā spiritui vestro patienter attendite. Sæpē accidit, (non dicā Nouitijs, & infirmis, sed etiam expertissimis atque perfectis,) vt nisi mētis eorū directio atque censura quibusdā mollita fuerit vicissitudinū laxamentis: aut in reporem spiritus, aut certe in perniciosam corporis valetudinē collabatur. Et infra, huius interdū necessariæ remissionis causam reddit. Primū (ait,) quia prouocat nos auidius semper solitudinis desiderare secreta: nā quodammodo cursum nostrū dū interpollare creditur: infatigabilē, inq̄que conseruat. Qui, si nullo interdū obice tardaretur, vsque ad finē cōtēdere indefessa pernicitate nō posset. Hæc Cassianus. Cuius sententiæ fundamentū maximē pensandū est: ex eo enim clarē colligitur, nostras interdū remissiones, si debitē assumātur, ad spiritus p̄fectū maximē cōducere. Nā, vt optime Seneca li. 1. de trāquillitate, p̄p̄finē, *Nec in eadē intentione æqualiter retinenda mens est. Et infra. Danda est remissio animis: meliores ac rioresque requieti surgent.**

D. Hierony.

Cassianus.

Seneca.

Ut fertilibus agris non est semper imperandū, cito enim exhauriet illos nunquā intermissa fecunditas: ita animorū impetus assiduus labor frangit: vires recipient paululū resoluti, & remissi. Nascitur ex assiduitate laborū, animorū hebetatio quadam & languor. Legū conditores festos instituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publice cogerētur: tāquā necessariū laboribus interponētes tēperamētū. Et inf. Indulgēdū est animo, dādūque subinde oriū, quod alimēti ac viriū loco sit. Hactenus Seneca.

Hæc tñ hic ideò adducta sūt, quia aliqui, forte sãcto & laudabili Religionis zelo, hãc animi post cõmunē mēfã relaxationē, quã nos Recreationē vocamus, è medo tollere, tāquã omnino spiritū extinguetē, nō parū conati sunt. Quorū in hac re iudiciū nō alienum à veritate videretur, si in his recreationibus notabilis aliquis excessus, ut puta, si verba nocua, si rixæ, nugæ, cõtētiones, vel saltē verba omnino otiosa interuenirēt: aut si aliàs animi grauitas vel religiosa modestia totaliter resolverētur: vel saltē, si secūdū decētiã nr̃æ profelsionis & status, aliã circūstãtiã vel tēporis vel loci nō adessēt. Ob

S. Thom.

Taulerus.

Ludo. Blos.

quæ S. Tho. ut sup. virtutē iucūditatis siue Euthropeliã, in vitiū vertimeritò affirmat. In hoc enim casu similis animi remissio nō parū esset Religioni nocua. Nã, ut refert Taulerus in lib. institut. inter alia, de quibus Chr̃s Dñs apud quendam virū perfectū de suis amicis querebatur. illud etiam erat, q̃ simul cõgregati de rebus vanis vanissimè loquerētur, nec de suo nomine vllã mētionem facerēt. Quare Christus Dñs (Teste Ludou. Blos. in spirituali monili. c. 8.) præscribens B. Brigittæ ac familiæ eius quasi regularē quēdã viuēdi modū cõcēdit, ut post horas silētio, orationi, & alijs spiritualibus exercitijs deputatas, liberius inter se colloquãtur, de honestis tñ, minimeq; Deo cõtrarijs rebus. Imo eidem Brigittæ S. Beatissima virgo Maria in spiritu dixit, Amicos Dei posse quãdoq; seu certo diei tēpore, cõsolationē externã recipere verba tñ ædificatoria proferēdo, & honestè moderateq; se recreãdo, ad honorē, & laudē Dei. Si enim pugnis semper tenetur clausus, cõtrahūtur nerui, & man⁹ debilitatur. Idcirco moderata lætitia propter carnis infirmitatē placet Deo. Vbi cõmodè poterit obseruari. Hęc verba nō ad lectionē scripturę refe-

referenda sunt: sed potius ad id, quod iam dictum est, nempe, quod in communi Refectorio omnes conueniant (ubi commodè id poterit obseruari.) Quod ideo additum est, quia, cum cellulæ aliquæ à communi Refectorio distarent, fortè ob temporis importunitatem & iniuriam, aut ob alias iustas causas, non ita facilis fratribus hora solita ad Refectionem accessus contingeret: & ideo ponitur, (ubi commodè poterit obseruari.) Similia verba inuenies, quoties regula præcipit vt omnes simul conueniant.

Nec liceat alicui fratrum, nisi de licentia Prioris. &c. Hoc intelligendum non est de loco Refectorij, sed potius de cellula vnicuique designata: vt in principio huius capitis adnotauimus. Nam cum ex cap. præcedenti constet, Priorem vnicuique propriam cellulam assignare debere: hoc caput, quod præcedenti annectitur, de hac loci seu cellulæ mutatione apertissimè loquitur proculdubio.

Cap. V. De situ cellula Prioris, & de eius gubernatione circa res Monasterij.

TEXTVS.



Cellula Prioris sit iuxta introitum loci, vt venientibus ad eundem locum primus occurrat: & de arbitrio, & dispositione ipsius post modum quæ agenda sunt, cuncta procedant

De arbitrio, & cū obediētia Prelati omnia in Monasterio peragēda esse, Benedicti. c. 49. & 67. sue Reg. & concord. c. Nullam. 18. q. 2

Clossa. V.

IN duobus capitibus præcedentibus actum est in regula de situ & forma monasterij, de cellis fratrum, & qualiter

unicuique assignanda sit: in hoc cap. in prima eius parte de cellula Prioris Regula tractat, & decernit, eam iuxta vestibulum Monasterij constituendam esse. In secūda verò parte, quasi constituto, & diuiso iam Monasterio, & cellulis ad habitationem, tam Priori, quàm fratribus deputatis: incipit iam de regimine monasterij, & de ijs, quæ in eo obseruanda sunt, determinare: vt patet ex illis verbis, *De arbitrio & dispositione ipsius, quæ agenda sunt, cuncta procedant.*

Cellula Prioris sit iuxta introitum loci. &c. Circa hanc primam capitis partem duo se offerunt potissimum consideranda. Primum est, cellulam Prioris iuxta introitum loci eo fine præcipuè erigendam decerni, vt Prior sæcularibus ad eremi domus accedentibus primus occurrat: & ipse solus cum illis res & negotia tractet: ne cuilibet aduenienti facilis ad fratres pateat accessus, præcauens in hoc, ne fratres à contemplationis quiete, & à dulci orationis somno turbentur. Solent enim sæpissimè aduenientes hospites rumores varios & nouitates perferre: & sic mūdum ipsum in monasterium vtrūque inducunt: Religiososque cogunt, aut certè inuitant, vt rerum mundanarum, quas obliuioni tradiderant, denuo recordentur, & eorum menti imprimantur, quibus speciebus eorum animi depicti & informati, orationis feruorem deuotionemque faciliè remittunt. Quare sanctus Benedictus in sua Regula cautè præcipit, ne hospites nouarū rerum nuntia in monasterium referant. ca. enim 67. suæ regulæ sic ait. *Nec præsumat quisque alijs referre quæcumque foris monasterium viderit, aut audierit: quia plurima destructio est, quod si quis præsupserit, vindictæ Regulari subiaceat.*

Pachomius. Quod & in veteri Pachomij Regula, ei ab Angelo tradita. n. 48. decernitur. *Canendum est autem, ne quis de domo in alteram domum verba trāsferat, nec de monasterio in agrum, nec de monasterio in monasterium.* Et. n. 49. *Siquis ambulauerit in via, vel nauigauerit, non loquatur in monasterio, quæ ibi geri viderit.* Hæc Pachomius, siue potius Angelus Pachomio tradidit. Et forte ob hanc rationem, in admittendis his extraneorum siue sæcularium hominum congressibus aut cōfabulationibus, magnam adhiberi à monachis cautionem,

Basil.

Basiliius voluit, vt late prosequitur ipse in constitutionibus monasticis. c. 6. Basilini.

Secundò certum est, Prælatum non constitui à Regula domus ianitorem tantum enim præcipit, quod eius cellula sit iuxta introitum eremi. Et fortè ideo non dixit iuxta ianuam Monasterij, quia tunc, cum religiosorum habitacula per eremum dispersa essent, non erat aliqua sepe circumclusa: sicut & modo contingit in Camandulensiu eremo. Quare faciliè sæculares illas cellulas, quæ iuxta primum introitum erectæ erant, adire poterant: & ob id decernit Regula, vt ea, quæ Prioris est, in primo loco construatur. Ex quo etiam inferre licet cum nostrarum domorum iam nunc distincta sit forma & dispositio, non teneri Priorè suam habitationem iuxta Monasterij cardinem habere. *Et de arbitrio, & dispositione ipsius postmodum, quæ agenda sunt, cuncta procedant.* Satuit iam ab hoc loco de Prioris potestate, præcipitque, vt omnis Monasterij dispositio & gubernatio ad Priorem deuoluatur, ita, vt omnia eius voluntate & iudicio mensurentur & fiant.

Circa hanc Regulæ partem oportet examinare, an omnia monasterij negotia tantum Prioris arbitrio & consensu peragenda sint, an verò in aliquibus spectandus sit aliorum fratrum, vel saltem maioris partis capituli consensus? In qua dubitatione pro parte affirmatiua, nempe, voluntatem Prioris solam sufficere, expressè militant Regulæ verba nuper adducta. Authoritas igitur Prioris sola sufficit. Nec difficultatem euadet, si quis dicat, in nostra Religione prædictam Prioris potestatem constitutionibus nostris restrictam ac limitatam esse, cauetur enim in. 2. parte earum cap. 5. & 8. ne Prior circa bona conuentus, neque circa alia maioris ponderis, disponat absque interuentu & voto trium Clauariorum, aut in defectu vel discordia istorum, sine maioris partis capituli assensu. Nam nulla constitutio fieri potest Regulæ contraria: vt præcipitur in Bullis Gregorij XIII. Sixti V. & Clementis VIII. Non igitur obstant constitutiones, quominus Prior conuentualis plenaria potestate fungantur.

Secundò, quia de iure communi tota potestas gubernan

di monasterium, tam quo ad temporalia, quam quo ad spiritualia, ad Priorem siue alium quemcumque immediatum Prælatum spectat. Ita expresse docetur in cap. nullam 18. quæstione. 2, vbi Pelagius Papa scriptum reliquit, *De cætero vniuersa, quæ vel ad diuini cultus reuerentiam, vel utilitatem eiusdem Monasterij pertinent, Abbatis sollicitudo (ad quem potestas tota pertinere conuenit) debeat adimplere.* Ex quo loco hanc partem efficaciter probari, docet Nauarrus d. c. nullam. n. 4. & consilio 76. de Regularibus: à quo nullus Canonistarum dissentit.

Cap. Nullam
18. q. 2.

Nauarr.

Dist. c. Nullam.

Nauarrus.

Cap. sine cessatione.
12. q. 2.

ca. Nulli, de rebus eccles.
non alien. c.

Novit. & c.

Quanto, & c.

Ea noscitur, de his, quæ sunt à Prel.

In hac dubitatione primò certum est, iure communi attempto probabilius esse, Abbatem siue Priorem Monasterij perse solum hanc potestatem habere, & exercere posse: ita, vt ipse solus omnia ferè, tam quæ ad personas, quam quæ ad res monasterij spectant, gubernat, & ordinet. Ita expresse habetur in dicto cap. nullam. Dixi (ferè omnia) nam aliqua sunt, quæ, vt pote nimis ardua, solus Prælatus absque consilio & consensu conuentus expedire non potest: qualis est alienatio bonorum Monasterij, quæ capituli consensum prærequirit: alia verò sunt, quæ licet nõ cõsensum capituli, eius tamen consilium desiderant, vt optimè adnotauit Nauarrus in d. c. nullam nu. 11. pro cuius confirmatione adducit cap. sine cessatione. 12. quæst. 2. cap. Nulli de rebus eccles. non alienan. cap. Nouit, & cap. Quãto, & cap. Ea noscitur, de his, qui fiunt à Prælato.

Secundo certum est, iure nouiori, seu (vt clarius loquar) communi omnium ferè Religionum consuetudine, teste Nauarro dict. cons. 76. numero. 1. hanc Prælatorum potestatem maxima ex parte fuisse restrictam, ita, vt bonam partem eorum, quæ ad conuentus regimen spectant, teneantur facere Capituli, aut Consiliariorum, vel Discretorum consilio, siue consensu. Idque expresse in nostris constitutionibus dicta 2. parte cap. 5. notatur. Cauetur enim ibi, vt Prior ex consensu trium Consiliariorum, quos nos Clauarios vocamus, ea, quæ ad regimen conuentus spectant (præcipuè circa bonorum custodiam) expediat: & in casu, quo prædicti Clauarii dissentiant, teneatur Capitulum consulere, & maiorem

& fa-

& saniozem partem sequi. Imo & ea, quæ ardua & maioris ponderis sunt, cum solis Clauarijs determinare non potest: sed conuocare tenetur omnes Patres, vel saniozem partem conuentus consulere, vt ibidem præcipitur. Quare magni illi monachorum Patres Basilius ac Benedictus in suis monasterijs, Abbatibus, vt aliorum fratrum requirant consilia, comendarunt. Basilius enim in breuioribus quæstion. 48. præcipit, vt Abbas seniores monasterij ad consilium ac considerationem de rebus communibus necessario adhibeat, persuasus ab admonitione eius, qui dixit, *Cum consilijs omnia facito*. Hæc Basilius. Et Benedictus capit. 3. suæ Regulæ, *Quoties aliqua (ait) præcipua agenda sunt in monasterio, conuocet Abbas omnem congregationem, & audiens consilium fratrum, tractet apud se prudenter, & quod vtilius iudicauerit, faciat. Ideo autem omnes ad consilium vocari diximus: quia sæpè iuniori Deus reuelat, quod melius est. Et infra. Si quæ verò minora agenda sunt, seniorum tantum vtatur consilio: sicut scriptum est, omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis.* Et hoc est quod in nostra Regula bis aut ter repetitur, quod Prior de assensu aliorum fratrum aliqua expediat. Nec est cur immoremur in inuestigandis vtilitatibus, quæ ex multorum adhibito consilio sequuntur.

D. Basilius.

Benedictus.

Tertio constat, Prioris potestatem, etiam quantum ad electionem aliquorum officiorum monasterij, in nostra Religione esse coarctatam: nã Prior solus Suppriorẽ & Clauarios constituere non potest: sed eorum electio vel ad Prouincialem simul cum ipso, vel ad Conuentum spectat. Alios verò Monasterij officiales ad nutum creare, & amouere potest: in hoc enim eius iurisdicctio diminuta non est. Pertinet etiã ad ipsum vt pote quod ad regimẽ Cõuētus spectat ordinatè ea officia designare, quæ administrationi, tam domus, quam Chori deseruiunt. Et quamuis id Suppriori (ne Prior multis grauetur) commissum sit: proprium tamen munus & iurisdicctio Prioris est. De cuius arbitrio & dispositione, quæ ad optimam Monasterij administrationem conducunt, gerenda sunt. Officia verò minora hebdomadibus singulis

de nouo religiosis iniunguntur, vel iniuncta confirmantur: & sic quolibet Sabbato Tabula communis legitur, qua vnicuique illius hebdomadæ exercendum munus denūciatur.

Quæ maiori ex parte tantum per septimanam in nostra Religione perdurant, vt nemo ab eis excusari vlllo modo possit: idque valde vsitatum fuit apud antiquos monachos.

Cassianus. Nam vt auctor est Cassianus libro. 4. institut. capitulo. 19.

Per cunctam Palestinam, & Messopotamiam, & Cappadociam, ac totum orientem singulis hebdomadibus vicissim fratres ad hæc officia sibi reddenda succedunt, ita, vt, secundum Cœnobij multitudinem, ministrorum quoque munus deputetur.

D. Hierony. Et Hieronymus in Epistola de custodia virginitatis, de monachis sui temporis loquens, *Per singulas (inquit)*

D. Benedic. *hebdomadas vicissim ministrant.* Idque D. Benedictus sapissimè in sua Regula monet: præcipue c. 37. *Fratres (ait) sibi inuicem seruiant: & loquitur, vt ex sequentibus patet, de obsequio per septimanam durante. Huius ministerij, per septimanas vicissim inter Monachos impensi, rationem reddit.*

D. Basilius. D. Basilius serm. 4. vbi postquam docuit, huiusmodi munera & obsequia debere ab omnibus per hebdomadarum circuitum exerceri, rationem assignans, inquit, *Vt humilitatis merces communis sit, & non liceat alicui, ne in bono quidem superare congregationem, & requies ex æquo omnibus contingat: nam partim defatigari partim verò quiescere insensibilem laborem facit.*

Denique attendenda nostra Regula, clarè etiam colligitur, Prioris potestatem esse restrictam, & limitatam, ita, vt ea, quæ grauiora videntur, ex aliorum fratrum consensu disponat. Idque ex eo præcipuè probatur, quia in duobus antecedentibus capitulis (nempe in secundo de receptione locorum, & in alio de cellis fratrum,) Prioris facultas non extenditur sine fratrum assensu, neque ad recipiendas domos, neque ad cellulas deputandas. Qua ergo ratione credi potest, in hoc cap. ita amplam ei concedi facultatem, vt omnia ipse solus gubernet, solus tractet, aut solus perficiat. Certè limitanda sunt huius cap. verba per ea, quæ superius dicta

ita sunt, nempe vt omnia, præcipue si graua sint, cum fratrum consilio disponat : & monasterij regimen exerceat, vt in nostris constitutionibus decernitur. In qua re etiam si Regula obstaret, sufficeret nostræ, & aliarum Religionû in contrarium communis, & recepta consuetudo, auctoritate Pontificum comprobata.

Neque obstât in contrarium adducta. Nam prioris argumenti solutio facilis est, si attendas, tum communi consuetudine, tum nostris constitutionibus à Summis Pontificibus confirmatis, in hac parte regulæ derogari: imo (vt melius dicam) illam exponi & declarari.

Ad secundum similima est responsio: iuri communi derogari contraria Religionum consuetudine rationabili, & vsu recepta.

Ex prædictis autem Regulæ verbis aliud vltimum constatarium elicitur, quod sine Prioris obedientia, & voluntate, nihil siue magnum siue paruum in monasterio agere liceat: id enim clarissimè sonant illa verba, *Et de arbitrio & dispositione ipsius postmodum, quæ agenda sunt, cuncta procedant.* Et quidem in monasterio tam in spiritualibus, quàm in corporalibus, tam in internis, quàm in externis operationibus nihil esse aggrediendum sine præuia Prælati auctoritate ac obedientia, vbique Patres docent. Isidorus enim libro. 2. de officijs cap. 15. Laudans Religiosorum vitam, inter alia sic ait. *Neque aliquid ab eis sine nutu Paternæ iurisdictionis assumitur, & Diuus Benedictus in Regula cap. 49. Ergo cum voluntate Abbatis omnia agenda sunt, & cap. 67. ait. Similiter correctioni Regulari subiaceat, qui aliquid quamuis paruum sine iussione Abbatis facere præsumpserit.* Plura de hoc, eaque huc proposito

D. Isidorus.

D. Benedictus.

aptissima, infra in Epilogo Regulæ, dubitatione secunda, à nobis adducentur.

Cap.

Cap. VI. De mansione in cellulis, & de
iugi, ac continua oratione.

TEXTVS.

De māfione
in cellula 2.
p. statutorū
Cartuf. c.
14. n. 1.

Simile præ-
ceptū de iu-
gi & cōtinua
orat. apud vl
lam Reg. nō
inuenies: cō-

sulit tamen
B. Franc. ca.

10, & Aug.

c. 6. & Hie-

ron. in. Reg.

Monacha. c.

26. & habe-

tur in Reg.

Monachorū

c. 14.



Maneant singuli in cellulis suis,
vel iuxta eas, die ac nocte in le-
ge Domini meditantēs, & in ora-
tionibus vigilantes: nisi alijs iu-
stis occasionibus occupentur.

Glossa. VI.

HVcusque in nostra Regula tantum vel saltem præ-
cipue actū est de Eremi loco, & situ, ac de potestate
Prælati, & dispositione monasterij: iam ab hoc. c. sub
ditorum obligationes, & nostrum institutum, siue scopum
incipit aperire. In primis igitur hoc capite præcipitur, vt
singuli die ac nocte in nostris cellulis maneamus, nisi aliās
ab eis aliqua iusta causa cogamur recedere. Præterea, quod
in eisdem cellulis, die ac nocte, diuinę legis meditationi &
assiduę orationi studeamus. Iuxta hæc igitur duo præcep-
ta, huius capituli commentaria in duas diuidemus partes. In
quarum prima de mansione in cella: in secunda de medita-
tione & oratione, Deo dante, dicemus:

Maneant singuli in cellulis suis, vel iuxta eas, die ac nocte, &c.

Ex his primum collige, non vtcunque præcipi à Regu-
la in cellis manere, sed & præterea consulto addi (singuli) vt
denotetur, vnumquemque singulariter & solum in propria
cellula habitaturum, vt aptius orationi vacet, iuxta ea, quæ
superius c. 3. adnotauimus.

Secundo collige, prædictis verbis denotari & præcipi,
omni tempore in cellula residere: quod significant illa ver-
ba (die ac nocte:) idque nisi alijs iustis occupationibus ab eis
compella-

compellamur exire. Ex quo obiter nota, non quamlibet occasionem siue causam sufficere, sed eam tantum, quam iustam vel obedientiam, vel necessitas, aut alia rationabilis causa reddant.

D V B I V M I.



Vbitabit tamen aliquis primò, an illa verba (*die ac nocte*) referenda sint ad anteriorem capituli partem, scilicet, ad mansionem in cellula, an forte ad secundam, hoc est, ad meditationem, & orationem assiduam? Respondetur, sine dubio prædicta verba ad vtramque capituli partem referri debere: vtrâque enim aperte copulant, & cōnectunt: & ita ad vtramque relata. optimum reddunt sensum nempe, *Maneant die ac nocte in cellulis meditantibus in lege Domini*, ita, vt *die ac nocte* tam ad vnum, quam ad aliud referatur. Et hoc primo constat ex cōmuni consensu & interpretatione Ordinis. Ita enim ab initio ab omnibus receptum est, non solum ad continuam orationem, sed etiam ad perpetuam cellulae obseruationem omnes ex instituto nostro teneri. Præterea, ex ipso Regulæ contextu non obscure decerpitur: nam his verbis, *Maneant singuli in cellulis suis die ac nocte*, quæ est prima huius cap. pars, rectè iunguntur, & correspondēt sequentia verba, *In lege Domini meditantibus, & in orationibus vigilantibus*: ita, vt *die* meditetur, *nocte* verò, in qua vigiliæ præcipue exercetur in orationibus vigilēt. Tū etiã quia prioribus capituli verbis, quasi ipsa materialis clausura præcipit: posterioribus verò modus, quo in cellis manere & exerceri debeant, describitur, nempe *meditando, &c.* Vnde illa determinatio, *die ac nocte*, pariformiter vtrûque respicit, & determinat. Nam in iure receptum est, quod vna determinatio respiciens plura determinabilia, pariformiter ea debeat determinare. Præterea tertio, quia quando hæc regula mitigata fuit, inter causas mitigationis ea præcipue fuit Eugegio IIII. ob oculos posita, quod fratres tenebantur ad orationem, & meditationem cōtinuam: & insuper ad inclusionem cellularum perpetuam, vt patet ex Bulla mitigationis in præfationibus adducta.

D V B I V M II.



Irea illa verba, *iuxta eas*, multos dubitasse vidi, an Religiosus absque superioris permisso & licentia possit extra suam cellulam, prope eam tamen, manere. Cuius dubij negatiuam partem non parum vrget mitigationis Bulla, in qua indulgetur, vt possint fratres liberè & licite exire ad claustra. Ergo id non erat antea ex vi Regulæ permillum : & ex conlequenti neque hoc tempore, quo nos regulæ puritatem, & primitiuum rigore in hoc obseruamus.

Secundo pro hac eadem parte facit: quia cum olim diuersa esset Monasteriorum dispositio & situs, vt constat ex. c. 2. & 3. ita, vt cellulæ adinuicè distantes, & separatæ essent: oportebat tunc, vt fratres extra proprias cellulas per aliquod spacium, parum ab eis distans, possent exire & deambulare. Hoc enim maximè ad orationem & contemplationem illos sæpè iuaret. At nunc alia est Monasterij forma, & dispositio, cum omnes cellæ simul in vno dormitorio iungantur, & sic qui antea Eremum, nunc cœnobium colant. Quare, cum immutata sit Monasterij forma, non mirum, imo necesse est, vt & ius & regula in hoc etiam immutetur. Ita enim superius sumus Philosophati de cellula Prioris. Et confirmatur, quia hæc licentia propè cellulas exeundi, modò, supposita cœnobiali disciplina, contra regulæ intentionem pugnare videtur, nam certe si vnicuique liberè licet iuxta cellulam manere, facilè inutilibus confabulationibus ansam alijs præbebit: & sic finis Regulæ aut extinguetur, aut valdè imminuetur, cum fermè impossibile sit in multiloquio orationem conseruari.

Confirmatur secundo, quia ferè omnes Prælati, præcipuè timorati, subditos cū extra cellulam vagantes conspiciunt, eos increpare solent, & ad cellas redire præcipiunt: neque in hoc Prælati animaduertunt, an subditi prope an longe sint à cellulis, neque vnquam subditi ibi neque alibi excusantur: quæ à posteriori magna est coniectura, prædictam
Regulæ

Regulæ exceptionem siue indulgentiam iam inter nos ex communi interpretatione cessasse.

Ultimò, si Religiosi possent prope cellulam existere, & omnibus hoc permissum foret, & ita de facto fieret, vt omnes in dormitorio extra cellulas manerent, aut per alia monasterij loca deambulant: quid in Religione nostra absurdus fingi aut excogitari posset? Manifestò ergò constat, dictam limitationem nunc, sine magna Religionis deformitate, & relaxationis periculo, locum habere non posse.

Pro parte vero affirmatiua in primis vrgent ipsius Regulæ clara & indubitabilia verba, à quibus minime licet recedere. Secundo, quia etiam aliqui Prælati, viri pij, & prudentes, non multum in hoc existunt scrupulosi. Tertio, quia in 1. par. constitut. cap. 7. ita dicitur: *Vt melius seruetur regula nostra, quæ præcipit, fratres nostros manere in cellulis vel iuxta eas, præcipimus, &c.* Ergo Capitulum Generale, in quo ea constitutio edita fuit, eam Regulæ limitationem admittit & approbat.

In hac dubitatione, quæ non parui ponderis videtur, illud in primis constituo, Religiosos non posse absque necessitate ad claustra pergere, aut per ea deambulare. Ita euidenter colligitur ex prima ratione pro contraria parte adducta, aliàs enim nos Regulam in hac parte mitigatam seruaremus. Nam si ambulare per claustra relaxatio Regulæ est, non potest id nobis sine relaxatione licere. Et idem sentiendū est de deambulatione & progressu ad monasterij hortos: id enim sine superioris licentia minime fieri potest, quia hoc non est iuxta cellulam, sed longe ab illa discedere. Prætereà, quia si nobis licet libere hortos adire, cur etiam non licet ad quæcumque alia Monasterij loca pergere, & per omnia vagari? cum frequenter horti magis à cellula, quàm alia loca, distent. Vnde ad omnia, quæ intra Monasterij ambitum continentur, accessus non prohibebitur. Quid igitur est quod Regula præcipit? an, ne exeamus per plateas & vicos sine licentia? Optima certe erit cellulæ clausura, si per totum monasterium, aut per maiorem eius partem licet discurrere. Quare, aut dicendum est, nos non teneri aliqua strictiori obligatione ad manendum in cellulis, quàm cæteris

cæteros Religiosos, aut restringenda est hæc facultas à cellula exeundi eo modo quo dixi, nempe, vt non liceat claustra hortos, aut alia Monasterij loca adire, nec per ea sine licentia discurrere.

Secundo, mihi valde probabile videtur, posse nos aliquando iuxtà cellulæ ianuam exire, & prope eam manere, dummodò alia incommoda non sequantur, quale erit, si omnes cellulæ simul essent in vno dormitorio: nam tunc turpe esset & valde irreligiosum, si omnes vel aliqui iuxta proprias cellulas considerent. Vbi verò prædictum inconueniens cessat, vel aliud simile, (scilicet, quando Prælati ob alias iustas rationes iuxta cellulas esse prohiberet,) possunt licite Religiosi in mediocri distantia extra cellam, vel ad fruendum sole, vel ad commodius studendum, vel ob aliam rationabilem causam egredi.

Neque contra hanc resolutionem vtriusque partis argumenta obstant. Nam ad primum pro parte negatiua nos libere fatemur, non esse licitum ambulare per claustra, vel ad alia loca similia exire. Ad secundum Respondetur, quòd etsi mutata sit domorum dispositio, seruari tamen debet Regula in eo, quòd commode potest, præcipue quando nullum incommodum sequitur.

Ad confirmationem Respondetur, quòd in casu, quo Regularis disciplina & silentij custodia periclitetur, tunc iusta est causa, vt Prælati possit & debeat huiusmodi egressus impedire.

Ad secundam confirmationem respondetur, Prælatos iustè præcipere id, quando prædicta experiantur incommoda.

Ad vltimum iam dictum est, quòd (licet in dormitorio confidere inconueniens sit) tamen quando cellula non est in dormitorio, tunc prædictum inconueniens cessat: imò quando dormitorio esset prope aliquod solarium, recte possent eo accedere, si non esset periculum confabulandi, aut alias commiscendi inutiles contentiones.

Ad ea verò, quæ pro parte affirmatiua obijciuntur, Respondeo ad primum, quòd Regula intelligenda est quando nullum sequitur inconueniens: & sic pij Prælati id absque scrupulo

scrupulo permittunt. Et sic patet ad secundum, & tertium, quod constitutio ordinis non est contra nostram sententiam. Nam nos etiam concedimus, eam indulgentiam non esse ablatam, sed potius nunc permanere, ea tamen moderatione, qua supra dicto. c. 1. & 2. explicata est.

Ex his inferitur verus intellectus, & genuina & litteralis expositio prioris partis huius capituli. Ultra vero progredi & inquirere libet causam, ob quam à Regula tam stricta cellulæ clausura præcipiatur. Et ideo sit tertium dubium.

D V B I V M III.

Quæ sit ratio, cur in nostra Regula ita strictè cellulæ custodia præcipiatur.



In hoc dubio præmittenda sunt ea, quæ de iugi cellulæ habitatione Patres docent, ut ex his clausuræ fructus unicuique pateat: simul que animadvertendum, quantum & nostra institutio, antiquorum Monachorum, seu (ut verè loquamur) Maiorum nostrorum vivendi ritui similis sit. Deinde in secunda huius dubij parte rationem & causas colligemus, ob quas nobis tanto operè cellulæ custodia commendetur.

Quantum ad primam Ægyptijs Monachis (quos nos non immerito, ut Patres, & maiores colimus) ex *Cassiano*, qui eorum instituta expertus, ea optime novit, constat, magnam die ac nocte in suis cellulis immobiliter perseverandi fuisse curam. Nam, ut hic li. 2. inst. c. 15. scribit, *Nullus audet & quidè per totum diei spacium è cella sua progredi, aut deserere opus in ea solitus exercere: Nisi fortè cum fuerint ad officium necessarium cuiuscumque operis evocati.* Et lib. 4. c. 10. docet, eos sine licentiâ minime è cella progredi audere. Et insuper. 16. c. eiusdem lib. sic inquit. *Si finita Synaxi non reuertebatur quis statim ad suam cellam, puniebatur.* Plura alia de hac continua cellulæ habitatione passim idem tradit *Cassianus*, præsertim lib. 2. 3. 4. & 10. & alijs etiam locis infra citandis. Hæc igitur Maiorum nostrorum servandi cel-

lulam cura, ad vnguem, vt ab ipsis custodiebatur, à nostra regula commendatur.

D. Basilius.

Basilus etiam hanc cellulæ mansionem, sermone secundo exercitationis, talibus verbis commendat. Si itaque contigerit, te iuxta circumstantiam negotiorum aliquam, è cella proficisci, armatus pectore timore Dei, & inserta in manu charitate Christi, deuictisque per omnem continentiam voluptatū incurfibus, statim necessitate expleta resili, ne immoreris: seu velocibus alis vttere ad reditum, velut innocens quadā colūba ad arcā, qua te emisit, transfugiens, si que persuadēs tuis cogitationibus cōtingere tibi nō posse in vlllo alio loco salutarē requiē. Et in fine eiusdem sermonis, Perseuera (inquit) in cella, non dies neq; menses, sed multorum annorū circuitus, Hymnis celestibus Dñm celebrās in nocte, & in die, imitās opera cherubim. Recolendus est idem Basilus in constit. Monast. ca. 7. & 8. vbi stabilitatem cellæ monacho amplectendam, vagationes que sine iusta causa fugiendas præcipit.

Bernardus.

Mirū etiā est, quā frequens sit D. Bernardus in hoc proposito cōsulēdo, hic enim ad fratres de monte Dei (nēpē ad Carthusiēses, siue (vt alij volūt) ad nostri ordinis fratres) scribēs, sic monet. Propter hoc, secundū formā propositi vestri habitātes in cœlis, potius quā in cellis, excluso à vobis toto seculo, totos vos inclusistis cū Deo. Et infra. Omnium bonorum officina est cella, & stabilis perseuerantia in ea. Et paucis interiectis. Regat sancta obedientia Regula bonā voluntatē, illa vero corpus, & doceat illud posse consistere in loco, cellā pati, secū que morari. Impossibile est, hominē fideliter figere in vno animum suū, qui nō prius alicui loco perseuerāter affixerit corpus suū. Et deniq; inf. addit. Alia cella tua exterior, alia interior: exterior est, dom⁹, in qua anima tua cū corpore tuo habitāt; interior est cōsciētia tua, quā inhabitare debet omnium interiorū tuorum interior Deus cū spiritu tuo: dilige ergo interiorē cellā tuā, dilige exteriorē, & unicuique suū impende cultū. Hæc Bernardus.

Qua vero de causa, cellæ cōmoratio tam arcta & assidua antiquis

antiquis Monachis fuerit iniuncta, varijs in locis explicat
Cassianus, præcipuè tamè lib. 3. 4. & 10. institutionum. c. 3. Cassianus.
vbi hanc ostendit: quia Spiritus accidia maximè solet Mona-
chos infestare, vt paulatim protracti è cella, actus suæ profes-
sionis incipiant obliuisci, qui non est aliud, quàm intuitus & cõ-
templatio diuina puritatis: quæ non alibi potest, nisi in silentio,
& iugi cellæ perseuerantia, ac meditatione cõquiri. Quo quid
aptius nostro proposito dici posset? tũ, vt cellæ utilitas ap-
pareat: tũ, vt cõstet, nostrum institutũ, & professionẽ ab an-
tiquis illis Ægypti, & Palæstinæ monachis deducta fuisse.

Præterea idem Cassianus, collatione. 24. ca. 3. latè docet,
ad interiorem hominis puritatẽ, peruigilem cellæ solitudi-
nem maximè conducere. Nam varia ac effusa cogitationes
à nemine prorsus, quamuis sollicito ac vigilantibus, vel caueri pote-
runt, vel videri, nisi qui corpus atque animũ iugiter in crapa-
rietum septa conclusit: vt ita quis velut piscator egregius
victũ sibi Apostolica arte prospiciens, in tràquillis: ino cordis
sui profundo agmina cogitationũ natantia, intentus, atque im-
mobilis caperet: & tanquã prominenti scopulo curiosè profun-
da prospectans, quas ad se hamo trahere debeat salutari, quas
verò tanquã malos ac noxios pisces negligat, ac refutet, saga-
ci discretionẽ dijudicet. Et. c. 5. prosequitur. In hac ergo vnus
quisque custodia perseuerãs efficaciter illud implebit, quod per
Habacuch Prophetam satis euidenter exprimitur. Super cu-
stodiã meã stabo & ascendã super petram, & speculabor, vt
videã, quid loquatur in me, & quid respondeã ad arguẽtẽ me.
Hucusque Cassianus.

Idem.

D. Bernardus hanc cellæ commoditatem ad cordis puri-
tatem & orationem, latè prosequitur, vt sup. Cella inquit, &
cœli habitatio cognata sunt: quia sicut cœlũ & cella ad iuicẽ
videntur aliquã habere cognationem nominis, sic & pietatis.
Nã à celando cœlũ & cella nomen habere videntur: & quod
celatur in cœlis, hoc & in cellis: quod geritur in cœlis: hoc &
in cellis. Quid nã est hoc? Vacare Deo, frui Deo. A cella enim

Bernardus?

in cælū saepe ascēditur: vix autē vnquā à cella in infernū descēditur, nisi sicut dixit Psalmista, Descēdant in infernū viuentes: videlicet, ne descendāt morientes. Mories autē vix aut nūquā aliquis à cella in infernū descēdit: quia vix vnquā nisi, cælo prædestinatus in ea vsque ad mortē persistit. Et infra. Cella, terra sancta est, & locus sanctus, in qua Dñs & seruus eius saepe colloquuntur, sicut vir ad amicū suū: in qua crebro fidelis anima verbo Dei coniungitur, spōsa spōso sociatur, terrenis cælestia, humana diuinis vniuntur. Siquidē sicut templū sanctū est Dei, sic cella est serui Dei: & in tēpla, & in cella diuina tractātur sed crebrius in cella. Et aliquibus interpositis addit. Orosium non est vacare Deo, imo negotiū negotiorū hoc est quod quicūque in cella nō agit fideliter & feruenter quodcūque agit quod propter hoc nō agit, scilicet, vt Deo seruiatur, in eo quod agit otatur. Hæc & plura alia ibidē, vt optime solet, tractat Bernardus. Ac denique Basilius. c. 7. suarū constitutionum, cellæ quietem, ac diurnam cohabitationem ad mentis puritatem obtinendam obtinenda ordinari, testatur.

Basilij.

Neque hanc solam in cella vtilitatē Patres adinuenerūt, sed & plures alias: eam tamen inter omnes commemorabimus, quod in ea à multis periculis liberamur. Nā vt Basil. dicto ferm. 2. ait, Egressus es è cella tua: reliquisti cōtinentiā, oculos trāsmissisti in mūdū. Quare adinonet (vt supr. retulimus) vt exeat quis, quando necesse fuerit, de cella Dei timore armatus, & ad eā quācutisimè redeat. Vnde Syrenus Abbas apud Calsianū collt. 6. ca. 15. hoc ipsum monet. Iugis cellæ cōmoratio retinēda est. Toties enim etiā reuersus quis, velut nouus in ea & incipiēs habitator titubabit, atq; turbabitur, quoties ab eadē fuerit euagat⁹. Illā nāq; quā in cella residēs acquisierat intētionē animi, si fuerit relaxata, recuperare rursus non sine labore poterit, ac dolore. Et per hoc reductus retrō, non de amisso cogitabit profectū, quem superadycere potuit, si cella non fuisset excussus: sed gaudebit potius, si illū statū, de quo recidit, semetipsum senserit recepisse. Quod & ipsa experiētia cōpertum est: hoc ipsum scilicet quod Syrenus docet, varias enim perturbationes, cōtentiones, iudicia, innumerasq; alias labendi occasiones cellæ inclusionē vitamus. Ex

Syren. Abb.

Ex his iam patet propositæ dubitationis resolutio, quare (scilicet) in nostra regula in cellula, nocte dieque, persistere moneamur. Nam cū nostræ Regulæ peculiaris finis, assidua sit diuinæ legis nocte dieque meditatio: nullum aliud medium efficacius, & ad huius finis consequutionem convenientius, ac proximius excogitari potuit, quàm diuturna, & stabilis cellæ commoratio: vt ita, intrantes cubiculum nostrum. vt Dominus docuit Matth. 6. c. clauso ostio, ad cęlestem Patrem orationes fundamus. Ibi enim, cū omnium cogitationum siue sollicitudinum strepitu cor nostrum careat, purè & familiariter Deo colloquimur. Vnde non incōmodè cella, domus orationis dici potest: tūm, quia iuge orādi studium exigat: tūm etiā, quia commoditatem tribuit id optimè exequendi: cū curas omnes tam internas, quā externas remoueat. Quæ cum ita sint, sine dubio cellæ habitatio ad continuam meditationem maximè confert.

Matth. c. 6.

Hæc verò cellæ indefatigabilem custodiam vt rectius seruaremus, nostra Regula potissimum medium adiuuenit laborem manuum, qui ad hoc propositum maximè cōducit vt latè Cassianus libr. 10. institut. per totum, ac varijs alijs in locis: de quo nos quoque infra latissimè dicemus.

Cassianus.

Die ac nocte in lege Domini meditantēs, & in orationibus vigilantes. Hæc est huius cap. secunda pars, in qua continua diuinæ legis meditatio nobis imponitur. Hic est potissimus nostrę Regulæ scopus, vt supra latius sumus prosequuti: quem nostræ militiæ tela veluti scopum respiciunt. Quæritamen hic potest, quare nostra Religio inter alias, hunc finem à nulla alia Regula intentum ita arctè profiteatur? Respondetur, eam potissimum fuisse causam, quia cum in nostra Regula vita eremitica, ac suo modo solitaria instituat, & hæc respiciat veluti finem, Dei & cœlestium rerum contemplation (vt ex Cassiano patet collation. 19, idē quæ est de fine vitæ Eremiticæ) fit, vt austeræ & solitariæ vitæ, quæ in Regula decernitur, nullus alius finis congruentior esse possit. Quare adhuc finem, (vt supra dicebamus,) noster principalis debet tendere conatus: & quidquid ab hoc diuersum est, quamuis aliàs magnum, importunum tamen aut certe noxium iudicandum est. Omisissis igitur alijs, quæ de hoc fi

Cassianus.

ne, nempe de oratione, ac meditatione, ac de eius vtilitate & fructibus, à Patribus & varijs alijs authoribus scripta sunt, (nam hæc, & similia, quæ directè ad nostræ Regulæ expositionem non conduxerint, prætermittenda decreuimus:) tria in hoc capite erunt inuestiganda. Primum, quid intelligatur nomine orationis, & meditationis. Secundum, an sit homini possibile, die ac nocte in lege Domini meditari, & orationi assiduæ vacare. Tertium, quæ sint, quæ facere quis tenetur, vt huic nostro fini, & scopo satisfaciat: & an fortè quis ob aliquam iustam causam ab eius adimplerione excusetur.

D V B I V M I.

Quid significetur his verbis, in lege Domini meditantibus, & in orationibus vigilantes.



Vm duo in nostra Regula distinctè præcipiantur, meditari scilicet in lege Domini, & in orationibus vigilare: oportet primo loco, quid oratio & quid meditatio sit, explicare: vt sic Regulæ mens clarius ab omnibus percipiatur. Et, vt ab oratione incipiã, licet oratio multas habeat acceptiones, propriè tamen & in rigore accipitur pro deprecatione siue petitione. Quæ ratione ex mente Damasceni eam definit: S. Tho. 2. 2. q. 83 artic. 1. dicens, *Oratio est petitio decentium à Deo.* Cui consonat D. Basilus, oratione in Iuliam. *Oratio* (inquit) *est boni cuiusdam petitio, quæ à pijs ad Deum effunditur.* Gregorius Nissenus oratione secunda de oratione Dominica, *Oratio est petitio bonorum, quæ Deo cum supplicatione offertur,* & Diuus Augustinus, *Oratio* (ait) *quædam petitio est.* In prædicta igitur Damasceni definitione *petitio* ponitur loco generis, *Decentium* vero loco differentia: vt excludantur petitiones inutiles à ratione veræ orationis.

D. Damasc.
S. Thom.
D. Basil.
Nissenus.
Augustinus.

Vnde

Vnde oratio in hac acceptione vsurpata pertinet ad intellectum practicum, estque illius actus & operatio: quod & testatur idem S. Thom. vt sup. Nam orare nihil aliud est, quàm exprimere mentem nostram, illamque Deo dicere ac manifestare, & ab eo aliquid petere siue postulare. Petitio autem, cum sit intimatio ac loquutio, ad orationem necessaria pertinet. Nam cum intellectus & voluntas ad orandum simul concurrant: voluntas concurret desiderando id bonum quo caret, intellectus vero illud desiderium explicando, & proponendo, eiusque adimpletionem postulando: & in hoc consistit formaliter oratio: quemadmodum in rebus corporalibus, cum re aliqua indigemus, per appetitum prius rem illam desideramus, per linguam vero, (quæ est appetitus in terpres) necessitatem alteri aperimus, & rem illam ab eo efflagitamus: & in hoc secundo consistit petitio.

S. Thom.

Præterea oratio, quantum ad præsens attinet, alia est mentalis tantum, quæ mente tantum concipitur: alia vero vocalis, quæ vltra hanc mentis conceptionem, vocem addit. Mentalis vtilissima est, præcipue cum quis priuatim orat: quia tunc feruentior solet esse, quàm si vox corporalis addatur, vt Concilium provinciale Mediolanense parte. 3. cap. de diuinis officijs docuit: vbi sic scripsit: *Quia mentis oratio tantò præstantior est ea, quæ solum ore exprimitur, quanto animus est excellentior corpore: pijs incredibile solatium affert, & fructum.* Huius autem excellentiæ supra-vocalem ea est ratio: quia per mentalem nos sæpe toto cordis ictu Dei aures melius attingimus, cum ab omni strepitu corporali vacamus, quàm si voce simul & corde orare velimus. Quamuis interdum vocalis etiam vtilissima sit, idque pluribus de causis, quas adducit S. Tho. vt sup. ar. 12.

Conc. Med.

De oratione igitur tam mentali, quàm vocali, Regula accipienda est, cum vniuersaliter loquatur: ita, vt huic præcepto fiat satis siue vocaliter siue mentaliter oretur. Et hæc de oratione.

Est autem Meditatio, authore S. Thoma. 2. 2. quæstione 180. artic. 3. processus siue discursus intellectus, in veritatis inquisitione occupati: & idem est (secundum Diuum Bernardum in libro de consideratione) ac consideratio. Imo

S. Thom.

D. Bernard.

Aristoteles. (secundum Aristotelem) omnis actus intellectus, consideratio dicitur. Et in hoc sensu loquimur etiam nos de meditatione, prout comprehendit quemcunque actum intellectus speculatiui, circa inquisitionem & indagacionem veritatis.

Quo supposito, meditatio differt ab oratione: primo, quia meditatio est alicuius veritatis consideratio: oratio vero est petitio à Deo: præterea meditatio est actus intellectus speculatiui, oratio vero est actus intellectus practici.

Psa. 1. Meditatio est duplex. Alia est generalis, quæ est circa quamlibet veritatem consideratio: & sic Philosophi naturales meditari dicuntur: & omnis, qui aliquam veritatem proprio labore cupit adipisci, circa illam meditari dicitur. Alia est specialis, quæ tantum est circa diuinam legem, secundum illud *Psal. 1. Beatus vir, qui in lege Domini meditatur: & illud: In lege eius meditabitur die ac nocte.*

Caietan. Quibus prænotatis, primò constituendum est, Regulam nostram illis verbis, *die ac nocte in lege Domini meditates*, præcipere ac velle, mentem nostram debere esse occupatam ferè semper in diuinæ legis consideratione. Per diuinam autem legem duo intelligi possunt. Primum, quæcumque ad Deum & diuina beneficia pertinent, vt sunt bonitas, charitas, misericordia cæteraque Dei attributa, & præterea eius erga homines beneficia, vt sunt creationis, Redemptionis, Fidei, inspirationum, vocationum perse vel per alios, expectationis ad poenitentiam, præseruationis à tot periculis animæ & corporis: & denique plura alia vnicuique propria & maxima beneficia. Secundum defectuum & culpæ propriæ consideratio: ad quod etiam pertinet labilitas ad peccandum, dissipatio propriæ substantiæ, nuditas à virtutibus, vulnera ignorantia, malitiæ, infirmitatis, & concupiscentiæ, & alia, quæ exactè licet breuiter prosequitur *Caietanus*, 2. 2. quæstione 82. articulo. 2. Quæ omnia considerans, ideo dicitur in lege Dei meditari, quia ista per legem diuinam & sacras scripturas nobis innotescunt, & ex earum meditatione, veluti ex intrinseca causa, in nobis gignitur vera deuotio, quæ reddit promptam voluntatem ad diuinum obsequium, vt docet *S. Tho.* dicto art. 2.

Præterea

Præterea, ad meditationem diuinæ legis reduci potest quodcumque Theologiæ & scripturæ sacræ studium, imò & Logicæ ac Philosophiæ, si eo fine talibus scientijs vacemus, vt melius diuinas scripturas & legem Dei cognoscamus.

Secundo existimo, quòd nomine orationis in regula posito intelligantur postulationes, siue obsecrationes, aut gratiarum actiones, hæ enim sunt partes orationis, vt cõstat ex Apostolo. i. ad Timoth. 2. vbi quatuor constituit quasi species siue partes orationis, cum ait, *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes & postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Per obsecrationes enim Theodor. in cõmentarijs huius loci, & Augustinus Epist. 59. ad Paulinum questione. 7. intelligi dicunt deprecationem malorum, nempe, remissionis peccatorum: per orationem verò exponunt petitiones bonorum, vt gratiæ, & gloriæ: at per postulationes (teste Augustino ibidem) quæcunque postulatio significatur: & denique per gratiarum actiones, id quod sonat: ita vt sensus Diui Pauli sit, orandum esse Deum pro malis auertendis, & bonis accipiendis: & quidem vtraque postulanda esse in futurum, & pro iam impetratis gratias esse exhibendas. Quicunque igitur hoc vel illo modo orauerit, in orationibus vigilabit, & Regulam adimplebit.

Tertio certum existimo, ex vi Regulæ omnes nos teneri nõ solum ad meditandũ, sed etiam ad orandum die ac nocte in sensu, quo in sequenti dubio declarabimus. Hoc dictum probatur: quia id expresse in regula cauetur illis verbis, *In lege Domini meditantibus, & in orationibus vigilantes,* Non ergo vnum aut alterum sufficit, sed vtrumque ad perfectam adimplentionem requiritur: præcipuè cum ex dictis constat, aliud esse meditari in lege Domini,

aliud vero in oratione persistere,

id est, meditari in lege Domini ac vigilare.

1. Ad Ibi. 2

D. Theodor.

Augustinus

D V B I V M I I.

*An sit possibile id, quod Regula præcipit,
ut die ac nocte in lege Domini medite-
mur, ac in orationibus vi-
gilemus.*



Cassian.

Ro parte negatiua huius dubij in primis apparet, de hac frequenti ac iugi oratione minimè posse ferri præceptū. Primo, quia hoc est impossibile. Nam, vt Cassianus loquitur collatione 1. capit. 3. *Inherere quidē Deo iugiter, & contemplationi eius inseparabiliter copulari, impossibile est homini, ista carnis fragilitate circūdato. Nam quis vnquam (vt eiusdem Cassiani collatione 23. cap. 5. verbis vtar) quamuis præcipuus omnium iustorū atque sanctorum, huius corporis vinculis colligatus, summum hoc bonnum ita possidere potuisse credendus est, vt nunquam à diuina contemplatione discedens, nec paruo quidem tempore ab eo, qui solus bonus est, terrenis cogitationibus putetur abstractus? Et infra. Ipsum illum Apostolum Paulum, qui omnium sanctorum laborem, passionum numerositate transcenderat, nequaquam hoc implere potuisse cōfidenter adstruimus. Hæc Cassianus. Qua ergo ratione credi potest, Regulam nos ad hanc plusquam humanam contemplationem voluisse ligare? Præcipuè cum hoc sanctissimis viris fuerit inobseruabile, & impossibile.*

Secundo, quia Regula non potest ferre præceptum de re purè interiori, cum neque ecclesia, secundum receptam omnium sententiam, id possit. Sed oratio & meditatio, de quibus hic loquimur, actiones sunt immanentes, & operationes animæ omnino interiores, ergo hoc non est Regulæ præceptū: sed potius putādū est cōsiliū, siue directio quædā.

Tertio

Tertio & ultimo: quia in nulla Religionis Regula simile præceptum inuenies. Quare signum est, rem adeo necessariam à Patribus prætermittam: ideo fuisse: quia de ea in suis Regulis præcepta edere non poterant.

In hac difficultate, quæ circa diuturnitatem orationis potissimum versatur, in primis ex iure diuino tanquam certum supponimus, nobis non esse aliquod determinatum tempus ad orandam. Ita docet S. Thom. in 4. dist. 15. quæstion. 4. ar. 1. quæstiuncula. 3. & communiter alij. Quauis autem nullus certo & præfixo tempore teneatur orare, omnes tamen, quando ad usum rationis peruenerint, præcepto naturali & diuino obligantur, aliquo tempore orare. Ita sentire videtur S. Tho. vt supra: quia oratio medium quoddam est præcipuum ad obtinendam spiritualem salutem, quam tenentur omnes procurare: quamuis difficile sit, vt ex Paludano docuit Nauarrus cap. 3. de oratione nu. 9. determinare, quando quis peccet mortaliter non orando, sistendo solum in prædicto iure naturali, & diuino. S. Thom.
Nauarr.

Secundo suppono, nos per Spiritum Sanctum sæpè ad iugem, & continuam orationem vocari: quod Dominus verbis & parabolis sæpè persuadere studuit. Nam Luc. 11. parabolam narrat illius, qui, ob importunitatem assidue petendi, impetrauit quod voluit. & Luc. 18. expressis verbis ait, *Oportet semper orare & nunquam deficere.* Et continuo adiecit parabolam vidue, quæ sola precum perseuerantia, à iudice ferè inexorabili sententiam, iudiciumque extorsit. Et Luc. 21. *Vigilate utique omni tempore orantes.* Quam doctrinam apud Ecclesiast. legimus capit. 8. *Ne impediatis orare semper:* & apud Apostolū primæ ad Thessalonicen. ultimo. *Sine intermissione orate.* Luc. 11.
Luc. 18.
Luc. 21.
Eccles. 8.
1. Ad Thessal. ult.

His præmissis, huius dubitationis nodus in eo consistit, quid velit scriptura, quæ nos semper vel sine intermissione excitat ad orandū: ex huius enim solutione facile erit percipere, quid etiam nostra regula illis verbis significet, *Die ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes.*

Prima est a quorundam sententia, qui sentiunt eos semper orare, qui semper bene operantur & viuunt: & videtur esse de mente Glossæ, & Caietani ibidem, & Nauarri, vt supra Glossa.
Caietan.
Nauarr.

numero. 7. At quamvis aliqua ratione, opera bona genus quoddam orationis dici possint, his enim à Deo sæpe misericordiam impetramus: tamen si propriè & in rigore loquamur, hic sensus longè distat à vero & litterali sensu illorum Christi verborum; *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* Nā ex adiunctis parabolis de vidua, & de iudice evidenter colligitur, ibi sermonem esse de oratione, prout petitio quædam est.

D. August.

Alij verò exponunt, vt semper orare nihil aliud sit, quàm mentem cum Deo per amorem, & desiderium assiduè coniungere. Huius sententiæ in primis est Diuus Augustinus epistola. 121. ad Probam, capit. 9. & in Psal. 37. in illa verba *Domine ante te omne desiderium meum:* vbi sic ait. *Ipsium desiderium tuum oratio tua est, & fit continuum desiderium continua oratio: non enim dicit frustra. Apostolus, Sine intermissione orantes. Nunquid sine intermissione genua flectimus, aut manus leuamus? Orare hoc pacto sine intermissione non possumus facere. Est alia interior oratio sine intermissione, oratio, quæ est desiderium. Si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare. Continuum desiderium tuum, continua vox est. Tacetis, si amare desistas. Flagrantia charitatis, clamor cordis est: si semper manet charitas, semper clamas: si semper clamas, semper desideras.* Hæc Augustinus. In quem locum noster Vualdensis, de sacramentalibus titulo. 1. cap. 2. intelligit per hoc desiderium continuum, orationem mentalem, & continuum affectum placendi Deo. A quibus nec dissentire videtur magnus Basilius in oratione ad Iuliam, quo loco probat, non esse impossibile præceptum, semper orandi: quia non est (inquit) impossibile, rem vehementer dilectam semper desiderare. Nam amatores huius sæculi, siue comedant siue bibant, rem amatam cum desiderio cogitant, & etiam inter dormiendum cum ea somniando versantur. Et in hanc quoque sententiam inclinat S. Tho. 2. 2. q. 83. art. 14.

Vualdens.

D. Basil.

D. Thom.

Sed certè, quamvis hæc utilis & congrua sit expositio, adhuc tamen non videtur propriè sensum litteralem explicare

plicare eius, quod ad litteram Christus Dominus significare voluit. Parabolæ enim ab ipso adductæ, propriè sumptæ orationi adaptantur: qua ratione oratio non est simplex desiderium, sed potius expressio, & manifestatio desiderij per verba interiora vel exteriora.

Tertia expositio commodior, & verior alijs videtur, quam sequuntur Chrysostomus, & Theophilatus in illa verba Pauli, *Sine intermissione orate*, & Cassianus collatione. 9. & collatione 23. docentes, illis scripturæ sententijs, quibus edocemur, vel semper vel sine intermissione orandum, nihil aliud commendari nisi perseuerantiam, & assiduitatem orandi quam maximam habere possimus. Id enim propriè declarant Parabolæ de vidua apud iudicem instante, & de amico tres panes importunè postulate. Quorum exemplo, non solum certis horis, sed omni tempore, oblata occasione, tum noctu, tum interdium orationi vacare debemus. Et fortè D. Augustinus & Basilus hoc ipsum volunt, per continuum desiderium. Nam quantum ex ipsis colligi potest, non loquuntur de desiderio ita metaphysicè, & strictè, vt excludant loquutionem, siue clamorem, & petitionem. Et sic Augustin. intelligit per desiderium, continuam orationem mentalem. De quo omnino videndus, & attentè legendus Vvaldensis, vt supra.

*D. Chrysof.
Theophilat.
Cassianus.*

Iam ex dictis sit prima propositio. Non est impossibile in lege Domini meditari, & die ac nocte semper orare, dum modo hoc intelligatur secundo aut tertio modo ex dictis. Hęc conclusio constat ex autoritate & testimonio Patrū, & præcipuè eorum, quos nuper citauimus. Et maximè confirmatur: quia Regula nostra non ita strictè loquitur, ac scriptura sacra: nā hæc tm̄ de oratione, regula vero de oratione & meditatione vicissim faciēda loquitur: multò autē facili⁹ est, aliquādo meditari & aliquando orare, quā semper orare cū meditatio sit quædā speculatiua cōsideratio, quæ in nobis plus perdurare & facilius exerceri potest, quam oratio, quæ est quædam petitio. Igitur si scripturæ & Christi Domini consilium siue præceptum de oratione non est impossibile in eo sensu, quo prædicti Patres exponūt, multò min⁹ credendum est, impossibilem esse iugem meditationem vel oratio-

Cassianus.

orationem: quamuis, si mathematicè loquamur, neutrum semper exerceri possit. Nam, vt rectè Cassianus dicta collatione. 23. c. 5. *Quis vnquam inuentus est, qui nunquam vllam cibi, vllam indumenti, aliarum ve rerum carnalium gesserit curam? nunquam de fratrum susceptione, de loci commutatione, de cellula extruictione sollicitus, opem aliquam humani concupierit adiumenti?* Et in hoc sensu loquitur primum argumentum, quo probatur, impossibile esse nobis hac corporis fragilitate circumdatis, ab hac cælesti theoria siue contemplatione aliquando non diuelli.

Vvaldens.

Secunda propositio. Id, quod Regula præcipit de meditatione & oratione continua, intelligendum est de continuatione & perpetuitate morali, in eo sensu, quo loquuntur Chrysostomus, Cassianus, & Theophilatus, non verò de mathematica & physica continuatione. Ita expressè hūc. Regulae nostræ articulum interpretatur noster Vvaldens. de sacramentalibus, titulo. 9. c. 76. numero. 3. Et patet primo: quia cum Regula semper præcipiat orare, neque vllum tempus speciale designet, manifestè pro omni tempore, tã diurno, quam nocturno, nos ad orationem hortatur. Secundo quia Ægyptij Monachi, ex quorum instituto nostram Regulam promanasse nō dubito, (vt ex Cassiano pluribus locis constat) omni tempore orationi vacabant. Tertio quia in hoc sensu nostra Regula ante mitigationem, (vt ex Vvaldense constat) fuit intellecta, & post reformationem (vt omnes nos testes sumus) in eodē sensu semper recepta est. Et deniq; ex medijs, quæ in Regula apponuntur, præcipue verò ex cōtinua & iugi cellulae custodia, quã ad assiduã quoque orationem præcedēti dubio ordinari probauimus, aperte colligitur, mentem ipsam Regulae fuisse, sine intermissione eo modo quo possibile est, ad orationem & meditationem nos excitare.

Ad Primum in oppositū Respōdetur, id non esse impossibile, si intelligatur de assiduitate morali: Patres vero, quãdo censent esse impossibile semper orare, loquuntur de continuatione mathematica, qua ratione præceptum est omnino impossibile: non vero primo modo, quia sic possibile

bile est, varijs modis adimpleri, vel meditando, vel orando, aut diuinæ scripturæ, vel alijs scientijs ei deseruientibus studendo. Modus tamen aptior & compendiosior, quo Patres utebantur, vt huic præcepto satisfacerent, erat frequens, & creberrimus breuium orationum, quæ iaculatoriæ vocantur, vsus. Huncque fuisse morem antiquorum Monachorum D. Augustinus dicta Epistola ad Probam, & Cassianus lib. 2. institutionum c. 20. docent. *Quam ob rem, ait Cassianus*

D. August.
Cassian.

Vtilius censent, breues quidem sed creberrimas orationes fieri. Hoc quidem, vt frequentius Dominum deprecantes, ingiter ei coherere possimus. Illud vero, vt insidiantis iacula, quæ infligere nobis tunc præcipuè cum oramus insistit, succinta breuitate vitemus. In quem Cassiani locum Vvaldensis de Sacra-

Vvaldensis

mental. titulo 1. cap. 12. num. 5. aduertit, omnes istas orationes, non obstante intermissione ista frequenti, posse vnâ constituere orationem per se: quemadmodum ponunt Logici vnâ speciem quantitatis discretæ simpliciter per sevnâ.

¶ Ad Secundum argumentum sufficiebat Ecclesiæ & tot summorum Pôtificum autoritas, qui nostram Regulam cõfirmarunt. Sed, vt omnis scrupulus auferatur, facilius illud soluamus, dicentes, quod quamuis actus interiores non possint nobis absolutè præcipi, neque aliqua lege mandari: possumus tamen nos libere aliquo voto ad eos obligari, & aliquam legem amplecti, vbi hi præcipiuntur: & vtrumque horum contingit in professione nostræ Regulæ, in qua ex duplici capite ad ea, quæ in ipsa præcipiuntur, siue interiora siue exteriora sint, obligamur. Primo quia profitemur obedientiam secundum Regulam. Ex hoc cap. tenemur ad omnia Regulæ præcepta, vt communiter Doctores docent. Secundo quia etiam si votum non interfuisset, nos liberè sub hac lege & Regula cum viuere decreuimus, ex consequenti etiam volumus, omnes eius leges & mandata in suo robore, & vt, vt in ipsa iacent, acceptare.

¶ Ad Tertium dicimus, nouum non esse inter monachos institutum semper orandi: imo, Cassiano teste collatione. 9. cap. 1. *Omni Monachi finis cordisque perfectio ad ingem atque indisruptam orationis perseuerantiam tendit: & quantum*

Cassian.

humane

Chrysoft.

humana fragilitati conceditur, ad immobilem tranquillitatem mentis, ac perpetuam nititur puritatem. Vnde Chrysoftomus opere perfectum in Matth. Homil: 8. Non est ita (inquit) fulgidum celum variis stellarum choro, ut Eremus. Et infra loquens de assidua illorum Monachorum oratione ait. Neque enim quando ieiunant & vigilant, vacare post diem dignum existimant, sed noctes quoque sacris Hymnis & Vigilijs, dies autem in orationibus & manuum operationibus consumunt.

Greg. Naz.

Et Gregorius Nazianzenus lib. 7. de reconciliatione, Desiderabam (inquit) videre Sanctum illum psallentium chorum, gloriam offerentium Deo in Ecclesia, cupiens aspicere illos, qui in lege Domini meditantur die ac nocte, & exultationes Dei sunt in gutture eorum, qui ad exemplum, & communionem melioris vite ceteris omnibus viuunt, legis Dei, atque Euangelij Christi taciti predicatores. Ex quibus fit, curam hanc peruigilemque sollicitudinē Diuinis orationibus, meditationibus que vacandi, nouiter à nostra regula non fuisse excogitatā, sed olim fuisse adinuentam, simulque cum monastico instituto ortam: quamuis libenter fatear, nullibi nisi in ordine nostro (saltem cum rigore & per modum præcepti) permāsisse.

D V B I V M III.

Quæ sint, ad quæ quis teneatur, Vt huic Regule præcepto satisfaciat.



M ex dictis constat, orationem ac meditationem potissimum esse nostræ Regule finem, non est dubium, quin ad eius obseruantiam maiori obligatione, quàm ad alia media vel præcepta Regule, teneamur: & sic maiori conatu ad illum nitendum est diligenter, quantum fuerit ex parte nostra curantes, ne incapaces

paces & inhabiles reddamur ad huius finis assequutionem. Vnde presēs dubiū inquit, quæ, & quāta erit hæc obligatio.

Pro parte negatiua in primis vrget commune illud Theologorum axioma, quòd finis præcepti non cadit sub præcepto, ac proinde videtur, quòd finis Regulæ non cadat sub illa, neque sub aliqua alia obligatione.

Pro huius resolutione sciendum est, finem alicuius præcepti duplicem esse, alium specialē, alium vero generalē, qui cōmunis est omnibus præceptis, qualis est charitas. Et quidem finis hic posterior non continetur sub præcepto quolibet, quamuis omnium sit finis: quia licet actus omnium virtutum ordinentur ad charitatem, hic tamen finis non cōprehenditur in quolibet speciali præcepto nec legis diuinæ nec humanæ. Etenim neque ab homine, nec à Deo punitur, tanquā præcepti transgressor, qui parentibus debitū honorem impendit, licet hoc faciat absque charitate, & Dei dilectione, vt notauit D. Tho. præcipuè 1. 2. q. 100. art. 9. Finis ve-

S. Thom.

rò præcepti specialis sub præcepto continetur, vt in præcepto peculiari & speciali diligendi Deum, explicat idem D. Tho. in dicta quæst. 100. art. 10. Et hoc est, quòd communiter dicitur, præceptum continere finem proximum, non tamen remotum, vt ex D. Tho. manifestè deducitur, & præcipuè probatur ex q. 44. art. 4. ad primum 2. 2. vbi ita scribit.

Sub præcepto, quòd datur de actu alicuius virtutis, nõ cadit modus, quē habet ille actus ex alia superiori voluntate: cadit tamen sub præcepto modus ille, qui pertinet ad rem propriæ virtutis. Ibi D. Tho. per modum actus intelligit eius circumstantias, quarum præcipua est circūstātia finis siue obiecti, quæ in moralibus coincidit & in specie, quòd finis proximus Religionis siue Regulæ, etiā si neque Regula ipsa, neque statuta Religionis obliget ad culpam mortālē, cadat sub graui obligatione, docuerunt

Antoninus 3. p. Summæ ti. 16. 6. 7. Turrecrem. in proœmio Regulæ D. Benedicti & D. Tho. non obscure significat. 2. 2. q. 147. art. 3. ad secundum, & manifeste ibi Caietanus: & inter iuniores, doctissimus Bañez 2. 2. quæst. 33. art. 3. dubio 3. docet, in suo ordine eum Religiosum peccare mortaliter, qui fit incapax vel non conatur, cū possit, ad prædicandū: quia hic est suæ Religionis finis. Si hæc igitur vera sunt,

D. Antoni.

Turre crem.

D. Thom.

Caietan.

Bañez.

Antoninus 3. p. Summæ ti. 16. 6. 7. Turrecrem. in proœmio Regulæ D. Benedicti & D. Tho. non obscure significat. 2. 2. q. 147. art. 3. ad secundum, & manifeste ibi Caietanus: & inter iuniores, doctissimus Bañez 2. 2. quæst. 33. art. 3. dubio 3. docet, in suo ordine eum Religiosum peccare mortaliter, qui fit incapax vel non conatur, cū possit, ad prædicandū: quia hic est suæ Religionis finis. Si hæc igitur vera sunt,

T aper.

aperte colligitur, non esse tutum in conscientia, qui in nostro ordine non contenderit se expeditum & habilem reddere ad meditationem & orationem.

Sed quia hæc prima facie, & scrupulosius dicta videntur oportet, ad sedandas conscientias, ea nos amplius explicare, docentes, qua ratione faciendæ sit hæc expeditio. Tunc igitur nos habiles & expeditos reddidisse dicemur, quādo, quantum in nobis fuerit, ea impedimenta tollamus, quæ nos ab oratione & meditatione præpediunt: ea (inquam) quibus spontaneè non bis aut iterum, sed iam quasi innata consuetudine retinemur. Nam de illis, quæ ex obedientia contingūt, impedimentis non est multum curandum (vt infra dicam.) Prætereà, etiam quis, (quantum ad præsens attinet) ad orationem habilis dicetur si prædictis adhuc ligatus vinculis siue impedimentis, ad meditationē & orationem quoquo modo aspiret, eam (scilicet) desiderando, & aliqua ex sua parte adhibendo media vt est lectiōi deuotè vacare, aut horas à cōstitutionibus orationi deputatas non intermittere. Ex quo infero, eū, qui ab aliqua passione ita se vinci & superari permittit, vt deinceps animū demittat meditando & orandi, saltem eo modo, quo nunc dixi, in periculo suo statuerari: quia, quantum est ex sua parte, desinit ab intentione consequendi proprium finem.

Sed quæret aliquis, an satisfaciat quis huic obligationi, si tempora ad mentalem orationem determinata cum alijs adimpleat, alijs vero temporibus nullam de meditatione rationem, aut curam gerat?

Augustinus.

Beda.

Anselmus.

D. August. in lib. de hæresibus. c. 57. & Beda in cōmētarijs in c. 18. Luc. D. Anselmus, & alij in c. 5. 1. ad Tessalonicēs docēt, eū semper orare iuxta Christi & Apostoli præceptū qui statutas, & certas orādi horas nō prætermittit: & ita exponunt illud, *Oportet semper orare.* Sed certè hæc expositio nō multū litterę quadrat. Nā (vt dubio 2. prob auim⁹ Chr̄s Dñs illis parabolis, quibus cōfirmavit hoc dictū, nēpe, de vidua instāte apud Iudicē, & de amico media nocte petēte tres panes, non solū certis horis, verū etiā omni oblata occasione die ac nocte orationi vacādū esse ostendit. Deinde quia nostra Regula nō certas determinat horas, cū id facile posset: sed indiscriminatim die ac nocte præcipit orare; Prætereà, etiam

etiã quia prædicti patres loquuntur de oratione vocali, que non potest esse perpetua: nõ verò de mentali: vt recte adnotauit Vvaldēsis de sacramentalibus tit. 1. c. 3. Nam mentalē posse esse continuam docuerunt Augustinus, & alij patres, vt supra. Nos verò hic loquimur de mentali.

Vvaldens.

Augustinus.

Quare aliter, & melius dicendū est, eū, qui horis designatis orationi cū cæteris assistit animo, & intentione orandi, etiam si alijs temporibus orationis vel meditationis nõ recordetur, nostro Regulæ scopo & fini quoquo modo, licet non plenè satisfacere: quia hic nõ se reddit inhabilem ad regulæ finem consequendum, licet ad eum non tendat perfectiori modo, quo potest. Sicut cui ex proprio instituto cõpetit prædicare, si ille intentionē habeat prædicandi, & aliqua liter se instruendi, licet non ita vt posset, vel vt alij studēt, literis vacet: non ideo se reddit inhabilē, sed potius aliqua ratione fit aptus & capax. Ita in nostro proposito dicendū est de eo, qui intētionē habet, si posset, semper orādi, & aliquādo orat. Notandū est tamē, quod hic, licet nõ esset trāsgressor finis Regulæ, quia ad eius adimplentionē sufficit intentio exequendi illū, sine dubio peccaret venialiter, in quātū trāsgreditur Regulæ præceptū, quo statuitur, vt omni tempore Orationi, & meditationi vacemus. ¶ Dico secūdo, probabile esse fratres laicos nõ ita strictè ad orationē cõtinuā teneri, sicut & clericos & choristas. Ratio est: quia officiū laicorū & eorū destinatio poti⁹ est, laborib⁹ manuū vel alijs exercitijs corporalibus deseruire, quā orare aut cõtēplari: & hoc omnium Religionū cõsuetudine seruatur, vt hi ad ministeria vitæ actiue præcipue recipiātur. Et ob hāc rationē alibi nos docebimus, nõ posse ad arctiorē religionē intuitu maioris perfectionis trāsire: quia in vnaquaque Religione eūdē scopū habere debēt, scilicet, opera vitæ actiue quæ eorū est finis principalis. Et ob id docuit Syluest. verbo (Hora) fratres laicos peccare mortaliter, si in ministerijs vitæ actiue negligēter se gerāt. ¶ Verū (quicquid sit de hac re & opinione Syluestri) adhuc probabilius existimo, eos ex vi nostræ Regulæ æquè ac cæteros choristas ad orationē teneri. Tū quia in regula æquè omnibus indicitur labor manuū, & O ratio mentalis. Tū etiã, quia inter nos cõmuni interpretatione receptū est, eos æquè ac reliquos ad orationē obligari.

Syluester.

Vnde ad rationem in oppositum adductam responde-
tur, eam procedere de fine mediato, & remoto, non verò de
proximo ac immediato. Tum etiam argumentum non vr-
get: quia illud Theologorum Axioma intelligendum est
de fine actuum moralium. Nos vero hic non loquimur de fi-
ne actuum, sed de fine status ac professionis monasticæ: de
quo noster sermo procedit.

Cap. VII. De horis Canonicis.

TEXTVS.

De offi. diu.
Aug. Reg. c.
6. Bene. à c.
8. sue Reg.
vsque ad. 20
Frã. c. 30. &
2. par. st at.
Carthus. c. 1
reg. Mona-
char. ca. 23.
724.
B. Franc. c.
3. Reg. agit
de of. laicorū

H I, Qui horas Canonicas cum cle-
ricis dicere norunt, eas dicant se-
cundum constitutionem Sancto-
rum Patrum, & consuetudinem
Ecclesiæ approbatam. Qui eas non nouerint
X X V. vicibus Pater noster dicant in no-
cturnis vigijs, exceptis Dominicis & Solem-
nibus, diebus in quorū vigilijs prædictū nu-
merū statuimus duplicari: vt dicatur P. N. vici-
bus. L. septies autem eadem dicatur oratio
in laudibus Matutinis: in alijs quoque Horis
septies similiter eadem dicatur oratio sigil-
latim, præter officia vespertina, in quibus eā
quindecies dicere debeatis.

Glossa. VII.

P Ost orationem mentalem, de vocali sermonē Regula
instituit, vt pote de re maximè ad illam conducente.
Nā, vt author est D. Augustinus in epistola ad Probā,
*Ne desiderium tepescat, inflammandum est crebro aliquibus cer-
tis verbis. Et in eadem Epistola ca. 9. ait. Interdum voce nos ipsos
ad deo -*

ad deuotionem acrius excitamus. Et ob id docuit etiam Cassianus, (vt. c. præcedenti adnotauimus,) fuisse morem antiquorum monachorum, breues quidem & creberrimas orationes iaculatorias fundere: nam non solum interiori mente, sed etiam corpore, & lingua debitæ seruitutis obsequium Deo reddendum est. Quare oratio vocalis valdè utilis ad exercitium mentalis, imo & necessaria & obligatoria est, quando ex præcepto Ecclesiæ vel aliorum Superiorum, certas preces recitare iubemur, vt in præsentī. c. Regulæ præcipit.

Ex hoc c. tria eliciuntur. Primū, quod tam clerici, quā reliqui, qui horarum officium nouerunt, ad eius recitationem tenentur. Secundū, quod officium diuinum in ordine recitandum est secundum constitutionem sanctorum Patrum. Tertiū, quod Fratres Laici, vel hi, qui horas Canonicas nondum recitare nouerunt, tenentur earum loco, certas orationes vocales in hoc cap. annumeratas dicere.

Hi, qui horas Canonicas cum clericis dicere norunt. Circa priora verba, nempe, *Horas Canonicas*, notandum est. Primo, certas preces, quæ in septem partes principales diuidi solent, nempe in Nocturnas, & laudes, Primam, Tertiam, sextam, & Nonam, vel peras, & Cōpietorium, appellari & Horas Canonicas, & diuinum officium. Ideo autem horæ Canonice dicuntur, quia certis horis iuxta Canonum sanctiones recitandæ sunt. Dicitur præterea officium, Diuinum quoniā proprium est munus clericorum & Monachorum, ad Deum per certa & statuta tempora orare: & quia in ipso continetur id, quod facere erga Deum debemus, ob id appellatur officium: & insuper additur, Diuinum, quia in eo diuinæ laudes continentur. Et hoc est, quod Regula intelligit per horas Canonicas.

Secundo in illis verbis, *cum clericis dicerentur*, Dubium se offert circa eorum sensum litteralem. Videtur enim ex his verbis colligi, quod qui officium diuinum recitare nouerit, siue clericus siue laicus, ad illud teneatur. Nam absolute Regula inquit, *Qui nouerit*. Ergo si Laicus nouerit, obligabitur. Respondetur olim, in nostro ordine, neque in alijs Religionibus (loquor nunc de illis, quæ à multis retro seculis floruerunt) non fuisse inter Monachos, laicorum & Choristarum (vt nunc) adinuertam distinctionem. Neque enim aliquis ex antiquis rerum Monachalium

ch alium scriptor, huius rei mentionem aliquam facit: sed omnes indifferēter ad Religionem admittebantur. Et inter hos, qui legere aut intelligere horas nouerat, ad earum recitationem tenebatur: qui vero literas nesciebāt, excusabātur & ita credi potest, quod si quis litterarum ignarus admittebatur, & is postea temporis discursu litteras didicisset: licet eo tempore, quo eas ignorabat, ab officij persolutione excusaretur, postea verò officio diuino cognito, ex vi Regulæ ad illud tenebatur. Iam verò in religionibus omnibus inducta est consuetudo, ab admissione & tempore probationis monachorum, alios choro, (& hi choristæ siue clerici) alios verò monasterij obsequijs corporalibus (& hi laici nuncupantur) deputari. Illi ad Horarum persolutionē, hi vero ad certas vocales preces earum loco tantum adstricti sunt. Secundum ergo hunc Religionum morem interpretanda, & obseruanda Regula est.

De Horis canonicis plura à nobis dici possent: sed quia tantum quæ ad nostrum propositum necessaria sunt, in hac tractatione edere curamus: ideo his prætermisissis, ad ea, quæ potissimum Regulæ expositioni conducunt, deueniamus.

D V B I V M I.

Qualiter à Regula fratres professi obligentur ad officium Diuinum.



R I M. O certum est, maximè fuisse rationi consentaneum, & ad Ecclesiæ sacram politiam conducens, aliquas instituere & designare personas, quibus proprio munere incumberet, vt quotidie Deo totius populi nomine psalmos, & laudes, orationesque offerret. Nam si respublica temporalis homines habet militiæ mancipatos, qui noctu diuque ad ciuitatis custodiã excubant: cur etiam Ecclesia, quæ spiritualis Respublica est, non habebit

bit suos milites deputatos, qui eadem ratione vigilant contra spirituales inimicos, eosque clamando ab Ecclesiæ finibus arceant? secundum illud Esai. 26. *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes: tota die & nocte in perpetuum nō tacebunt.*

Isai. 26.

Hieronymus

Quilocus eo modo, quo Hieronymus intelligit, applicari etiam potest Ecclesiæ militibus, qui nec diebus nec noctibus tacere debēt, sed semper Domini clementiā deprecari.

Secundo Certum est, has personas deputatas, siue hos strenuos milites & custodes esse tam clericos (siue dicantur clerici ratione ordinis sacri, siue ratione beneficij Ecclesiastici) quàm Monachos. Et primo quòd ad clericos pertineat officij diuini recitatio, plura extant, tam Conciliorū, quàm sacrorum canonum testimonia: de quibus videndi sunt Doctores scholastici. Ad Monachos verò quando, & qua ratione hæc obligatio fuerit deriuata, non satis constat. Caietan. enim in Summa verbo (Horæ canonicæ) fatetur, se nullo modo videre, qua ratione ad hæc Religiosi teneantur nisi ex cōsuetudine, de qua vtrūm obliget necne, multum se dubitare ait. Medina C. de oratione, c. de necessitate vocaliter orandi oratione publica, absolute negat, eos teneri. Loquuntur autem hi authores, & nos etiam nunc loquimur de obligatione ex vi professionis: nam si alias per suam Regulam & statuta Monachi obligentur, nulla tunc erit controuersia.

Caietan.

Medina.

Cōmunis sentētia est affirmatiua, quæ docet, Monachos omnes teneri ex præcepto Ecclesiastico ad diuinū officium. Ita ferè omnes sentiunt tã Theologi, quàm Canonistæ, vt videre est apud Syluestrū verbo (Hora) & alios Summistas. docet D. Antoninus 3. par. tit. 13. c. 4. Soto lib. 10. de Iustitia q. 5. art. 3. Quorum, & aliorū testimonia adducit, & amplificat Nauar. in Enchirid. c. 7. n. 4. & c. 21. n. 19. Cuius sententiæ fundamentum est: quia communi, & generali Ecclesiæ consuetudine, quæ legis habet vim, ita est declaratū. Sed præcipuè, teste D. Antonino 3. par. vt supra, ad officium diuinum tenentur Religiosi, quorū institutū est vita cōtēplatiua: quia huiusmodi (inquit) Religiones nō solū institutæ sunt ad orādū pro se, sed etiā pro vniuersali vtilitate fideiū. Ad huiusmodi aut faciēdā orationē in persona totius populi Christiani, sunt institutæ Horæ canonicæ specialiter.

Syluestr.

Antoninus.

Soto.

Nauarrus.

Sed certè, quamuis hæc sententia quantum ad monachos sacris non initiatos vera sit, horum enim obligatio sola consuetudine mittitur: tamen quantum ad Monachos iam sacris initiatos, vt certius iudico, eorum obligationem in iure Ecclesiastico fundari. Nam cum Monachorum, qui olim maiori ex parte laici erant (vt colligitur ex S. Thom. 2. 2. questione 199. ar. 8. ad. 2.) temporum successu fors fuerit immutata, & eorum maior numerus Clerici essent, & olim esset à iure determinatum, vt clerici sacris initiati in Ecclesia publicis vigilijs, & preceationibus adessent, vt patet ex cap. Clericos, & duobus sequentibus. 91. distinctione, fiebat, quòd cum clerici monachi commode Ecclesias secularium non possent adire, necessum esset, vt ipsi monachi in suis monasterijs publicè diuinum officium peragerent. Et ob hanc causam in singulis monasterijs propriæ erectæ sunt Ecclesiæ: & ex tunc Monasteria in duo Monachorum genera diuidi cæperunt: alterum eorum, qui choro, & diuinis laudibus vacarent, quòd ex illis Monachis constabat, qui sacris erant initiati: alterum vero eorum, qui (vt dictum est) alijs obsequijs deputabantur, qui laici sunt appellati.

Dico primò, siue ratione consuetudinis, siue ob fundamentum nuper adductum, Religiosi omnes choristæ, siue sacris initiati sint, siue non, ad officium diuinum tenentur: inter hos autem strictiori vinculo tenentur, qui iam sunt sacris initiati, quam reliqui choristæ, qui ad sacros ordines nondum promoti sunt. Quia illi & consuetudine, & lege Ecclesiæ obligantur: hi vero tantum consuetudine, quæ non semper obligat ad mortale. Imo non deficiunt docti Neotherici, qui meros choristas semel aut iterum diuinum officium omittentes à culpa mortali excusent. Et eorum fundamentum est: quia valde durum videtur, & à pietate Christiana alienum, mittere aliquem in infernum sine evidenti ac certa ratione. Quare, cum non constet certo de obligatione talis consuetudinis, impium videtur eos ita facile condemnare. Pro hac sententia, cuius modo examinandæ non est locus, videndus est Arag. 2. 2. q. 83. art. 12. dub. 4. con. 3. cui maxime fauet Soto lib. 10. de iustit. q. 5. ar. 3. Pro ipsis tamen quasi confirmatione addiderim, choristas iam profes-

S. Thom.

Cap. Cle. &
duo seqq. 91
dist.Aragon.
Soto.

fos nondum promotos, qui in Monasteriorum officijs occupantur, ideoque Choro interesse non possunt, aut qui alias non docti sunt, aut minus experti, vt officium diuinum comode dicere possint, ex priuilegio summorum Pontificum ad persoluendum integrè prædictum officium non teneri: sed Prælati habita consideratione subditorum, vltra officium B. Virginis, ad quod obligatos remansisse Pontifex voluit, aliquid aliud dicendum illis imponere possunt. Ita concesserunt Eugenius III. Congregationi Sanctæ Iustinae, & Iulius II. Congregationi Montis oliueti: & Leo X. ordini Camandulensium. Imo & prædictis Religiosis ob aliquam vtilem, & honestam causam, officium præfatum omittentibus posse Prælatum aliquas orationes iniungere, quibus satisfaciant, indulgit Eugenius Quartus Congregationi Sancti Benedicti Hispaniæ, vt habetur in compendio priuilegiorum dicti ordinis num. 55. vbi nullam eis imponit obligationem neque ad officium Beatissimæ Virginis. Ex quo colligi potest, quòd, cum tam facile in hac re dispensent Pontifices, non est credendum, ita arctam & strictam esse hanc obligationem. Cæterum (quicquid de hoc sit) illud inter omnes constat, eos, licet semel aut iterum excusari possint, ratione tamen consuetudinis in vniuersum omnes obligari.

Compendiū.

Dico Secundo, Nostri ordinis Religiosi ex vi Regulæ tenentur ad persoluendum diuinum officium. Ita constat, & decernitur expresse in hoc cap. dum dicitur, *Hi qui horas canonicas cum clericis dicere norunt, eas dicant.*

Sed dices, An choro deputati nondum sacris initiati, qui ex vi nostræ Regulæ ad persolutionem diuini officij tenentur, obligentur ad illud sub reatu mortali? Et ratio dubij est: quia Regula ex se tantum obligat ad culpam venialem, neque aliunde obligantur. Nam consuetudo, quæ in alijs Religionibus obligat, internos locum habere non potest. Quoniã nunquam nostri Religiosi, sic vt alij, ratione consuetudinis compulsi sunt diuinum officium recitare. Quare tantum hæc obligatio orta est in Religione ex hoc Regulæ præcepto.

Respōdeo, Mihi probabile videtur ob prædictam rationem, eos, qui choro deputantur, solū teneri sub culpa veniali ho-

ras canonicas recitare, quamuis probabilius & certius credam, adhuc eos, sicut & reliquos Religionum choristas, sub culpa mortali teneri. Nam quamuis in Regula primum fundata sit hæc obligatio: tamen eius qualitas & modus obligandi, etiam in nostra Religione, ortum habuit à consuetudine qua communiter apud omnes inductum est, choristas, etiã sacris non initiatos, Horas prætermittentes peccare mortaliter. Et hic cõmunis omniũ cõsensus vim habet cõsuetudinis. Ac proinde certissimũ iudico, nostros Religiosos adhuc sub mortali obligari. Dico tertio Religiosos laicos, neq; iure aliquo cõmuni neq; cõsuetudine aliqua teneri diuinũ officium recitare. Hæc est tũ cõmunis Religionũ consuetudo, quæ eos ab hoc onere liberat, tum etiam est communis Doctorum sententia, (quicquid Paludanus, & Augustinus de Anchona relati ab Antonino vt supra in contrarium dicant eo fundamento adducti, quia eo ipso, quod applicati sunt ad cultum diuinum, habent quasi beneficium Ecclesiasticum interpretatiuum, scilicet, viuendi ex elemosinis vel redditibus Monasterij, qui Monachis conceduntur ratione applicationis ad cultum diuinum: & ex consequenti censent, eos teneri ad Horas sicut & ceteros Choristas.)

Paludanus.
Augustin. de
Anchona.
Antoninus.

Contrariam tamen sententiam, vt communem, omnes amplectuntur. Cuius potissimum fundamentum est: quia laici in Monasterijs, corporalibus exercitijs, & in obsequium Choristarum, vt ij liberius Deo vacent, mancipantur, & sic eorum principale institutum est, actiuam vitam exercere. Et quem admodum possent in Ecclesia institui Religiones absque choro ad vitam actiuam tantum ordinatæ, vt testatur Sanctus Thomas secunda secundæ quæstione 188. articul. 2. ita intra easdem Religiones potuit, & debuit duplex monachorum genus institui: quorum vnum contemplationi tantum, vel contemplationi & actioni simul: alterum verò vitæ actiuæ tantum, vel saltem principaliter astringeretur. Præterea, quia loco diuini & Canonici officij, in omnibus ferè Religionibus, laicis imponitur certus orationum numerus, quem explere tenentur, & quod suo modo diuinum officium dici potest: quod solet breuius & facilius esse,

S. Thomas.

esse, vt illi non impediatur à debitis obsequijs Monasterio exhibendis, ad hoc tamen officium persoluendum non est cur mortaliter obligentur, cum neque ex consuetudine, neque ex iure, neque aliqua alia lege eos mortaliter obligari, constet.

Neque in contrarium adducta ratio pro Paludano & Anconavrges. Quia etsi fratres laici ex eleemosynis viuunt: suo tamen modo pro populo Christiano orare cēsentur, in quā tum alios orantes adiuuant, eos à curis alijs, & sollicitudinibus excusando, vt rectius, & attentius Deo vacent. Quod sufficit, etiam si aliās ipsi non orarent, vt iustè monasterij eleemosynis siue redditibus viuant. Tenentur tamen fratres laici ad officium diuinum à Regula taxatum sub veniali tantum: nām non est aliundè, à quo obligentur, nisi à Regula: hæc autem tantum obligat sub veniali.

Dico Quarto Religiosos teneri ad officium diuinum publicè & in communi in suis monasterijs peragendum. Hęc conclusionem docet Soto de Iustitia & Iure art. 4. vt supra Soto. Nauarrus de oratione cap. 5. num. 11. Syluest. verbo (Hora) Syluester. num. 10. & colligitur ex Clementina prima §. ne igitur, de Cle. 1. §. Ne celebratione missarum, & ex cap. 1. ad iuncta glossa verbo igitur de celebra. Miss. (persoluat) eodem titulo: vbi decernitur, Horas canonicas & c. 1. adiū. publicè in Ecclesia dici debere. Et ratione etiā constat: quia éta glo. eod. Monachi magna ex parte sunt sacris initiati sed nō est licitū titul. secundū iura (vt constat ex d. c. clericos & duobus sequentibus) vt clericorum conuentus expers sit diuini officij, ergo tenentur in communi Monasteria diuinum officiū recitare.

Ex quo infertur, Prælatos Religionum teneri sub reatu mortali (Si opportunitas adsit) diuinum officium in suis monasterijs publicè & in communi persolui curare. Dixi, Prælatos ad hoc teneri, quia hæc obligatio ad subditos non pertinet: imo neque vt horis publicè intersint, nisi alias ex aliquo alio statuto sub reatu mortali obligentur. Quauis Syluester (vt supra) quem sequutus est Angelus verbo (Hora) existimet, eum, qui in consuetudinem duxerit Horis Syluester. Angelus. canonicis nō adesse, Vel si ob ei⁹ absentiam quādo est sine rationabili causa, Ecclesia in celebratione diuini officij magnā iacturā pateretur (vt putà) quia non sunt alij illud potentes

competenter celebrare, peccare mortaliter. Cujus in hac re opinio quantum ad primum membrum, nempe, quantum ad eum, qui ex consuetudine abest, mihi nō probatur: quia consuetudo absque contemptu non inducit culpam mortalem, vt alibi latius diximus: licet de illis, ob quorum absentiam Chorus magnum & notable patitur detrimentum, Syluestri sententia probabilis appareat, quā sequutus est. Caie. verbo (Hora.) Nam quamuis subditi, aliqua lege eos graui-ter obligante, adesse Horis non teneantur: tamen ex vi legalis iustitiæ eorum absentia erit peccatum mortale: quia ex eorum negligentia Monasterium, notabile, & magnum subit detrimentum, quando in ipso publicè diuinum officium non recitatur, aut cum notabili irreuerentia persoluitur. Illud tamen est certum, Religiosum legitimè non occupatum, si choro non interfit, peccare venialiter: tum primo, quia hæc est peculiaris Choristarum professio: tum secundo, quia ex vi iuris & consuetudinis omnes tenentur publicè Horas persolvere: tum tertio & vrgentius, quia id nostra Regula præcipit in illis verbis, *Eas dicant secundum constitutionem sanctorum Patrum, & consuetudinem Ecclesie approbatam*: Cōsuetudo autem Ecclesie est, vt publicè omnes in Choro cōueniant: ergo ad minus ad veniale ex hac cōsuetudine obligantur: tum vltimò, quia non caret culpa graui, aliquem esse alicui muneri vel ministerio deputatum, & tale ministerium non adimplere.

Sed circa prædicta quæret aliquis, quæ oportunitas ad esse debeat, vt Prælat⁹ id curare teneatur? Respōdeo, de hoc satis apud authores non constare, colligi tamē posse hanc opportunitatē, & iudicandū fore de ea arbitrio boni viri ex pluribus circumstantijs, existimo: nempe, ex numero Religiosorum, ex temporis opportunitate, ex loci commoditate, ex populi scandalo, & alijs occasionibus. Quibus pensatis, prudens Prælat⁹ arbitrabitur, an expediat necne protunc diuinum officium solvere. Sed quia præcipua pars chori ex Religiosorum numero constat: meritò quis dubitabit, qualis numerus sufficiat, vt Prælat⁹ teneatur cum eis persolvere? Respōdeo, difficile esse etiam in hoc certam mensuram aut Regulam tradere, cum pendeat ex varia in Religio-
nibus

nibus Chori qualitate. Vnde numerus, qui in vna sufficeret in alia esset minimè conueniens. Cæterum quamuis existimem, certam regulam constitui non posse omnibus Religionibus communem: hoc tamen intelligo procedere in persoluatione diuini officij, quando eū cantu celebratur: sic enim in Religionibus taxari solet numerus eorum, qui ad minus adesse debent in choro, vt diuinæ laudes cum cantu persoluantur. Tamen vt saltem recitentur publicè & in communi sufficit duorum numerus, qui chorum componunt, & tantum ipsis assistentibus, chorus proprie dici potest. Testatur enim Diuus Isidorus chorum, in lege noua certo ac determinato numero non constare: ait enim lib. 1. de Choris cap. 3. *Chorus proprie multitudo canentium est, quiq; apud Iudeos non minus à decem constat canentibus: apud nos autem incerto numero à paucioribus pluribus ve, sine vlllo discrimine constat.* Hæc Isidorus.

Isidorus.

Dico Quinto Non solum tenentur Prælati, vt publica officij diuina in suis monasterijs recitatio fiat: verum etiam, vt diuinum officium debitis horis, & statutis temporibus persoluantur: ita, vt mortaliter peccent, si extra statuta tempora recitentur. Ita docent Caiet. Verbo (Hora) §. 4. Syluest. §. 9. Medin. C. de oratione questione de Horis Canonicis recitanda dis dubio. 1. Nauar. lib. de oratione cap. 3. num. 49. 56. & 78. Quod ita intelligendum est, non quod vno aut altero die tempus non obseruetur: sed quod sæpe mutetur, vel taliter mutetur, vt grauis peruersitas in recitandis Horis contingat. Hæc autem cōclusio colligi videtur ex clementina prima de celebratione missarū: vbi Concilium Vniuersale sic ait. *Neligitur transgressiones inualescant huiusmodi, alijsque veniant in exemplum: sancimus, vt illi, ad quos id pertinet, omni negligentia vel iniuria penitus relegata, circa reformanda præmissa, & eorum singula corrigenda, nec non vt cathedralibus, & Regularibus, & Collegiatis Ecclesijs horis debitis persoluantur, sollicitè curent diligentiam adhibere.* Hactenus Concilium. Quæ autem sint horæ debitæ, agunt Summistæ: verbo (Hora,) & inter iuniores doctè Bellarmino. to. 3. lib. 1. de bonis operibus cap. 11.

Cayetanus.

Syluester.

Medina.

Nauarrus.

Clem. 1. de

celeb. Miss.

Con. Vniuers.

Bellarmino.

Ultimo dico. Ex vi nostræ Regulæ tenentur Religiosi chorum pro diuino officio recitando adire. Id in primis colligo ex illis Regulæ verbis, *Hi qui horas Canonicas cum Clericis dicere norunt.* Quæ verba significant, simul cum clericis alios etiam Horas Canonicas persoluere, ac proinde omnes simul recitare. Secūdo colligo ex ca. de silentio, vbi dicitur, *Statuimus, vt dicto Completorio silentium teneatis, vsque ad Primam dictam sequentis diei.* Constat autem hoc non esse intelligendum de Completorio nec de Prima singulariter dictis: nam sic posset quisquā Completoriū vsque ad vndecimam horam differre, & Primam simili modo. Quare supponit Regula, tam Completorium, quàm Primam communiter ab omnibus recitari: & idem cēsendum est de alijs Horis. Tertio quia etsi expressè in Regula nō caueretur, vt horæ canonicæ persoluerentur ab omnibus simul: tamen, etiā si olim ad omnes Horas non conuenirent, nunc verò tenentur ex vi illorum verborum, *Eas dicant secundum constitutionem Sanctorum Patrum, & consuetudinē Ecclesiæ approbatā* Quam supra esse diximus, vt in Choro publice diuinum officium certis horis ab omnibus recitetur.

Tex.

Eas dicant secundum constitutionem Sanctorum Patrum, & consuetudinem Ecclesiæ approbatam &c.

D V B I V M II.

Quid intelligat Regula per Constitutionem Sanctorum Patrum, & consuetudinem Ecclesiæ approbatam?



Casianus.

T aperiamus Regulæ sensum, sciendum est, olim inter Monachos maximum dissidium fuisse circa modum Canonicis Orationibus statuendum, vt patet ex Casiano, præcipue ex cap. 2. lib. 2. institutionum. Per vniuersam enim Ægyptum & Thebaydam certus & legitimis orationum modus ex Maiorum consti-

tu-

tutionibus (eodem teste Cassiano ca. 3. vt supra) obseruabatur. De hac ergo circa diuinum officium Sanctorum Patrum constitutione fortè Regula loquitur, vel certè de ea, quæ apud Palestinæ & Syriæ cænobia receptissima erat, (de qua idem Cassian. libr. 3. ferè per totum loquitur.) Et hoc mihi magis probatur. Nam cum Maiores nostri per multa sæcula in Palestinæ cænobijs habitassent: credendum est, eos à Palestinis & non ab Aegyptijs monachis constitutionem hanc accepisse. Qualis autem fuerit Palestinorum in oratione mos siue constitutio, latius tractat idem Cassianus lib. 3 per totum.

Cassianus.

Secundo oportet etiam declarare, quid significet Regula illis verbis: *Consuetudinem Ecclesiæ approbatam*. Cuius resolutio facilis est, si aduertas id, quod nuper dicebamus: ordinem nostrum initium in Palestinæ partibus sumpsisse. Vnde maiores nostri semper Patriarchas Hierosolymitanos coluerunt, & Ecclesiam Hierosolymitanam, eiusque instituta, & præcepta in eo, in quo tenebantur, amplexi sunt. Quare et si in recitandis Horis antiquam Patrum constitutionem amplecterentur: eam tamen secundum consuetudinem & formam Hierosolymitanæ Ecclesiæ obseruabant. Vnde vsque ad nostra tempora, nempe, vsque ad annum 1586. in quo Sixtus Quintus nobis Breuiarium Romanum indultit; perdurauit. Regula igitur, cum præcipit dicere diuinum officium secundum consuetudinem Ecclesiæ approbatam, sine dubio de consuetudine Hierosolymitanæ Ecclesiæ est accipienda.

Sed cum iam prædictum Breuiarium Hierosolymitanum non sit apud nos in vsu: non est cur modo immeremur amplius in inuestigandis illis Patrum constitutionibus, & Hierosolymitanæ Ecclesiæ vsu, & orandi consuetudine: cum iam, loco istorum, constitutiones Romanæ Ecclesiæ, eiusque ritus in recitandis Horis Canonicis sequi teneamur. Qui verò sint huiusmodi ritus, & constitutiones, non est nostrum in hoc loco latius explicare: sufficiet tamen, si breuiter aliqua attingamus de his, quæ requiruntur ad officium diuinum debite persoluendum.

Es,

Ea, quæ ad officium diuinum, secundum Ecclesiæ Romanæ canones, necessaria sunt, ad septē capita reduci possunt: nempe, ad integritatem, ordinem, qualitatem, locum, tempus, attentionem & deuotionem: de quibus latè Summistę. Primo ad integritatem diuini officij spectat, vt nulla prætermittatur ex principalibus Horis, tam illarum quæ ad diurnum, quam earum quæ ad nocturnum spectāt, officiū. Præterea ad hanc reducitur, vt nulla ex minoribus partibus, ex quibus Horæ componūtur, prætermittatur: vt sunt Psalmi, Hymni, Lektionen, Orationes &c. nec non, & aliæ minimæ partes, ex quibus hæ minores partes coalescunt, vt sunt versus, vel verba: in quibus omnibus, secundum maiorem vel minorem quantitatem materiæ, magis aut minus delinquitur. Secundo, vt recte officium persoluatur, ordo requiritur, qui in eo consistit, vt singula proprijs & debitis locis recitentur, ita, vt officia priorum Horarū prius, & posteriorū posterius persoluātur. Si autē hic ordo ab aliquo in particulari prætermittatur, non erit nisi veniale, si aliàs iusta causa non adsit: nam si ob rationabilē causam fiat, nullū erit peccatū. Si verò à Cōmunitate hic ordo nō seruetur, graue erit peccatū, nisi id aliqua vrgēs causa postulauerit.

Tertio, de loco, in quo diuinæ laudes recitandæ sunt, diximus dubio præcedenti, dū loqueremur de Horis publicè persoluendis. Priuatim verò peragenti officium non est certus designatus locus, vbique enim id perfici potest: quāuis vt loca turpia vitemus, consilium sit D. Ambrosij in illa verba. 1. ad Timoth. 2. *Volo vos orare omni loco.*

De tempore vero officia diuina persoluendi, cum distinctione loquendum est. Nā si loquimur de his, qui publicè officium dicunt, vt debitè absque vllō peccato suo muneri satisfaciant, debēt officia siue partes totius officij statutis horis celebrare, de quibus diximus difficultate præcedēti. Orātes autem priuatim, si sine iusta causa tempora debita omitant, solum venialiter peccant.

Notandum est tamen, ex priuilegio posse Generalem ordinis cum capitulo, vel saltem cum seniorum consilio, circa recitationem officij statutas horas determinare. Sic concessit Eugenius III. Ordini B. Bernardi, vt in compendio eorū

habetur

Ambros.

Compendiū

habetur verbo (diuinum officium) §. 1. & Martinus. V. cap. Generali ordinis B. Hieronymi, vt habetur in eorū compēdio verbo (officiū diuinum) §. 3.

Quinto requiritur attentio, quæ ab authoribus triplex distinguitur: alia ad verba: alia ad sententiam: tertia ad ipsum Deum, qui oratur; de quibus latè Summistæ vt supra. *Con. Later.*

Sexto Concilium Generale Lateranense requirit deuotionē, vt diuinū officiū recte persoluatur: vt patet ex c. dolētes de celebratione Missarū. Nomine autē (deuotionis) intelligitur & interna mentis prōptitudo ad Deū laudandū, & externa promptitudo ad exteriores actus Religionis exercēdos: vt ad genu flectēdū, inclinādū, prostrādūve corpus. Hęc tamē deuotio nō cadit sub præcepto mortalis peccati.

Ad deuotionem externam reuocari potest, vt cū cantū diuinum officiū celebretur: hoc enim infirmorū animi exciātur ad laudes Dei, & tēdiū expellendū, quod ex prolixitate officij non raro oriri solet. Est autē cātus in Ecclesia vti hñsimus, vt latius contra hæreticos probat noster Vvalden. tom. 3. de sacramētalibus tit. 2. & latissimè ferè omnes nostri temporis controuersarij. Aduertit tamen Vvaldensis *Vvaldens.* c. 18. vt supra, quod, quamuis communi populo proffit cantus, perfectis tamē viris interdū magis prodesse potest vox summissa, quàm alta, vt ipse Augustinus lib. 10. confessionū *Augustinus.* c. 34. de ipso fatetur: vbi ait. *Tu tuis mihi videtur quod Alexandrino episcopo Athanasio sæpe mihi dictum commemorari, qui tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem psalmi, vt pronuntianti vicinior esset, quàm canenti &c.* Vnde D. Isidorus li. 1. de officijs cap. Bruno Primitiua (inquit) Ecclesia ita psallebat, vt modico flexu vocis faceret resonare psal lentem, ita, vt pronuntianti vicinior esset, quàm canenti. Propter carnales in Ecclesia, non propter spirituales consuetudo cantandi instituta est, vt, quia verbis non compungitur, suauitate modulaminis moueatur. *Isidorus.*


Vltimo, qualitas quoque officij obseruanda est, ita, vt clerici formam Breuiarij Romani sequantur: alix verò Religiones siue congregationes, quæ ex speciali privilegio specialem habent modum recitandi, illum sequantur. Ita enim ca

*Etiam si in
Kalend.*

uetur in Bulla Pij Quinti in initio Breuiarij posita. Et ad hoc reducitur, vt festiuitates propriæ alicuius loci, congregatio nis, aut Religionis, etiã si in Kalêdario Romano nõ sint ap- posita, dũmodo alias in prædictis cõgregationibus vel Reli- gionibus cõsuetudo fuerit, eas solenniter celebrãdi, debeãt iuxta formã & tenorẽ Breuiarij Romani recitari, vt habetur in principio Rubricarũ Breuiarij Romani. Sed quia nos no- uiter Romanũ officiũ, Carmelitano relicto, suscepimus: con- gruẽrit examinare hanc nouam in ordine subortã difficul- tatẽ de sanctis, ac solẽnitatibus olim in Carmelitano rece- ptis, & ex consuetudine antiqua recitatis, an possint nunc etiam sine Breuiarij Romani præiudicio recitari.

D V B I V M III.

*An festa omnia Sanctõrum, ac alia solenni-
tates, quæ olim in Breuiario Carmelitano re-
citabantur, debeant etiam in Ro-
mano recitari.*

 Vpono primo in ordine nostro proprium fuisse orandi modũ ac Breuiariũ: quod etiã adhuc inter mitigationis fratres perdurat. Nam cũ Pius V. in Bulla, quã de receptione Breuiarij Romani edidit, exceperit à Roma ni Breuiarij, vt omnes illas congregationes, quarũ institu- tio dictum Breuiariũ ducentos annos antecesserat, dummo- do constaret, illas alijs certis Breuiarijs vsas fuisse: factũ est, vt Carmelitarum ordo propriũ & antiquũ Breuiariũ (etiã post editionẽ Romani) retinuerit: quod apud nos in refor- matione etiã in vsu fuit vsque ad annũ 1586. in quo à Sixto V. Romanũ impetrauim⁹. Secũdò præmittẽdũ est, facultatẽ esse cuiquẽque cõgregationi a Pio V. in dicta Bulla cõcessam propriũ omittẽdi Breuiarium, & ad Romanum transeundi. Nam liberum est unicuique, proprio fauori ac priuilegio re- nunciare, & ius commune ac vniuersale amplecti. Hoc tamẽ
in

in Religione fieri debet, vt ibi præscribit Pius V. de consensu capituli generalis, quod cum tunc habere non possent fratres Discalciati, nec possibile esset talem facultatem a totius ordinis cap. obtinere: à summo Pontifice similis facultas vtendi Breuiario Romano impetrata est.

Hac igitur facultate consequuta, statim exortum est in ordine dubium, an festa Sanctorum ac aliarum solēnitates, quæ in Carmelitano celebrabantur, quæ tamen non erant in Calendario Breuiarij Romani, deberent in Romano Calendario inferi, & secundum eius modum ac formam recitari.

Cuius quidem dubij solutio satis perspicua ac nota videtur. Nā præ foribus ipsius Romani Breuiarij in Rubrica prima qua declarat Pontifex, de quibus festiuitatibus in Breuiario Romano officium fieri debeat, habetur, *Officium fit duplex in festis, in quibus in Calendario apponitur vox (duplex) & in festis Sanctorum, qui apud quasdam Religiones consueuerunt sollemniter celebrari cum eorum octauis consuetis, & officijs proprijs à sede Apostolica approbatis, aut ex eiusdem sedis auctoritate receptis, aut recipiendis, seruata tamen forma huius Breuiarij: alioquin de communi, etiam si prædicta festa in Calendario Romano non sint apposita.* Eadem etiam verba repetit infra Rubrica secunda de officio semiduplici. Hæc Breuiarium Rom. vt supra.

Quibus verbis quinque clare & manifeste indicantur. Primum est, Ecclesiam non solum præbere facultatem prædictis congregationibus, propria sanctorum festa celebrandi: verum & id præcipere. Patet hoc ex ipsis Rubricæ verbis, in qua eodem tenore præcipitur, festa in Calendario apposita ac propria cuiuscunque congregationis recitare, *Officiū enim (inquit) fit duplex in festis, in quibus in Calendario ponitur vox (duplex) & in festis Sanctorum, qui apud quasdam religiones consueuerunt sollemniter celebrari & c.*

Secundo ex supra dictis verbis dicendum est posse in Religionibus recitari officia propria de his sanctis, etiam si hæc officia à sede Apost. nō sint approbata: dummodo digna sint officia, vt approbentur, vel Religio eis vtatur animo à sede Apostolica confirmacionem

mationem impetrandi: quod patet ex illis verbis, *Cum eorū officijs proprijs sedis autoritate receptis, aut recipiēdis.* Quod si ista festa proprijs officijs non gaudeant, recitanda sunt secundum commune, vt constat ex illis verbis, *Alioqui de cōmuni.* Quare existimo, si de communi officium fiat, non requiri aliam apostolicæ sedis approbationē, cū iam sit approbatum. Tertio licet colligere, tam in officio proprio, quam in alijs seruandam esse formam à Breuiario Romano præscriptam: quod indicant illa verba, *Seruata tamen forma huius Breuiarij Romani.* Forma autem Breuiarij Romani nihil aliud est quàm quòd seruetur modus in diuino officio celebrādo in Rubricis assignatus: nempe, vt si festum sit duplex, officium verbi gratia, Matutinum nouem habet lectiones, & post quā libet Responsorialia apponantur: Antiphonæ ante psalmos, & post illos integræ repetātur: & alia quæ indictis Rubricis præcipiuntur. ¶ Quarto in his verbis cōsiderādū est, aliaprocedere de festis proprijs cuiusque cōgregationis, quæ apud illas cōsueuerūt celebrari, etiā si in Kalendario Breuiarij Romani aposita nō sint, vt ex ipso verborū cōtextu plusquam manifestè patet. ¶ Ex quibus vltimo fit, quod quāuis ecclesia nō velit laudabilē Religionū propria sanctorū officia recitandi cōsuetudinē de medio tollere: vult tamen, omnes cōgregationes formā ac modū Breuiarij Romani in recitandis officijs seruare. Ex quo etiā inferitur (quod est maximè in nostro proposito cōsiderandū) aliud esse in recitatione officij numerū sanctorū, de quibus officium fieri debet, aliud vero formam, quæ in tali persoluēdo officio seruanda est. Quare liberū erat ordinis Prælati, (imo & necessariū, vt infra de nō strabimus) post facultatem à Sixto V. recitādi Romanū cōcessam, proprias ordinis festiuitates, sicut & antea (seruata tamen forma huius Breuiarij) cum officio proprio vel cōmuni celebrare. At quia tutius visum fuit, Apostolicā sedē de re tam graui consulere, à Sixto V. postularunt, vt hanc sibi aliàs a iure concessam facultatē cōfirmare dignaretur. Sæpe enim contingere solet, rem aliquam aliàs communi iu-

Ca. 1. de re
scrip. c. quā
quā 23. dist. re concessam in specie à sede Apostolica impetrari, vt patet
ex c. 1. de rescript. & ca. quamquam 23. distinctione cum si
milibus. Et certe si quid aliud petitū fuit, hoc præcipuū esse

vide-

Videbatur, vt officia Sanctorum propria autoritate Pontificia approbarentur: quod diximus supra praequiri in officijs proprijs Sactorum, quæ in Kalendario Romano non apponuntur. Quod autem hoc contineret ordinis petitio apud Romanum Pontificem facta, patet ex Bulla eiusdem Sixti Quinti in initio Quinterni Sanctorum ordinis posita: vbi sic inquit.

Sed quia iam diu vetus viget in vestro ordine laudabilis consuetudo, dies festos in honorem Beatae Mariae, & quorundam Sanctorum solenniter celebrandi: ideo nobis humiliter supplicari fecisti, vt Religiosum istud institutum auctoritate Apostolica comprobare dignaremur. Ex quibus constat, à sede Apostolica non fuisse postulatum, vt aliquid de nouo concederet, sed potius vt comprobaret, id est, approbaret siue confirmaret id, quod antea iure communi cōcessum erat. Concessit igitur, & approbavit Sixtus Quintus antiquam ordinis recitandi de proprijs festis consuetudinem: vt patet ex prædicta Bulla: & insuper adiecit: *Dummodò tam in Missa, quàm in recitandis Horis canonicis diurnis ac nocturnis, modum ac formam descriptam in Quinterno seu libello per dilectos filios nostros Antonium Sanctorum Ioannis, & Pauli, Garassam, & Vincentium, Sanctæ Mariæ in via, titularum Præbiteros Cardinales Montis Regalis nuncupatos, de mandato nostro renisso, correcto, & approbato in hoc seruetis, & nihil penitus addatis vel minuatis &c.* Prædicti igitur Cardinales in dicto libello seu Quinterno Beatae Mariæ Virgini ac quibusdam alijs, paucissimis tamen Ordinis festiuitatibus officia propria designarunt: & plures alias ab ordine consuetudine receptas omittentes, vllam de eis mentionem non facere.

Modò igitur præsens difficultas in eo sita est, an præter dictas festiuitates in Quinterno à Cardinalibus designatas liceat in ordine de alijs, quæ olim consuetudine erant receptæ, in Quinterno verò nouo non sunt apposite, propria aut communia officia celebrare.

Pro parte negatiua in primis vrgēt verba illa in prædicta Bulla appoſita, *Modū ac formā deſcriptā per dilectos filios Cardinales &c. obſeruetis, & nihil penitus addatis aut diminuatīs.* Quare cū prædicti Cardinales numerū ac formā Sāctorū designauerint, minime licere videt, eis qd quā penit? adere vel detrāere.

Secūdo, quia tēpore Gregorij XIII. Romani Pōtificis, dū tota Religio reformaret Carmelitanū officiū, ab eo petijt, vt aliquas feſtiuitates, de quibus fieri officiū in ordine cōſueuerat, ſimul cū nouo Carmelitano Breuiario approbaret. Et quāuis Pōtifex prædictū Breuiariū cōfirmavit, feſtiuitates vero alias, præter illas, quæ in illius kalendario cōtinētur, cōprobare noluit. Igitur cū rectādi de his expreſſe ſit a ſede Apoſt. de negata licētia nō videt id nūc. quoquo modo licere.

Tertio, quia ordinis Generalis procurator fatetur, ſe alias feſtiuitates, præter eas, quæ in Quinterno cōtinētur, innixe procuraffe, & obtinere à prædictis Cardinalibus nō potuiſſe.

Quarto, quia olim celebrabantur feſtiuitates plurimorū Sanctorum, qui nondum ab Eccleſia erant canonicati: quod ſecundum formam Breuiarij Romani nunquam fit.

Quinto, quia illa ordinis conſuetudo fundamēto vllō nō innitebatur, ac ideo potius corruptela dicenda eſt.

Vltimo, quia forte ſi de omnibus, de quibus olim erat cōſuetum, officiū fieret, non eſſet locus ferias vllas recitandi: atque adeo non ſeruaretur forma Breuiarij Romani.

Prima cōcluſio. In ordine licitè fieri officiū poteſt de illis feſtiuitatibus, de quibus antea in ea officiū fieri cōſueuerat. Primò probatur ex iure cōmuni Rubricarū: nā hoc in Rubrica prima & ſecūda (vt initio huius difficultatis dicebamus) clariffimè decernitur: nec tergiuerſari vllō modo illa verba poſſunt: nec credēdū eſt Sixtū V. in Bulla prædicta eis vllō modo cōtradicerē voluiſſe: nec iuris cōmunis decifio abrogatur, niſi ei fuerit ſpecialiter derogatū. At Sixtus V. in relata Bulla nō ſolū nō derogauit cōmuniſus Eccleſie rubricis: verū eas expreſſe cōfirmavit. Nā poſt quā retulit ordinis ſibi factā ſupplicationē, vt laudabilē cōſuetudinē, dies feſtos Beatæ Mariæ & quorūdā Sāctorū ſolēniter celebrandi, cōprobaret, poſtea ait: *Nos itaque veſtris inclinati ſupplicationibus &c. officiū prædictorū feſtorū vbique recitare libere & licite poſſitis*

tis, auctoritate Apostolicā indulgemus. Vbi illa verba, *Prædictorū festorum*, referenda sunt ad illa, quæ in supplicatione cōtinebātur, nempe, *Sed quia iā diu vetus viget in vestro ordine laudabilis cōsuetudo, dies Beatae Mariæ & quorūdā sanctorū solēniter celebrāditur*. Quare cū in hac ordinis petitione nō fuerit Sāctorū numerus restrictus, nec limitatus: sedeorū omniū, de quibus cōsueuerāt officia celebrari, mētio fiat: manifestè colligitur, quod illa verba, *Prædictorū sanctorū*, quæ de his relationē faciūt, nō sint limitāda, sed potius referēda ad omnes illas festiuitates de quibus in ordine cōsuetudo erat, diuina officia recitādi. Et sic summus Pontifex in hac Bulla approbat consuetudinem ordinis absque vlla restrictione.

Secundo, quia rescripta Pontificum exponi debent iuxta iuris communis regulas, vt constat ex c. cum causam, de rescript. c. licet de præb. vbi communiter Doctores. Quare hæc Bulla interpretari debet iuxta communes Rubricarum Ecclesiæ vniuersalis regulas. Præcipuè, quia ferè semper vitari debet iuris communis correctio, nisi hoc expresse intendatur. c. cum expediat de electione. Quare in nostro casu, absque dubio Sixti Quinti Bulla iuxta communes Rubricas intelligenda, atque interpretanda est.

Tertio, quia secundum receptam iuris regulam, Quod in gratiam alicuius conceditur, non debet in eius odium retorqueri cap. quod in gratiam de reg. iur. libr. 6. iuncta lege Quod in fauorem. C. de legibus. Ergo si summus Pontifex hanc Bullam, quantum ad officia Sanctorum, in fauorem & priuilegium Religionis edidit, vt patet ex illis Bullæ verbis, *Auctoritate Apostolica indulgemus*, quæ gratiam ac priuilegium sonant c. cum ordinem de rescript. cap. in his cap. dudum de priuilegijs, tradideruntque Abb. Innocen. Hostien. Fellin. & Decius ca. primo de rescriptis, cum alijs relationibus à Menochio cōf. 39. volumine primo: nō est cur quis credeat, ab ordine nūc per hanc Bullā fuisse ablatā facultatē, quæ antea illi iure cōmuni Rubricarū cōpetebat: quia iā nō hoc priuilegiū, sed potius odiū & Religionis dānū videtur: cū nō solū fauorē aliquē specialē nō præferat, verū & id, quod alias iure erat cōcessū, de medio tollat, ac perimat: quod minime in simili casu secūdū iuris regulas præsumendū est.

Cap. cā causam de Rescripti. c. licet de Præben.

Cap. cum expediat de Electione.

Cap. Quod in gratia de Reg. iur. lib. 6. iuncta lege, Quod in fauorē C. de legibus.

Cap. cum ordinem de rescript. cap. in his cap. dudum de priuilegijs.

Innocentius Hostiensis.

Felinus.

Decius.

Menochius.

Ultimo : quia si ob aliquam rationem nunc non liceret hæc facta recitare, maxime ob illa verba Bullæ, nempe, *Modum ac formam descriptam in hoc Quinterno obseruetis, & nihil penitus addatis vel minuatis.* Sed certè si prædicta Bulla, & omnia eius verba attentè considerentur, expresse in ea nihil aliud cauetur, quàm vt officium fiat de omnibus Sanctis, de quibus antea erat in ordine consuetum seruata forma à Cardinalibus præscripta. Et ita potius videtur quædam declaratio siue confirmatio primæ rubricæ Breuiarij Romani, in qua decernitur, vt ea officia celebrentur etiam nunc post receptum Romanum, quæ consueuerunt in Religionibus celebrari, seruata tamen forma Breuiarij Romani (in sensu, quo supra hoc nomen (forma) exposuimus.) Et vt hoc rectius & tutius fiat, in dicta Rubrica præcipitur, vt officia Sanctorum propria à sede Apostolica approbentur. Hoc igitur omnino est & non aliud, quod Sixtus Quintus in hac Bulla decernit: in qua primo quidem approbat consuetudinem ordinis antiquam, deinde tamen vult, vt in earum festiuitatum forma assignanda, siue in officio proprio (quod idem est,) seruemus modum à dictis Cardinalibus auctoritate Pontificia præceptum. Modum (inquam) ac formam, non numerum festiuitatum. Nam hæc saltem, quæ in consuetudine erant, iam erant approbatæ, tum à Sixto Quinto in dicta Bulla, tum à generalibus rubricis. Solum igitur vult, seruari formam ac modum recitandi à Cardinalibus designatum.

Et Confirmatur, seu potius amplius declaratur. Nam hæc sunt verba generalis Rubricæ, *Officium fit duplex in festis Sanctorum, qui apud quasdam Religiones consueuerunt solenniter celebrari cum eorum officijs proprijs à sede Apostolica receptis aut recipiendis: seruata tamen forma huius Breuiarij, alioqui de communi &c.* Ecce, quo modo etiam si consuetudinem Religionum proprias festiuitates celebrandi approbet, reseruat tamen soli sedi Apostolicæ potestatem officia propria & eorum formam examinandi. Quid ergo est aliud quod hic Sixtus Quintus statuit, qui in primis nostri ordinis consuetudinem confirmat, & postea formam in officijs

officijs proprijs Sanctorum seruandam, Cardinalibus prædictis examinandam ac constituendam reseruat: cui neque addendum, neque diminuendum, præcipit.

Secunda conclusio. Prædicti Cardinales à Sixto V. designati, nulla ratione limitarunt festiuitates olim in ordine consuetas celebrari. Patet primo, quia in toto illo libello siue Quinterno talis limitatio, aut restrictio non inuentur. Neque est argumentum sufficiens, imò neque apprens, illas festiuitates tantum designasse & non alias: quia illic tantum egerunt de illis festiuitatibus, quæ officium proprium habebant, cæteras verò prætermiserunt, vt de illis fieri possit in ordine officium de communi, iuxta prædictam Rubricam in illis Verbis. *Alioqui officium de communi fiat.* Et confirmatur, quia quando in aliqua dispositione seu constitutione aliquis casus omittitur, de eo iudicandum est secundum regulas iuris communis, (vt tritum iuris peritorum prouerbium habet.) Quare, cum iste casus prætermisus sit à Cardinalibus, de eo ferendum est iudicium secundum communes Rubricarum Regulas: ac proinde, licet de his festiuitatibus propria officia non dentur, communia verò eis minimè debent denegari.

Secundo, Quia, etsi Cardinales Vellent, fortè non possent sine speciali à Summo Pontifice ad hoc eis concessa facultate, consuetas in ordine olim festiuitates limitare: quia Summus Pontifex eas in initio Bullæ confirmat, & tantum Cardinalibus relinquit ac delegat modum ac formam, proprium officium examinandi: quod valdè diuersum est, vt ex superioribus patet, ab hoc quod est, denuò festiuitates aliquas concedere, aut ex concessis detrahere. Quare ipsi non possent, vltra hanc facultatem sibi concessam, quicquã prædictarum festiuitatum numero addere, vel minuere. Et confirmatur: quia Cardinales à sede Apostolica nõ habuere facultatem addendi aliquas festiuitates, præter eas, quæ in ordine erant in vsu: ergo nec potestatem acceperunt aliquam auferendi. Antecedens ex Bulla patet, ac proinde & consequens.

Tertia Conclusio. Non solum in ordine nunc est facultas, consuetas olim officia celebrandi, verum ad id tenemur

eo modo, quo obligamur celebrare cæteras festiuitates in Kalédario Romano annumeratas. Hæc cōclusio patet ex Rubrica prima, in qua vtrumque eodem verborum tenore præcipitur, vt patet ex his, quæ superius diximus.

Hæc tria à nobis dicta, cum alijs, quæ de proprijs ordinis festiuitatibus supra retulimus, in Academia Complutēsi, communi Doctōrū calculo ac subscriptione propria, vt vera & certa anno. 1592. confirmata sunt. Subscripserunt enim huic nostræ sentētiæ ex Theologis Doctōr Frācisus Martinez, Primarius Cathedræ Theologiæ, & nūc meritissimus Canariēsis Episcopus, ac doctissimus Pater Vazquez societatis Iesu, & ex Canonistis Doctōr Salzedo, in priori Canonum Cathedra Regens, ac Felicianus, Cathedraticus Decreti, & alij inferioris notæ.

D. Francis-
cus Marti-
nez, Pater
Vazquez,
Doctōr Sal-
zedo.
Felicianus.

Quarta Conclusio. Hæc festa, de quibus superioribus cōclusionibus actū est, nō est necessariū, quòd sint propria, id est, de Sāctis proprijs alicuius religionis: sed sufficit, quòd de eis in tali Religione consueuerit officiū recitari. Hæc cōclusio patet ex verbis tā Rubricæ primæ quā Bullæ Sixti V. Vbi tātū præcipitur, vt sint festiuitates cōsuetæ in Religione aliqua celebrari. Quare non est opus, amplius in huius conclusionis confirmatione immorari.

Ad argumēta in contrariū posita respōdetur. Ad primū euidenter patet solutio ex dictis, nēpè, quòd formæ à Cardinalibus præscriptæ nihil addatur vel minuatur. Ex hoc tamē nō sequitur, (vt sæpius iam adnotauimus) non posse fieri officium de alijs festiuitatibus in Quinterno à Cardinalibus prætermisissis, dummodo fiat de communi.

Secūdū Argumentū no vrget. 1. Quia id, quod Gregorius obseruātia fratribus Breuiariū Carmelitanū obseruātibus negauit, potuit cōcedere, imo debuit Sixtus. V. nouę Discalceatorū reformationi: quia in ea receptus iam erat vsus Breuiarij Romani, in quo cauetur, vt religiones eo vtentes recitent festiuitates proprias, secundū consuetudines receptas.

Ad tertiū dico, qd dictū vel cōfessio Procuratoris Generalis nihil obest: tū primo, quia standū est iuri scripto, ex quo cōstat, nobis cōcessam fuisse hęc facultatē: tū secundo, quia potuit Procurator in hoc decipi, & fortē nō percipere men-

tem Bullæ, nec Summi Pontificis. Quod viris sapientibus etiam, plerumque contingere solet.

Ad Quartū Respōdetur, parū interesse, quòd in ordine esset vsus receptus recitādi officia aliquorū Sanctorū, qui nō dū erāt canonicati: quia hoc quotidie fit, & cōceditur ab Ecclesia aliquibus cōgregationibus: imò & olim antequā Sanctorū Canonicatio esset introducta, omnia officia fiebāt de sanctis nō Canonicatis. ¶ Ad quintum Respondetur, iudicandum esse pro Religione quātū ad hoc, quod maximum habuerit fundamentū recipiēdi plura Sāctorū officia. Nam cū olim ordinum Prælati potestātē haberent in suo ordine propriū cōdēdi Breuiarium; non mirū est, si pij sanctorum cultores proprijs officij eos voluissent venerari: maximè quia cū Religio nostra, tum in Ecclesia Hierosolymitana, tum, in Romana, pluribus annis floruisset, necessè erat, ex vtraque plures Sanctorum festiuitates recepisse. Et vt appareat hæc antiquissima Ordinis cōsuetudo aliquorum Sanctorū solemnitates recitandi, infra narrabimus, à quo tempore hæc festiuitates in Ordine consueuerint celebrari.

Ad vltimū Respōdetur. Adhuc, etiā si prædictæ festiuitates recitētur, locū ferijs relinqui. Imò etsi nō relinquatur, parū interest, dummodò seruetur forma Breuiarij Romani. Imò hæc est mens ipsius Breuiarij, vt dum officiū duplex vel semiduplex occurrerit, de feria minime fiat. Sed oportet, in hoc modū aliquē in ordine seruari, & nō ita amplè, vt fieri potest, hac vti facultate. Quare hic annumerare decreui, quæ sint festiuitates, quæ potissimū (eò modo quo antea) debeat obseruari: & similiter tēpora recēdere, ex quibus in ordine recitātur. ¶ Quamuis de omnibus ferè festiuitatibus, de quibus olim cōsuetū erat, nūc liceat officia celebrare: tamē oportet, in hoc modum præfigere. Quia, etsi vt in plurimū vera sint quæ superius probauimus: fateri tamen compellimur, amplā olim in ordine fuisse licentiā, (ne dicā abusum,) pro libito festā aliqua celebrandi. Quare oportet hic interfestiuitates discernere, & eas, quæ mature, & habito in capitulis Generalibus consilio olim fiebant, proponere, quibus absque vlla hæsitacione aut scrupulō nunc vtiliceat.

In primis, festiuitates omnes, quæ ad Virginē Mariā spectāt, illis diebus & solemnitatibus, cum eorum octauis, quibus

Germanus
Patriarch.
Constantino
pol.

Paleonydor.

Paleonydor.

bus antea recitabuntur, etiam modò recitandæ sunt. Nam cum sub sanctissimæ Virginis huius tutela Religio nostra militet, eam semper speciali deuotione, & honore est prosequenda. Quoniam, vt rectè Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, antiquus & grauis author, in oratione Virginis Dei paræ scripsit, *Quemadmodû continua respiratio nõ solum est signum vitæ, sed etiam causa: sic sanctissimum Mariæ nomen, quod in Dei seruorum ore assiduè versatur, simul est argumentum, quòd vera vita viuant.* Hæc ille. Quare huius Virginis laudes semper in ore fratrum nostrorum tam publice quàm priuatim versabantur. Et, vt nunc alia ordinis statuta omittam, illud notare par est cû Paleonydoro lib. 3. c. 10. ab hinc annis fere trecentis festum Conceptionis in ordine solemniter celebrari, Narbonæ Anno. 1306. statutum fuisse. Deinde aliæ etiam festiuitates Virginis semper fuerunt in vsu, & debent nunc obseruari: de quibus in Breuiario antiquo Carmelitano constat. Solum restat aperire, quando officium, quod semel in hebdomada de Domina nostra fieri solet, in ordine fuerit introductum. Pro quo sciendum est, quod in Capitulo Generali in monte Pefulano anno Domini. 1369. celebrato ordinatum fuit, (teste Paleonydoro vt supra. c. 12.) vt in Aductu semel in hebdomada fiat officium plenum de Beata Virgine: in quo capitulo fuit etiam designata forma officij. Idemque officium fieri in Quadragesima, statutum fuit in Capitulo Generali Podiensi, anno Domini. 1375. præterquam in vltima hebdomada Quadragesimæ, vt idem author. c. 12. narrat. Quando verò hæc immemorialis, & laudabilis ordinis consuetudo, vt per totum annum semel qualibet hebdomada fiat officium Deiparæ, originem sumpserit, certè scriptum non inuenio: fortè ita vetus est consuetudo, vt potius antiqua traditione, quam scriptura aliqua nitatur.

Præterea anno Domini. 1342. in Capitulo Generali Lugduni celebrato decretum fuit, vt octaua fieret de Sancto Michaeli. Paleonyd. lib. 3. c. 11.

Anno. 1321. in die Pentecostes, celebrato capitulo in monte Pefulano, statuerunt ordinis Patres, fieri officium

Nouem

noem lectionum de sanctis quorum nomina habentur in Canone Missæ, ac de sanctis Apollonia, & Barbara, Paleonodorus vt supra.

Anno Domini. 1339 in conuentu Lemouicensi, Capitulo Generali habito, decretum fuit, vt de sancto Martiali, & Timotheo fieret festum duplex, sicut de vno Apostolo, & duplex festum etiam de sancta Ursula: Insuper & Nouem lectionū de Sancto Mauro, & Saturnino. Paleonod. vt supra.

Anno Domini. 1456. in Capitulo Generali Parisijs celebrato sancitum fuit, quod de Sancto Lazaro fieret officium, sicut de vno Martyre & Pontifice. Paleonodorus libr. 3. *Paleonodorus.*
cap. 14.

Anno. 1478. in conuentu Grisiensi statutū fuit, quod fieret festum duplex vel totum duplex de omnibus illis sanctis, & octauis, in quibus diebus & octauis concessa est indulgentia In Sixtina, hoc est, in Bulla Sixti. IIII. Et in super quod fieret festum. 9. lectionum de Sancto Faustino & Iouita: de Sancto Honorato Episcopo & Confessore. 24. Aprilis: de Sancto Erasmo episcopo & Martyre. 3. die Iunij. Paleonodorus. c. 14.

Præterea anno. 1482. in Capitulo Generali Avinione habito ordinatum fuit, vt festum decem millium Martyrum esset duplex Paleonod. lib. 3. c. 14.

Hæc festa sunt, quæ vsquē ad sua tempora Paleonodorus cepit. In quo quidem nescio cui possit esse ambigendi locus, an possint nunc sicut & antea, secundum formam Breuiarij Romani de eis fieri officia: cum per tot annorum spatia in Religione horum Sanctorum festiuitates receptæ sint. Tum etiam omnes fere in Kalendario Romano annumerantur, licet non eadem solemnitatibus, ac in ordine, celebrentur.

Præterea in secundo loco & gradu certitudinis recensere licet proprias Sanctorum Ordinis solemnitates, de quibus absque vlla hesitatione, etiam si canonicati non sint, dum modo in ordine iam pridem sint recepti, eorumque festiuitates celebrandi viguerit consuetudo, officium fieri potest.

In tertio loco apponi debent omnes aliæ festiuitates Sanctorum, qui ab Ecclesia approbati seu canonicati sunt, quamuis

quamuis in Calendario Romano non numerentur, dummodo eorum officia consueuerint celebrari. Quæ autem sint hæ festiuitates in ordine, & quando institutæ, videndi sunt Ordinis Historiographi, qui à tempore Palconydori acta & gesta in Capitulis Generalibus recensuerunt: quos ego neq; inuenire neque videre potui. Possunt tamen hæ festiuitates elici ex Calendario antiquo Carmelitano. Præter has festiuitates, licet in rigore iuris aliæ possent recitari, omittendæ tamen merito sunt: tum, quia ad eorum officia peragenda nõ est ita certum fundamentum, ac infestiuitatibus prædictis: tum, quia nullus relinqueretur locus officium paruû B. Mariæ recitandi: quod certè alienû à ratione, & indecorû Religioni, quæ sub patrocínio Virginis militat, videtur.

D V B I V M I I I I.

An post Breuiarij Romani usum, in Ordine dici debeat Officium Beatae Virginis, sicut in Carmelitano consueuerat.



Hæc difficultas expeditam ac facilem habet solutionem. Nam Pius. V. in Bulla, quam circa Breuiarij Romani officium edidit, in primis licet ademerit omnibus recipientibus Breuiarium Romanum obligationem recitandi in particulari officium Beatae Virginis: hoc tamen ita fieri voluit, vt in illis congregationibus, in quibus antea in choro prædictum officium persoluebatur, adhuc hæc laudabilis consuetudo permaneret, vt patet ex illis verbis, *Hoc autem concedimus sine præiudicio sanctæ cõsuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus officium Beatae Mariæ Virginis in Choro dici consueuerat, ita, vt in ipsis seruetur ipsa laudabilis consuetudo celebrandi more solito.*

Hæc

Hæc Pius. V. satisque colligitur ex prædictis verbis contra Nauarrum, qui Miscellan. 70. de oratione censet, olim fuisse *Nauar. 3.* se iuris communis præceptum recitandi officium B. Mariæ: nam Pius. V. solum hanc consuetudinem vocat, ac proinde in iure de tali præcepto non constat, licet iure particulari Religionum aut congregationum esse de hoc præceptū. Et certè in nostra Religione dum Carmelitanum retinere mus, officium Beatæ Virginis non aliter, ac modò officium Romanum, Religiosos omnes tam in particulari, quam in communi obligabat.

Post hanc igitur Bullam Pij. V. supposito, quòd in nostra Religione esset præceptum siue consuetudo in choro officium Beatæ Virginis recitandi, non est dubium, quin modò eadem maneat obligatio: quamuis ab illa in particulari & extrà chorum omnes excepti sint. Difficultas ergo superest, quem comprehendat, siue astringat hæc obligatio in choro recitandi: & an ad omnes in particulari, an verò ad Communitatem, siue hoc quòd ad singulos deriuetur, vel denique ad Prælatum solum extendatur?

Primus dicendi modus est aliquorum, qui existimant, omnes existentes in choro dum officium Beatæ Mariæ persoluitur, obligari sub mortali ad attentionem, & ad cæteras circumstantias, quæ in officio diuino maiori obligant. Quæ sententia his argumentis niti potest.

Primo, Quia cum obliget chorum, ex consequenti manifestū videtur, quam omnes etiam existentes in choro obligare debeat. Nam cum certum sit, quòd non obliget chorum in abstracto & vniuersali: fatendum erit, obligare membra & partes chori, quales sunt ibi existentes.

Secundo, Quia si non obligaret singulos, sæpe contingeret, vt officium diuinum in choro absque attentione & intentione celebraretur: & sic idem esset ac si non persolueretur. Antec. patet. Quia ea est hominū conditio, vt in his, in quibus arctè non obligantur, facile deficient: & sic fieri posset, omnes non attendere. Tertio, videtur pro hac parte pugnare etiam communis Religionis consensus.

Hic tamē modus dicēdi in primis nō placet. Quia cū oēs in particulari ab hac cōditione à sede Apostolica excepti
sint,

sint; durum videtur, eo ipso quòd choro assistant, eos tam strictè & arctè obligare: quia iam essent melioris conditionis non assistentes Choro, neque officium Virginis recitantes, cùm ab his periculis & laqueis liberentur.

Secundo. Quia per hanc sententiam à choro viri timorati, & præcipue, scrupulosi arcerentur. Et præterea lequei conscientijs iniiciendi non sunt, dum salva veritate ac Dei honore fieri potest.

Secundus modus dicendi circa hanc difficultatem esse potest, officium Beatæ Virginis obligare in choro totam Communitatem, neminem vero in particulari: sicut in simili casu, de illo præcepto Genes. 1. *Crescite, & multiplicamini*, Diuus Tho. 22. q. 152. art. 2. ad primum censet. Qui asserit, hoc præceptum Domini non obligasse omnes, & singulos homines: sed tantum ipsam multitudinem. Vbi distinguit inter debitum, & obligationem præceptorum: quòd aliud est debitum non à singulis, sed à tota multitudine adimplendum, & tunc non quilibet de multitudine tenetur: aliud vero, quod à singulis impleri debet. Eodem modo videtur philosophandum esse in præsentì, nempe, quòd illud præceptum, vt officium in choro persoluatur, non obligat singulos, sed tantum totam communitatem) neminem verò in particulari.

D. Thomas.

Sed objicies: quia prædictum præceptum, *Crescite, &c.* licet neminem determinatè obliget, obligat tamen indeterminate omnes, ita, vt tempore necessitatis tenerentur illud homines adimplere. Igitur simili modo, saltem tempore, quo pauci choro assistunt, omnes ad attentionem tenebuntur: alias periculum esset, vt officium diuinum in choro sine attentione celebraretur.

Respondeo, Quòd licet verum sit, illud præceptum obligare singulos tempore necessitatis, vt bona, & maior pars Theologorum fatetur, quia illud omnes ex vi sua, licet non determinatè, obligat tamen indeterminate: tamen præceptum recitandi officium Beatæ Mariæ neminem, neque determinatè, neque indeterminate, in particulari obligat sub mortali: imò expressè voluit Pius. V. singulos ab hac obligatione eximere: & idco tempore etiam necessitatis non obligantur

tur sub mortali ad attentionem: sed satis est, quòd obligentur sub incurfione culpæ venialis ad eam attentionem, quæ ex natura rei annexa est officio diuino.

Vel fecundò Rēfpoñdeo, quòd tempore necessitatis obligat existentes in choro, vt illud perfoluatur, non verò obligat ad attentionē: quod est dicere, quod hoc præceptū, vt officiū huiusmodi fiat in choro, obligat totā communitatē in choro afsistentē, vt recitet illud: non tamē obligat singulos in particulari, sicut præceptū, *Crescite &c.* At si ita pauci adessent choro, vt sine illis commodè non posset recitari, tunc tenerētur illi omnes ad recitandū, licet nō ad attentionē sub culpa mortali. Et hæc solutio secūda melior videtur.

Quod si quis adhuc vrgeat, quòd Pius V. licet in particulari omnes ab hac obligatione absoluat, loqui tamē ibi videtur de illis, qui particulariter extrā chorū recitāt, non vero de eis, qui choro afsistunt: Rēfpoñdendū est absolutè ablatā fuisse à Pio V. omnibus in particulari prædictā obligationem, vt ex ipsa Bulla patet: & solum constat, voluisse hoc concedere sine præiudicio earum Ecclesiarū, in quibus prædictum officium dici consueuerat. Et sic dicendum est, per illa verba noluisse Summum Pontificem singulos in choro obligare, vt infra patebit.

Tertio obijcies: si Papa relinquit congregationibus antiquum morem & consuetudinem ab eis in choro seruatam: ergo in illis congregationibus, in quibus antea officiū Virginis singulos chori obligabat, vt dictum est de nostra Religione, etiam nunc cū retinenda sit eadem consuetudo, eodem modo obligabit.

[Adhuc prædictæ obiectioni rēfpoñdeo, etiā si olim omnes in choro presentes ad officiū Virginis obligarētur: tamē post prædictā Bullā Pij. V. hæc obligationē cessasse videri: quia cū olim ad omnes pertineret obligatio recitādi in particulari, ex ea fiebat: vt in choro oēs tenerētur. Quare cū à Pio V. illa obligatio recitādi in particulari, quæ huius obligationis in cōmuni erat principiū, & quasi radix, quantum ad singulos sublata sit, ex consequenti etiam in choro cessare debet.

Potest etiam alia tertia via huius difficultatis nodus dissolui, nempe, quòd illa obligatio recitandi officium Beatæ

Virginis in choro. nec comprehendat singulos, vt primus modus assererat, nec communitatem, vt præcedens affirmabat: sed tantum ipsum Prælatum. Pro quo oportet notare, Præceptum verbi gratia recitandi officium diuinum triplici via posse obligare Communitatem. Primo ita, vt singulos comprehendat & obliget, quemadmodum fit nunc in Officio maiori. Secundo, vt obliget tantum Prælatum ipsum, non solum vt recitet ipse, sicut & alij: sed etiam vt faciat Officium Diuinum publicè in choro siue Ecclesia recitari: quo sensu verè potest dici, quod obligatio persoluedi publicè Officium in choro spectat ad Prælatum. Tertio potest præceptum communitatem non pro singulis, sed tantum pro tota Communitate obligare, vt supra in secundo modo dicendi asseribamus: in quo sensu dicere possumus, Communitatem iam existentem in choro teneri ad canendum vel recitandum publicè Officium, licèt nemo in particulari teneatur cum alijs recitare aut canere.

Iuxtà hanc triplicem obligationem, distinximus hunc triplicem dicendi modum: inter quos. 2. & 3. probabiliores, & veriores videntur, præcipue tertius, qui omnem obligationem in Prælatum refundit quantum ad hoc, quod teneatur curare, vt Officium Virginis in choro persoluantur.

Ad Argumenta pro primo modo adducta facilis est solutio. Ad primū, quod non obligat chorū, sed tantum Prælatum: vel si chorum, tantum obligat ipsam Communitatem, neminem vero in particulari. Neque in hoc est cur timendum sit de periculo defectus attentionis: nam licet tunc singuli non obligentur ad eam sub mortali, obligantur tamen sub veniali: quod sufficit, vt omnes debitè persoluant. Quod si periculum sit, vt aliquando omnes huic debitæ attentioni deficiant; hoc parum refert: nam simile periculum posset inueniri, quamuis obligaret sub mortali. Et ex hoc patet solutio ad secundum Argumentum.

Ad tertium respondeo, hunc non esse communem Religionis consensum, sed potius multos de hac re hæsitasse comperi: quorum scrupulis cupiens satisfacere, hanc addidi difficultatem, de qua perpauca aut nulla apud authores, qui post Bullam Pij V. scripserunt, inueniuntur.

*Qui eas non nouerint. XXXV. vicibus
Pater noster. &c.*

CIRCA hanc Regulæ partem primo ex superius al-
latis constat, fratres laicos non teneri ad Horas Ca-
nonicas, siue Officium Diuinum: sed tantum ad illas
orationes, quæ hic in regula imponuntur, quæ breuiores, ac
faciliores sunt. Quia, cum eorum munus & destinatio sit
corporalibus exercitijs studere, (vt rectè obseruat Cord. *Corduba.*
in Reg. B. Francisci c. 3. & ibi omnes expolitores, & nos in
frâ latius in c. de labore manuum prosequemur:) non oportet,
eos grauiori orationum siue officij onere grauari. Con-
stat etiam ex dictis, sub veniali eos obligari ad prædictum
numerum orationum à Regula statutum.

Dubitari tamen posset, an etiam sub culpa veniali teneã-
tur prædictas orationes persolvere temporibus determina-
tis? Respõdeo, id probabile videri: quia hæc officia à Regu-
la eis imponuntur diuisim sub nomine Primæ, Tertiæ, &c.
ex quo apparet, voluisse Regulam eos prædictis tempori-
bus has orationes adimplere. Tum etiam, quia cum hæc
officia instituta sint, vt animi deuotio non extingatur, sed
subinde orationibus ac preceationibus per determinata in-
terualla excitetur: non satisfacient huic intentioni, si id de-
bitis horis non faciant. At cum occupati fratres laici fue-
rint, non debent in hoc minis esse solliciti, neque scrupu-

losi: nam eorum potissimum munus circa labo-
rem corporalem exercendum ver-
satur. Et hæc de Horis
Canonicis.

(.)

X 3

Cap.

Cap. VIII. De abdicatione proprietatis.

TEXTVS.



Nillus Fratrum sibi aliquid propriū esse dicat: sed sint vobis omnia cōmunia, & distribuatur vnicuique per manum Prioris, id est, per fratrem ab eodem ad idem officium deputatū, prout cuique opus fuerit, inspectis ætatibus, & necessitatibus singulorum.

Asinos autem siue Mulos, prout vestra ex postulauerit necessitas, vobis habere liceat, & aliquot animalium, siue volatiliū ad nutrimentum.

Glossa. VIII.

EX hoc. c. nōnullæ deducūtur cōclusiones. Prima, nulum regularem ex rebus Monasterij aliquid sibi proprium nec habere, nec verbo appellare posse. Secūda, omnia Monasterij bona esse omnibus commnia. Tertia, vt hæc ita intelligantur communia, vt non sit vniuscuiusque, ea sibi propria auctoritate vindicare: sed omnibus omnia per manum Prioris, vel per alium fratrem ab eo designatum distribuantur. Quarta docet, hanc distributionem faciendam esse inspectis singulorum ætatibus, & necessitatibus, ita, vt Regula & mensura distributionis sit, maior vel minor necessitas. Quinta, licitam nobis esse asinos, siue mulos in communi possidere, & insuper aliquot animalium siue volatiliū ad nostrum nutrimentum.

Ex qua sexta & vltima elicitur alia conclusio: præter asinos, & mulos, aut prædicta animalia ad nutrimentum, non licere

Basilii in
Brenior. q. 83
Bened. c. 33.
sua regu. &
reg. monacho.
c. 2. & 3. D.
Francisc. c. 6.
reg. August. c.
3. statu. Car-
thus. 2. p. c. 19
De distribu-
tione infirmis
facienda Reg.
Francisc. ca. 4.
& 5. inf. Au-
gust. ca. 4. &
17. De infir-
morum neces-
sitate subleuā-
da Augu. re-
gule. c. 9. &
c. 18. Reg. Mo-
nacharum. c.
40. De infir-
mis Benedi. c.
36. & c. 57.
de Senibus, &
infantibus. Et
regula Socie-
tesu. 3. p. con-
stituit. c. 1. nu.
17. Regula.
Monachorum
propè finem.
De distribu-
tione per fra-
trem facien-
da. c. 16. Item
agit Basil. in
brenioribus,

regu. 87. & c. 31. & 33. Regu. Monacharum. c. 2. & 3. De modo seruando in distri-
butione, Benedi. c. 34. sua regule, & Regula Monacharum, vt supra.

nobis, in communi redditus, aut possessiones, aut aliquid aliud immobile possidere.

Hæc sunt, quæ Regula hic breui sermone cōplectitur. Quæ omnia ad votū paupertatis spectant: & sic à nobis alibi discutienda, hic tamen breuiter attingenda erunt: & potissimū ea, sine quibus littera huius c. nequit cōmodè intelligi.

Circa hoc. c. præmittendū est, illud ab Innocentio. III. In aliquibus fuisse correctum & declaratū. Nam olim in Regula Beati Alberti sic erat scriptum: *Nullus fratrum sibi dicat aliquid esse proprium: sed sint vobis omnia communia, & ex his, quæ vobis Dominus dedit, distribuatur unicuiq; per manū Prioris, id est, per hominē ab eo ad idē officium deputatū, prout unicuique opus fuerit, inspectis aratibus, & necessitatibus singulorum, Ita tamē, vt, sicut præmissum est, in deputatis cellulis singuli maneant, & ex his, quæ sibi distributa fuerint, singulariter viuant.* Hæc Albertus in hoc capite.

Innocentius igitur hic in primis correxit regulā in illis vltimis verbis. *Ita tamen, vt sicut præmissum est, in deputatis cellulis, &c.* Nam Innocentius non singulariter eos in omnibus viuere permisit, sed ad cōmune refectoriū conuenire præcepit. Quare ablata sunt in eius mitigatione hæc vltima verba, & loco illorū alia posita sunt in hoc capite, (quæ prima facile forte alicui minus apta, aut friuola videbuntur,) nempe, *Asinos autem siue mulos vobis habere liceat. &c.* Cuius licentiæ aut permissionis Albertus nō meminit. Quorsū ergo (dubitabit quis) Innocentius prædicta verba in hoc c. præfixit? aut quæ magna facultas vel permissio est hæc. *Asinos, siue mulos, & aliquot animalium, siue volatiliū possidendi?*

Illud tamen certum est, Innocentium non abs re, neque sine consilio illa verba, *Asinos autem siue mulos &c.* addidisse. Per illa enim ampliùs hoc Regulæ caput declarare intendit: nam (vt ex præfatione eiusdem Innocentij constat) ordinis professores ab eo inter alia postularunt, vt quædam dubia, quæ in Regula ab Alberto tradita continebantur, declarare ac corrigere dignaretur. Nā inter fratres, (vt in speculo ordinis dicitur,) circa hoc caput, prout in Alberti

regula iacebat, magna dubitatio exorta fuit, an per illa verba, *Nullus fratrum sibi dicat aliquid esse proprium, sed sine vobis omnia communia, & ex his, quæ vobis Dominus dedit &c.* tenerentur non solum ad paupertatem in particulari, sed etiam in communi seruandam. Quæ certè dubitatio ante Innocentium III. tempore Gregorij. IX. pullulauit. Cuius causa Fratres Gregorium. IX. pro eius solutione adiisse fertur: qui postquam Regulam ab Alberto traditam anno Domini. 1230. Pontificatus vero sui anno. 3. confirmauit, sic circa paupertatis articulum seruandum decreuit. *Ex officij nostri debita circumspectione tenemur, sollicitam exhibere cautelam, ne ij, qui lotis pedibus ascenderunt orare cum Domino, iterum eos coinquent, à contemplationis specula descendendo: & ne resumendo terrenas facultates abiectas, quasi quadam indumenta corporis habeant, vnde teneantur, in cassum cum spiritualibus nequitijs pugnaturi. Hinc est, quod cum lotis pedibus montem Domini ascenderitis, vacantes contemplationibus cælestium, & assumpseritis contra malignos spiritus luctamen, terrenis omnibus abdicatis: Nos profectui vestro aspirantes, auctoritate presentinim districtius prohibemus, ne in proprietatem de cætero eremi vestri loca, vel possessiones, siue domos, aut redditus alios recipiatis villo modo, vel presumatis habere, præter asinos masculos, aut aliquot animalium, siue volatilium ad nutrimentum.* Hanc Gregorij declarationem eisdem verbis fecit Innocentius III. anno secundo sui Pontificatus, antequam Regulam confirmaret: qui eandem Gregorij Bullam eisdem verbis repetit, vt videre est apud Paleonydorum libr. 3. c. 5. & 6. & in speculo ordinis, vbi etiam prædictæ Bullæ recensentur.

Paleonydor.
Speculum or
dinis.

Cum verò fratres anno. 4. Pontificatus eiusdem Innocentij, ab eo Regulæ correctionem, declarationem, & mitigationem peterent: inter alia, quæ Innocentius III. declarauit, illud potissimum dubium fuit, quod ad paupertatem

tatem

tatem spectabat : & hoc fuit in causa , vt paupertatem in communi , & omnium reddituum , & possessionum expolationem , præter asinos , & aliquot volatiliū , Innocentius III. in Regula, à nobis habenda, decreuerit . Quod illis verbis satis declarauit , *Asinos autem siue mulos &c.*

Ex quo clare constat, ex vi regulæ nos, tam in particulari, quam in communi, arctissimam paupertatem profiteri : cuius etiam paupertatis idem Innocentius III. post huius Regulæ confirmationem, eodem mense & anno, quo Regulam confirmauit, in quadam Bulla mentionem facit, dicens : *Hinc est, quod cum dilecti filij Prior, & fratres Eremitæ de monte Carmeli, abdicatis seculi opibus, titulum paupertatis sibi elegerint, vt mente & corpore expediti, liberam & acceptam valeant impendere domino seruitutem : nullas possessiones neque proprium, quo sustentari valeant, possidentes &c.* In qua Bulla, nostram etiam proponens fidelibus paupertatem, eos ad elargitionem eleemosynarum ordini faciendam allicere intendit. Necnon idem Innocentius anno. II. sui Pontificatus, ratione huius paupertatis ordinem exemit à decimarum solutione, vt in quadam Bulla, quæ in speculo ordinis re- *Speculum*
fertur, ait : *Cum itaque ex tenore petitionis vestre percepi-* *Ordin.*
mus, quod ordo vester nullas possessiones habeat, sed vos de fidelium eleemosynis duntaxat elargitis sub regulari habitu sustentari : Nos paupertati vestre &c. Hæc autem Bulla annis. 6. post mitigationem Concessa fuit.

Patet igitur ex dictis, quid significant illa verba , *Asinos autem &c.* & quorsum apposita sint in hoc. c. Nam per illa expresse declaratur, nos nullas possessiones, neque redditus, neque quidquã aliud in communi habere posse, præter asinos, siue mulos, & aliquot animalium &c. Quæ altissima paupertas licet ex allatis Bullis Pontificum non constaret, sufficiētissime tamen his verbis, (*Asinos siue mulos*) probaretur. Nam quorsum, vt in initio dicebamus, si nobis possessiones, redditus, domos, aut alia bona possidere liberũ est : in specie cõceditur, vt asinos aut mulos licitè possi-

deamus? Certè ridicula esset hæc cōcessio, nisi aliàs esset singularis exceptio, qua nobis, quibus quidquam in communi ex Regula possidere non licet, conceditur, vt asinos siue mulos habeamus. Et hæc exceptio, secūdm iuris axioma, Regulam firmat in contrarium.

At quamuis ex Regula, prout fuit ab Innocentio mitigata, de hac paupertate constat: adhuc restat dubiū, an hæc eadem in communi paupertas ex Regula priori Beati Alberti quoquomodo colligi possit?

Respondeo, hanc paupertatem collegisse Innocentium ex illis verbis Regulæ Alberti, quæ in hoc. c. referuntur, nēpe, *Sint vobis omnia communia, & ex his, quæ vobis Dominus dederit, distribuatur unicuique, &c.* Quibus verbis satis indicatur, fratres ex elemosynis debere viuere. Et siue ex hoc. c. Regulæ B. Alberti, siue ex alio id Innocentius desumpserit, id omnino certum videtur, hanc declarationem eum, secūdm Alberti mentem, fecisse. Quod mihi illud argumentum efficaciter suadet: quia Innocentius in hac Regula tantū intendit, vel declarare dubia, vel graua Regulæ onera moderari: at si ipse ex suo Marte B. Alberti Regulæ strictissimam hæc paupertatem addidisset: non mitigare, sed augere regulam Alberti diceretur: Quare, si tantū in hoc declarauit, eius declaratio elicienda erat ex prioris Regulæ mente. Patet igitur ex dictis in hoc capite, tam de paupertate in communi, quàm in particulari sermonem fieri. Quare breuiter de vtraque agēdum erit: & prius de paupertate in particulari, vt litteræ ordinem sequamur.

Nullus fratrum sibi aliquid propriū esse dicat. Recolendū est in primis, paupertatē, quā Religiosi colunt, esse in duplici differētia. Altera est priuata tātū, quæ est de essentia voti paupertatis, per quā quilibet Religiosus abdicat à se capacitātē Domini, & alterius cuiuslibet iuris ad exteriora bona: potest tamen in communi possidere, in quantū in sua Religione redditus & possessiones habentur, vt cōtingit in ordine Cartusianorū, Benedictinorū, &c. Altera paupertas in communi dicitur, per quā nihil omninò neque in communi, neque in particulari possidetur: quæ non solū ad personas, sed etiam ad conuentus, quantum ad redditus & immo-

bilia bona, extenditur: quam Sanctus Franciscus, & eius ductus exemplo Dominicus suo ordini seruandā reliquerunt, & ante ipsos (vt supra demonstrauius) nostri ordinis professores ab Alberto Patriarca Hierosolymitano simul cum Regula acceperunt. Prædicta igitur verba, *Nullus fratrum sibi aliquid proprium esse dicat*, an ad paupertatem in communi, an vero in particulari pertineant, opus est vt explicemus.

D V B I V M I.

An illa verba, Nullus fratrum sibi aliquid proprium & c. intelligantur de paupertate in particulari.



N hoc dubio vlla certandi occasio non est, cum clare constet, prædicta verba, *Nullus fratrum sibi aliquid proprium esse dicat*, de paupertate in particulari esse accipienda. Quod vt manifestius fiat, annotare in primis oportet, Religiosum nulla ratione posse dominium aut

proprietatem vllius rei possidere, vt diffinitum est in Lateranensi Concilio sub Alexandro Tertio, parte prima, ca. 10. & nouissime in Tridenti. sessione 25. cap. 21. Constat etiam ex varijs Patrum testimonijs. Urbanus Primus in Epistola seu decretali de paupertate loquens, sic ait, *Quicumque vestrum vitam communem suscepit, & vouit, se nihil proprium habere; videat, ne pollicitationem suam irritam faciat.* Cassianus lib. 4. de institutis renuntiantium. cap. 3. de Aegypti Monachorum paupertate loquens, *Nulli (inquit) cistellam, nulli peculiarem sportellā liceat possidere, nec tale aliquid, quod vt proprium retinens, suo debeat communire signaculo.* D. Basilii in constitutionibus monasticis cap. 38. *Debet (ait) pietatis cultor, qui vitam communem amplexus est, ab omni privi-*

Conc. Late.
Conc. Trid.
Urbanus. 1.

Cassianus.

D. Basilii
cap. 38.

ta rerum possessione liber esse D. Benedictus in sua Regula c. 33
Neque aliquid quis præsumat habere proprium, nullam omnino

Augustinus.

rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihi omnino. D. Augustinus in tribus regulis, quas condidit, idē late prohibet. Omnes denique religionum institutores hoc perpetua traditione senserunt, vt omnes monasticæ vitæ professores nihil omnino proprium possiderent. Imo hanc proprietatis abrenuntiationem intrinsecam esse Religionis statui, satis vbique constat: ac proinde omnes Religiosi speciall voto, omnium rerum dominio ac possessioni renūtiāt.

Quod & necessario debere ita fieri, alibi ex eo principio ac fundamento colligebamus, quia, cum Religiosi sui iuris nō sint, ac suæ libertatis dominium non habeant, sed illud in Prælatorum potestatem per traditionem, quæ in professione fit, trāsferāt: necessario sequitur, eos nihil habere, neque possidere posse, non aliter, ac si serui essent. Cuius rationis siue fundamēti Benedictus. c. 33. suæ regulæ meminit: vbi cū docuisset, nihil omnino proprium à monachis esse possidendum, rationem sic reddit. *Quippe quibus, nec corpora sua nec voluntates suas licet habere in sua propria potestate.* Eodem ferme modo in hoc proposito arguit D. Aug. in sermone de cōmuni vita clericorum, relato in. c. nō dicatis. 12. q. 1. dicens, *Cum huius congregationis fratres se per obedientiam penitus aliorum potestati subdiderint: certum est eos nihil habere posse.* Quasi dicat, ex eo, quod quis est sub alterius potestate cōstitutus, necessario sequitur quod nihil in sua potestate possidere neq; habere possit: sicut cōtingit in seruo ac in filio familias, sed quia de hoc laus, dū de paupertatis voto agerem, disserimus, ne eadē sa pius repetamus, ab his super sedē dū duxim.

Asilius.

Ex his factum est, quod, cum Religiosi per votum paupertatis ab omni possessione & proprietate, imo & habendi capacitate denudentur, non solum nihil proprii illis habere conceditur, verū nec quicquā ore terius proprium appellare Patres, ac Religionum institutores permittūt. Quam cōsuetudinem in Ecclesia Primitiua fuisse accurate obseruatā ex actibus Apostolorum capit. 4. accepimus, vbi dicitur, *Nec quisquam, eorum, que possidebat, suum aliquid esse dicebat*

Ab. Apost.

cap. 4.

cebat

cebat. Vnde Basilius in Regulis breuior. hanc (etsi rigidā) protulit sententiam: quæst. enim 85. sic ait. *Quæ dicit, suum aliquid esse seipsum alienum reddit ab Ecclesia Dei.* & charitate Domini. D. Augustinus sermone 1. de vita communi clericorum, *Quantum (inquit) possumus, imitemur sanctos, de quibus loquitur lib. Act. Apostol. Nemo dicebat aliquid proprium.* Idem docet in Epist. 109. ad Monachos, & clarius in sua regula præcipit, dicens: *Non dicatis vobis aliquid proprium* (a quo mendicauit Gratianus celebrem illum text. ca. non dicatis 12. q. 1.) Chrysostomus suæ ætatis Monachos commendans, ait: *Non est ibi meum ac tuum: sed hoc verbum penitus eliminatum est, multorum causa malorum.* Et Conc. Milanense part. 1. cap. 7. quod habetur in 5. tomo Conciliorum, de Religiosorum paupertate tractans, ait: *Tuum, & meum atque omnis possessio re & verbo omnino tollatur.* Sed & illud magis mirandum est, ita hunc ritum inter antiquos Monachos fuisse obseruatum, (Cassiano teste vt supra) vt etiam qui incōsiderate propriū aliquid appellabat, illo tēpore puniretur. Ac denique hęc obseruationē in suis Monasterijs ita florere, Magnus ille Basilius præoptauit, vt etiā Religiosorū proprios parētes communi nomine appellādos decerneret.

Horū igitur Patrū, imo & potius scripturæ vestigijs nostra in hærēs Regula, merito in hoc. c. decernit, vt nullus fratrum sibi aliquid propriū esse dicat, quasi à fortiori sumēs argumentū. Si enim aliquid propriū vobis etiā nominare prohibeo: quāto magis, neq; habere neq; retinere cōcedā? Quare in hoc cap. vtrūq; horū prohibetur: & possidere aliquid propriū insuper & propriū aliquid dicere: licet illud tāquā intrinsecū voto paupertatis præsuponatur, hoc vero tāquā vtile ad eius obseruationē expresse decernatur. Sic enim Gerson in opus. cōtra proprietarios in similibus verbis circa Regulam Augustini considerauit, dicens. *Si ergo expresse prohibet Augustinus verbum proprietatis, à fortiori & factum.*

Inquiret aliquis, an proprium aliquid dicere, in nostro ordine peccatū sit. Nauarr. d. c. non dicatis n. 1. tunc hoc existimat esse peccatū, quando quis nō solū voce sed re appellaret, & crederet sibi aliquid propriū minime vero peccatū

Basilius
Augustinus

cap. Non dicatis 12. q. 1.
Chrysost.

Conc. Mila.

Gerson.

Nauarrus

Archidiacono. censet, si quis sibi rem vsui à Prælato concessam, propriam
Cardinalis. appellet. Alij verò Canonistæ, vt sunt Archidiaconus, Car
Alexander. dinalis & Alexander, in commentarijs d.c. Non dicatis, &
 alij expositores Regulæ D. Augustini sentiunt, Religiosum
 peccare saltem venialiter, qui absolutè libros, cellam, aut ve
 stes, aut quid aliud proprium appellat. Quod etiam nobis
 videtur necessario affirmadum: quia cum nostra Regula ad
 maiorem paupertatis obseruantiam id clarè præcipiat, &
 hæc obliget ad peccatum veniale, non video, qua ratione ij
 possint excusari, nisi ignoratia aut inconsideratione faciât
 Secundo Quæret aliquis, quando peccabit quis contra
 votum paupertatis, aliquid proprium sibi retinendo?

Hæc difficultas longiorem petit disputationem, quã nos
 latè prosequuti sumus in tractatu de voto paupertatis. Bre
 uiter tamen respondeo. Quoties cuiuscunque rei dominiũ,
 proprietas, siue possessio, ius, vel administratio, vsusfructus
 vel vsus possidetur, siue quilibet alius actus dominiij exerce
 tur sine Prælati tacita vel expressa licentia toties peccatũ
 est proprietatis ex suo genere, maius vel minus secundum
 maiorè vel minorè grauitatè materiæ. Ad quæ reducitur
 quidquid Religiosus sine Prælati autoritate donat, accipit,
 retinet, vedit, emit, cõmutat, vel alienat, aut mutat, vel alio
 modo administrat: quæ omnia per singulas partes prædicto
 libro probauim⁹. Quare ampli⁹ in his nõ oportet immorari.

I N T E X T I B I.

Sed sint vobis omnia communia.

D V B I V M II.

*In quo consistat ratio vitæ communis: ac de
 eius utilitatibus.*



VITÆ communis modus ac forma in eo ma
 ximè sita videtur, vt nullus Religiosorũ a
 liquid proprium sibi vendicet. Quia cum
 proprium & commune inter se inuicem pu
 guent, cõmunia omnia ibi esse non possunt
 vbi

vbi proprium aliquid retinetur. Pertinet etiam ad hanc vitæ communis rationem & essentiam, vt ea omnia, quæ ad Religiosorum victum & vestitum sunt necessaria, æqualiter eis, inspectis eorum necessitatibus, ex bonis monasterij cõmunibus administrentur. Et sic tunc in Religione omnia cõmunia esse dicuntur, quãdo vna mēsa, vnus cibus, eadē vestes eadē habitatio, eadē supellex, & denique omnia, quæ ad vitum & vestitū pertinet, æqualiter omnibus distribuuntur.

Hanc esse cõmunis vitæ rationē ac modū, in primis probatur ex actis Apostolorum: vbi ca. 4. dicitur: *Nemo aliquid suum proprium dicebat, sed erant illis omnia communia, & distribuēbatur, unicuiq; sicut cuiq; opus erat.* In quæ verba Aug. serm. 27. de verbis Apostoli sic ait, *Sed iure fraternitatis erant illis omnia communia, scilicet, vt qui eodem consortio Religionis tenebantur, eodē consortio fruerebantur & vitæ: hoc est, vt quibus erat vna fides esset vna substantia: Et quibus erat communis Christus, communis esset & sumptus.* Et idem Augustinus in Reg. c. 3. *Et distribuatur unicuique à Præposito victus, & tegumentum, non equaliter omnibus, quia non equaliter valetis omnes: sed potius unicuique, sicut cuique opus fuerit. Sic enim legimus in actibus Apostolorum, quia erant illis omnia communia.* Quibus verbis satis perspicuè docet Augustinus, cõmunē vitā maximè in hac rerū proportionata distributione cõsistere. D. Basilius sermo. 4. exercitationis præopt. *Porro (ait) vnum commune omnibus sit, & nihil proprium vnicuique nominetur: sed in potestate Præfecti positus sit vsus, vt ex communibus id, quod conueniens est, vnusquisque vsurpet, iuxta Præfecti voluntatem.* D. Benedictus in Reg. c. 33. hanc rerum communitatem in eo cõsistere decernit, vt nullus aliquid proprium habeat: & quod omnia distribuuntur ab Abbate singulis, prout opus habent: hanc enim ibi docet esse rationē cõmunis vitæ. D. Ioa. Chryl. hom. 58. ad populū Antiochenū, de sui sæculi monachis narrās ait. *Vna mensa vnū ministeriū suscipientibus, & ex hibentibus eadem fercula, eadē indumenta, habitacula eadē vitæ eadē: nō est ibi meū, actuum, sed hoc verbum penitus eliminatum est, multorum causa malorum.* In quorum Patrum testimonijs id licet considerare, omnes vitam communem ad hæc duo reuocera, & ad

Act. Apost. c.

4.

Augustinus.

Idem.

Basilius,

Benedictus.

Chryso.

caren.

Conc. Trid. carendum proprio, & ad distributionem communium bonorum, seruata subditorum necessitate, faciendam. Quibus etiam accedat *Conci. Trid. ses. 25. c. 2.* vbi volens quæ ad cõmunem vitam in victu & vestitu conseruanda pertinet, fideliter obseruari, Religionum Prælatis præcipit, vt de bonis Monasterij necessaria subditis prouideant. Et in *Conc. Colonienfi sub Conrado Archiepiscopo ann. 1260. celebrato, titul. de Monachis & de eorũ conuersatione & vita. c. 3.* sic decernitur. *Statuimus, quod Monachi propriũ non habeant: & quod pariter victum aut vestitum percipiant de communi per administrationem sui Abbatis.* Celebre quoque Concilium Mediolanense, sub Karolo Barromeo Cardinale post Tridentinũ celebratum, parte. 3. titulo de communi vitæ vsu, sic inquit. *In omnibus monasterijs, quoad cibum, potum, somnum, vestitum, ceterasque res attinet, omnes communiter viuant, vt sacro Concilio Tridentino decretum est: nec quidquam inter eas differat, (loquitur enim demonialibus) aut alia alijs præferatur, aut posthabeatur, quemadmodum votum paupertatis postulat: vt tuum & meum, ac omnis priuata possessio & re & verbo omnino tollatur.* Quibus verbis clare hoc Cõciliũ decernit, quantũ ad votũ paupertatis accurate seruandũ cõducat huius vitæ cõmunis ratio. Nã ex ea oritur, vt à Monachis omnis priuata possessio procul arceatur: sicut è contrario, ex defectu vitæ cõmunis ac distributionis necessariorũ magna illis proprietatis præbetur occasio. Et denique prædictis cõsonat Cõcil. Prouinciale Camerac. tit. de Monachis c. 9. 10. & 11. dicens. *Cum sacrosancta Synodus Tridentina præcepit, ea quæ ad communem vitam, victum, & vestitum pertinent, fideliter obseruari: mandat hæc Synodus omnibus Religiosis, vt diligentissimè paupertatis votum, tamquam ineffabilis cuiusdam & dulcissimæ quietis causam, custodiant: neque proprietatis vitio violent. Caueant igitur, ne quid sibi ita retineant vel retinere desiderent, vt communitati nolint esse commune: neue ad peculiare vsus eo vtantur sine superioris consensu. Et infra præcipit, vt prælati omnibus necessaria tribuant.*

Ex his facile conijci potest, illa regulæ verba, *Omnia esse cõmunia*, nihil aliud significare, quam quod nemo quidquam sibi

sibi proprium habeat : sed potius vt omnia sint omnium, & illis in cōmuni, & in necessarios vsus auctoritate Prælationibus dispensentur. Quare commune bonum non erit illud quod, quamuis quis à Prælato sibi permissum habeat, tamen ita mordicus & tenaciter retinet, vt vix ab eo etiam auctoritate Prælati separari possit. De quo memini me dixisse intra tractatu de paupertate : vbi bonum commune illud appellabamus, quod incorporatum est alijs bonis communibus monasterij, & subest liberæ administrationi Prælati, ita, vt Prælatus libere & absque impedimento possit necessarijs fratrum, aut conuentuum vsibus applicare,

Basilus.

Varię vero sunt rationes, ob quas concilia ac Patres tantopere hanc vitę cōmunis rationem comendarunt D. Basilus Sermone 5. exercitationis, eam rationem huius adinuenit, vt id factum esse existimet ob Religiosorum pacem & vnitatem. *Cum igitur (ait) plures ad eundem salutis scopum respicientes, communem inter se vitam susceperint, oportet, hoc præ omnibus in ipsis obtinere, vt vñ in omnibus sit cor, & voluntas vna, & desiderium vnum : & quem admodum Apostolus sancit, vt vnum corpus fiat, ex diuersis membris coaptatum, totus ille congregationis aceruus. Hoc autem aliter fieri non potest, nisi illud obrinuerit, vt non designetur nominatim, alicui, neque vestimentum, neque vas, neque aliud quid ex his, quę ad communem vitam conducunt, quo singula ex his vsus sint necessitatis, & non possidentis.* Hęc Basilus: quibus luculenter probat, maxime ad vnitatem & pacem, hanc communem vitam conducere, quam etiam ad ineffabilem & dulcissimam quietem custodiendam iuuare, supra ex Concilio Cameracensi retulimus. A Basilio non dissentit Chrystostomus in Apologia vitę monasticę: in quadam conuersationem hanc cælestem commendat, eiusque gaudia, quietem, gloriam, aliaque commoda recenset, statim subiicit, hoc prouenire, quia inde duo illa, quę omnia peruertunt & perturbant, meum, & tuum, penitus eliminata sunt. Cuncta quippe illis communia sunt mensa, domus, indumen

Chrysoft.

dumentum: & quòd sanè mirabilius est, vnus etiam idèque animus est. Horum patrù sentètia manifesto testimonio cõ probatur. Nã tũc in Ecclesiã primitiua fidelib⁹ omnib⁹ erat cor vnum & anima vna, quãdo omnia bona illis erãt cõmunia: cessante vero hac cõmunitate & distributione bonorũ, ortæ sunt in fidelibus lites & cõtentiones multæ. Ex quo colligitur hanc vitã cõmunẽ multorũ bonorũ esse parentẽ.

Præterea hæc bonorũ distributio in monasterijs à Religionũ institutoribus introducta est, tum, vt monachis nulla detur proprietatis occasio, (vt supra ex Concilio Mediolanensi adducebamus,) quia cùm se communibus Monasterij auxilijs destitutos conspiciunt, proprium victum, supellectilem, vestitum, ac alia quærere compelluntur, ob quam causam Concilia, & præcipuè Tridentinum, & Religionũ Patres tanto studio ac diligentia vitam communem in suis monasterijs obseruari voluerunt, ferè impossibile arbitran- tes, sine hac vitæ ratione, paupertatis votum diũ posse consistere: tum etiam, vt à Religiosis omnibus omnis sollicitudo ac rerum tẽporalium cura penitus reseretur. Nam in hac cælesti Religionis Philosophia, externæ terrenæque occupationes maximè impediunt, ita, vt rectè à Gregorio illud dictum sit: 2. moral. c. 22. *Cura multiplex terrenarum rerum quia occupat, excæcat. Nam vt terrena omnia sunt corporea & crassa: sic animus in his tractãdis occupatus, fit crassior & cõcretior. Ex quo illud provenire necesse est, vt ea curarũ mole impeditus, ad cælestia contemplanda nequaquam possit ascendere.* De quo bene idem Gregorius 5. moral. c. 8. *Nequaquã mens ad superna attollitur, si curarum tumultibus continuè occupetur.* Vberius autem, quantum hæc sollicitudines rerum tẽporalium profectũ nostrum impediunt, differit D. Tho. 2. 2. q. 186. ar. 6. *Ne igitur his sollicitudinibus mens impediretur, in procurãdis sibi necessarijs occupata, fuit in Religionibus hæc vitæ cõmunis Philosophia introducta. Ex qua magna fælicitas ac quies Religionis statui accrescit, vt testis est venerabilis Beda in li. retract. super act. Apost. in illa verba, Erant illis omnia communia. Communia (inquit) idem est, quod Græcè *cæna*, a quo nomine constat perfectos Dei famulos ca-*

S. Gregorius

D. Thomas.

Beda.

nobis *Grace*, & communiter *viuentes* latine dici. Qui ergo ita viuunt, vt sint eis omnia communia in Domino, recte, composito ex duobus vno nomine, vocantur *canobitæ*: quæ quidem vita tanto terreni sæculi huius conuersationibus felicior est, quanto magis statum futuri sæculi etiam in præfenti imitatur: vbi sunt communia omnia omnibus beatis, cernentibus eius gloriam, à quo sunt omnia bona. Hæc Beda. Quare hanc conuersationem planè cœlestem, nihiloque Angelis deteriolem appellat Chrysoftomus in apologia, vt supra. Nam sicut Angeli (inquit) omnes pariter in gaudio, & quiete, summaque illa cœlesti gloria exultant: ita fieri quoque perspicias in monasterijs. Loquiturque ibi Chrysoftomus de vita communi Religiosorum: & propter hanc, eos cum angelis comparandos censet. Et (vt plura vno verbo concludamus) illud prætereûdum non erit, ipsos adhuc Philosophos ethnicos, cum Rempublicam ingenio suo ita perfectam & absolutam fingere vellent, vt animo magis optari, quàm re ipsa perfici posset. nullam aliam formam commodiorem, & præstantiorem reperire potuerunt, quam illam, in qua hæc vitæ communis regula seruaretur. Sic enim Plato dial. 5. de Republica suam illam Rempublicam ita instituit, vt priscum illud prouerbium, *Amicorum omnia communia*, quàm maximè vigeret. In eoque, existimauit, tam virtutis quàm felicitatis summam in ciuitate esse collocandam, vt quicquid proprium dicitur omni studio ab ea remoueatur: neque solum agri, aut pecuniæ, aut domus cum omnibus communicentur, sed illa etiã omnia, quæ ita propria sunt, vt cum alijs communicari nõ posse videantur. Hanc ergo (ait Plato) Ciuitatem siue *Dialicubi*, siue *Deorum filij* vnà plures incolant, certe beatos omnique gaudio cumulatos fore. Hæc Plato. Quanta igitur cõmunis vitæ felicitas est ac præstantia, vt non solum Christiani cœlestem illam, verum & Ethnici reputauerint!

(.?.)

Y

IN

INTEXT. I B I.

Et distribuatur unicuique per manum Prioris, id est, per fratrem ab eodem ad idē officium deputatum, prout cuique opus fuerit, inspectis etatibus & necessitatibus singulorum.

Hucusque in hoc cap. de proprietate abdicanda, ita, ut cōmunia sint omnia monasterij bona, Regula decreuerat. Nunc ultra progrediens statuit, quibus, a quo, & qualiter sit hæc distributio facienda. Primum horū illis verbis, *distribuatur unicuique, scilicet Religiosorum: secundum ibi, Per manum Prioris, vel per fratrem ab eodem ad idem munus designatum.* Tertium vero, quod ad modum spectat, illis clauditur verbis, *Inspectis etatibus & necessitatibus singulorum.* Quæ omnia, ut supra adducebamus, ex actibus Apostol. desumpta videntur. Hæc igitur tria à nobis in præsentī amplius declaranda & confirmanda sunt.

D V B I V M I I I.

Quibus, & à quo bonorum communium distributio facienda sit.



Rima fronte dubitare posset quis hac ratione. Si bona Monasterij communia sunt, liberum unicuique erit, de eis sibi necessaria propria auctoritate providere, id enim ad rationem communis boni spectare videtur, ut de eo libere unusquisque vendicet, saltem quod sibi necessarium est. Ergo non est expectanda Prælati, neque alterius distributio.

Pro huius dubij resolutione sit prima propositio. In Religione nullus potest auctoritate propria aliquid ex communibus Monasterij bonis sibi in proprietatem, vel usum applicare. Hæc conclusio ita est certa, ut à nullo vnquam fuerit dubitata. Et primo patet. Quia omnes fere Religionum instituta

institutores, horum bonorum dispensationem siue distributionem ad Prælatos pertinere, decernunt. Ergo abique eorum auctoritate non potest subditus quicquam sibi appropriare.

Augustinus.

Aug. in Reg. c. 4. ait *Distribuat. unicuique à Præposito vestro: vbi omnes expositores docet, illa verba, A præposito vestro, esse appositae, ne quispiam falso sibi persuadeat, licere sibi propria auctoritate res communes accipere, vel in alios dispensare.* Cõsonat Aug. Bene. c. 33. vbi de paupertate tractans docet, Monachum nihil habere posse, sed omnia necessaria à Patre Monasterij sperare debere.

Benedictus.

Nec quicquam (addit) liceat habere, quod Abbas non dederit aut permisit, sicut scriptum est: Deinde datur singulis prout cuius opus erat. D. Basil. idem docet serm. 4. exercitatio nis, & in reg. breuior. interrog. 87. & adhuc clarius interro.

Basilius.

91. vbi inquit: *Si frater nudus petat ab alio, vestem quid hic facere debeat. Et soluit dicens siue nudus siue prauius, &: Siue ex necessitate siue ex auaritia petat, semel dictum est, quod dare aut accipere non cuiusuis est, sed eius, cui cum probatione talis dispensatio commissæ est.*

Et q. 93. in simili proposito adducit illud act. Apost. *Distribuebatur unicuique.* Cõfirmat prædicta omnia optime Trid. sel. 25. c. 2. & post Tri. Cõc. Medi. & Camara. quæ omnia cõcilia, nulli Religiosorum licitum esse aliquid sine cõcessione Prælati possidere, decernunt.

Conc. Trid.
Conc. Med.
& Camer.

Nec velim hic multum immorari cum alibi de hoc sæpius me tractaturum promiserim. Quare vna vel altera ratione hæc conclusio breuiter cõfirmabo Prima est. Quia si licitum esset unicuique, de bonis cõuentus sibi necessaria dispensare: maximum incommodum, & inuitabilis ruina in Religione sequeretur. Primo, quia dum vnusquisque sua auctoritate quippiam præsumit accipere, & omnes proni sunt vti melioribus rebus, inde rixæ & contentiones maximæ oriretur: ob quas vitandas, bonorum communitas introducta fuit, vt dubio præcedenti dictum est. Secundo quia cum homines, supposita naturæ corruptione, plures necessitates fingant plura etiam, quam necessaria sibi essent, ex bonis communitatis vendicarent: & sic vel facile Religionis bona perirent, vel omnes superflua possiderent: ac proinde tam votum paupertatis, quam temporalia Monasterij bona omnino corruerent.

Secunda & principalis ratio. Quia Prælati, vt ex dictis

constat, maxime ex Concilio Tridentino ses. 25. cap. 2. ex officio hanc distribuendi facultatem habet, & nullus est, qui vnquam subdito eam concesserit, neque ad proprios usus, sed potius omnes illi eam expresse denegant, vt ex Patribus allatis, & præcipuè ex Tridentino supra constat. ergo illicitè subditus facit, cum hac abutitur potestate.

Ex quibus primo licet colligere, maxime ad votum paupertatis spectare, non solum vt quis proprium non habeat, verum etiam vt ne spontaneam sibi quidem de bonis cõuentus dispensationem faciat. Omnia enim tam Conciliorum quam Patrum testimonia, hic & alibi relata, eum cõtra paupertatem delinquere, luculenter docent.

Secundo inferitur, quod neque ea, quæ quis proprio vsui deputata habet, valet alteri donare vel cõferre, etiã ad vsu. Quod ex diuo Basilio supra inter. 29. euidenter mōstratur. Tum etiam, quia hæc bona, quæ quis habet ad vsu, sunt etiam communitatis, ac proinde non poterit ea dispensare.

Reg. Au. Be.
ned. & Basl.
Trident.

Tertio, quia nostra Regula, & Regula etiã D. Aug. Bene. & Basl. aperte docēt, hanc administrationē vel fieri debere à Prælato, vel a fratre ab eodē ad idē munus assignato. Quod expressis verbis docuit Trid. vbi supra: ergo qui nō est designatus a Prælato, eã nō potest exercere, & sic recipiēs ab eo illam rem, non esset tutus in conscientia. Quia subditus omnia, quæ ad victum & vestitū pertinent, debet a suo Prælato expectare, vt patet ex dictis, & ex hoc c. Regula, *distribuat* *unicuiq; per manū Prioris, vel per fratrem etc.* Vnde nullius rei licitè erit vsus, quā Prælati vel expresse vel tacite alicui nō cõcesserit.

Secunda cõclusio. Prælati tenentur de bonis monasterij subditis necessaria, tã quæ ad victum, quã quæ vestitum attinēt, prõpte charitatiueq; distribuere. De hoc plura in tractatu de paupertate diximus: sibi enim egimus de cura, quã circa subditorum ministerium Prælati adhibere tenentur.

Tertia Cõclusio. Hæc administratio non solum potest fieri à Prælato, sed etiam a quocūq; alio ad id munus designato. Hæc cõcl. constat ex Regulis Basilij, Benedicti, Aug. vt supra, & ex nostra Regula ibi, *vel per fratrem ob eodē ad idē officium deputatum*. Et est cõmunis Religionū Praxis, vt Prælati non omnia per se ipsum immediate disponat, sed per mi-

nistros

nistros ad suum nutum: anobles, vt Trident. d. c. 2. statuit **Tridentin.**
 Hic autē dispensator, qui fratribus necessaria distribuit, apud
 varias Religiones varijs etiā nominibus gaudet. Apud D. Be
 ned. vt ex eius Regula cōstat c. 31. & apud Aug. c. 16. cella-
 rius nūcupatur: apud Basil. interr. 149. dispensator dicitur:
 quāuis sæpe etiā cellarius nominetur: apud antiquos Ægy
 pti monachos, æconomus appellabatur, vt videre est apud
 Cassianum lib. 4. institution. c. 20. apud nos vero absolute **Cassianus.**
 frater in regula nuncupatur.

Quæ autem sit huius dispensatoris siue æconomi facul-
 tas, non est facile id in cōmuni discernere: cū menturāda sit
 ex varijs Religionū consuetudinibus. Et potissimū, cū eius
 facultas à Prælati volūtate dependeat, dicēda erit maior vel
 minor, secundū quod Prælati maiorē, vel minorē potesta-
 tē, ac iurisdictionē concesserit. Quod autē omnino à Præla-
 to pendere debeat, præcipit Benedictus in sua Regul vbi de **Benedictus.**
 cellario loquens ait, *Curam gerat de omnibus, & sine iussione Ab-
 batis nihil faciat. Et infra. Omnia mensurate faciat secundum iussio-
 nem Abbatis. Et iterum. Aquibus enim probibuerit, non præsumat.*
 Hæc Benedictus. Basilius de cellario loquens interrogatio. **Basilius,**
 148. talem potestatem eum habere sentit, qualē ei dedit,
 qui talē ei curā commisit, nēpe, Præfectus. Et ratione ipsa
 monstratur. Quia si Prælati administratiōē & gubernati-
 onē habet Monasterij, & subditus solum ex commissiōē
 & delegatiōē, fit, quod ad plura se extendere non possit,
 quān ei sit permissum, & subdelegatum.

Circa hanc conclusiōē duo oportet adnotare. Alterum
 quid debeat Prælati in eligēdis his ministris obseruare. Al-
 terum, quid ipsi, vt iniuncto sibi muneri satisfaciāt, teneātur
 præstare. De primo extat celebre Innoc. III. Responsum in
 c. cū ad monasteriū dedit. Monach. *Tales autem (ait) ad agen- cap. cum ad*
da officia Monasterij officiales deputentur, qui fideles sint & discreti. monas. de sta-
 Quibus verbis, in dispensatore duo præcipue desiderari, fa- *tu monach.*
 tetur: fidelitatem, nēpe, & prudentiā. Nā si infidelis sit: alte-
 ri Iudæ similis factus, substantiā Monasterij deprædabitur,
 vel alijs destruet vijs. Si vero imprudens: minime dāna vel
 cōmoda Monasterij opportuno tēpore cōsiderabit, vt illa
 vitare, hæc verò cōsequi monasteriū possit. Quare Basilius **Basilius.**

Benedictus. interro. 104. magnā vult haberi rationē in administratōribus Monasterij eligendis, ita, ut velit Præfectū id eū cōsilio facere. Quæ Bene. cōsiderās d. c. 54. multa ad cellariū statuē dū prærequirit. Ait enim. Cellarius Monasterij eligatur de cōgregatione, sapiēs, matur⁹ moribus sobrius, nō multū edax, nō elatus, nō turbulentus, nō iniuriosus, nō tardus, nō prodigus, sed timēs Deū, qui omni cōgregationi sit sicut Pater, & curā gerat de omnibus. Hæc Bene. Quæ obsecro plura ad eligendum Abbatem posset postulare.

Basilius, Circa secundum, nempe, quale æconomi siue dispensatoris officium debeat esse, attente audiendus est Diuus Basilus in regul. fusius disputatis interrogationē 34. Primum (inquit) oportet, æconomos Monasterij eos esse, qui illos possint imitari, de quibus in act. cap. 4. legimus, solitos eos fuisse singulis distribuere, prout unicuique opus erat, ita, ut multam misericordiæ & longanimitatis erga omnes providentiam faciant: ut neque suspicionem præbeant alicui affectionis, favoris, aut inuicitationis: neque è contrario elationis, ob quæ ijs, quibus infensores sunt, necessarias res subtrahant: aut his, erga quos affecti sunt, amplius quàm opus sit largiantur. Est autem illud fraterni odij: hoc vero favoris, siue amoris maxime vituperari. Itaque à favoris affectu, itemque contentionis, ad summam purus esse necesse est eos, qui fraternitatis res ad vsum necessarias distribuunt. Et idem Basilus in Regul. Brevior. interrogatione 149. inquit, quæ sit pœnā dispensatoris, si quid amore vel odio fecerit? & ait Quod talis alienus ab Ecclesia Dei decernatur, donec correctus fuerit. Et infra interrogatione 150. requirit, Si vero negligens, non det fratri necessaria, Responder, Hoc iudicium manifestum est ex verbis Domini, qui dixit, Abite à me vos maledicti: in ignem æternum: esuri enim, & non dedistis mihi edere &c. Prædicta Basilus. Ac denique Benedictus, postquam Cellarij partes ita mature depinxit, in eodem cap. qualiter suum munus sine offensione exercere valeat, similiter docet. Curā (inquit) gerat de omnibus: sine Abbatis iussione nihil faciat: Quæ iubetur custodiat, fratres nō cōtristet. Si quis autē frater ab eo aliqua forte irrationabiliter postulet, nō spernēdo eū cōtristet, sed rationabili

libiter cū humilitate male petēti, deneget. Memor sit illius Apostoli præcepti, Quia qui bene ministraverit, gradū bonū sibi acquirit. Infirmorū, infantium, hospitū, pauperūq; cū omni sollicitudine curā gerat, sciens sine dubio, quòd pro his omnibus in die iudicij rationē redditurus sit. Et infra, Nec avaritiæ studeat, neq; prodigus sit, aut extirpator substantiæ Monasterij: humilitatē ante omnia habeat, & cui substantia nō est, quæ tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus. Quia scriptū est: sermo bonus super datū optimū. Et infra. Fratribus cōstitutā annonā sine aliquo typo vel mora offerat, vt nō scādalizētur: memor diuini eloquij, quid mereatur qui scādalizauerit vnū de pusillis. Horis cōpetētib; dētur, quæ dāda sunt, & petātur, quæ petēda sunt: vt nemo perturbetur, neq; cōtristetur in domo Dei. His sacer Bene, satis apte prudētiæac charitatis Regulas, quas debeat seruare cellarius, proponit. Discāt ergo Monasterij dispensatores, horū Patrum Doctrinā sectari, & eā veluti speculum ante oculos ponant. Qualiter vero ab eis substantia Monasterij, cuius cura sibi cōmissa est, tractari debeat, in tractatu de paupertate docuim⁹.

Ad rationē in contrarium adductam respondetur, aduertendo, bona communia esse in duplici differentia. Quædā, quæ ita sunt alicui vniuersitati communia, vt cuique liceat ex eis accipere pro suo libito: qua ratione licitum est incolis alicuius oppidi, ex communi sylua ligna cædere. Quædam vero ita sunt communia, vt totum à toto possideatur, & nihil partis à parte qua ratione Religiosis omnia communia dicuntur, nulli enim singulari licet aliquid ex eis accipere vel possidere, nisi iuxta leges à Religione traditas, vt recte Nauarrus in c. non dicatis num. 40. docet.

D V B I V M I I I I.

Qualiter fieri debeat dispensatio à Prælato, vel à fratre ab eo designato, inspectis et attribus & necessitatibus.



Vltima hic memoria digna offerebant se examināda circa modū, quo debeat Prælatus rerū vsus in subditos dispēsare, nisi de hoc 4. p. tractationis nostræ de paupertatis voto dictum esset, vbi disseruimus de causis,

Nauarrus.

quæ interuenire debent, vt Prælati subditis aliqua distribuât, & in quos vsus monasterij bona sint distribuenda: & si militer, quando Prælati peccet, vel superflua concedendo vel necessaria denegando, Qualiter etiam ab æconomio siue cellario bonorum administratio gerenda sit, difficultate præcedenti breuiter attigimus. Sed quoniã prædictis locis hæc generaliter dicta sunt, oportebit, hic aliqua specialiter circa illa verba, *In spectis ætatibus, & necessitatibus*, adnotare, quæ ad modum siue formam in distributione à Prælato, siue dispensatore seruandam, diximus pertinere. Primo igitur his verbis Regula distributionem non præcipit æqualiter mathematice fieri: quia non æqualiter indigēt omnes, vt recte D. Augustinus. August. in sua Reg. c. 3, ait, *Distribuatur unicuique à præposito vestro victus & tegumētū, nō æqualiter omnibus quia nō æqualiter valetis omnes sed potius unicuique sicut opus est.* Bened. etiã c. 4. suæ Regu. in hoc proposito ait: *Sicut scriptū est, Diuidebatur singulis prout cuiq; opus erat. Vbi nō dicimus, vt personarū (quod absit) acceptio sit, sed infirmitatum consideratio: vbi qui minus indiget, agat Deo gratias, & non contristetur: qui vero plus indiget, humilietur pro infirmitate, & non extollatur pro misericordia. Et ita omnia membra erunt in pace.* Hactenus Benedictus. Hoc igitur est, quod hic nostra Regula statuit, vt in distributione bonorū, ratio habeatur vniuscuiusque ætatis & necessitatis, & cui plus indiget plus detur, & cui minus etiam minus cōferatur. Quæ distributio licet nō sit ad æqualitatē mathematicam, est tamen secundum iustitiam distributiua: in qua attenditur æqualitas proportionalitatis.

Præterea meritò in hoc Regulæ articulo de singulorum ætatibus mentio fit. Nam quãuis forte necessitatis nomine hic infantium vel seniorum ætas comprehenderetur: adhuc tamen id expresse cauetur, vt maiori curæ ætatibus his, maxime vero senio confectis necessaria prouiderentur. Quis autem vere dicatur senex, non est facile discernere. Hippocrates enim senem appellat à quadragesimo octauo suæ ætatis anno vsque ad 56. sic seruius Tullius illos senes nominat, qui ad annum 46. accesserunt, Varro vero 45. Gale-

Hypocrates.

Seru. Tul.

Varro.

Galenus.

nus lib. 5. de tuenda sanitate, ætatem senis tripartito diuidit in quo modo non moror: nã iure Canonico probabilis sententia est, senem dici, qui annum 50. attigerit: pro qua sententia multos refert authores peritissim^o Menochius, de arbitrarijs iudicium quæstionibus, to. 1. casu 59. Ipse tamen, relicta hac sententiã, cum communi sentit, senectutem arbitrio iudicis, vel prudentum iudicandam esse. Quæ sententia maxime mihi placet, cum in hoc vlla certa regula aut diffinitio assignari nõ possit. Prælati ergo illum arbitrabitur senem quem iam annorum numerus, perpessi in Religione labores & assidua corporis afflictiones ineptum ad ordinis rigorem reddiderunt. Ijs ergo districtioris vitæ indulgentia (cum discretionem tamen) permittenda est. Quod merito magnus ille monachorum Pater Benedictus in sua regula c. 37. præcepit. Agens enim ibi tam de senum, quam infantium ætatibus, ait: *Licet ipsa natura humana trahatur ad misericordiam in his ætatibus, senum videlicet, & infantium tamen & Regulae auctoritas eis prospiciat. Consideretur semper in eis imbecillitas, & nullatenus eis districtio Regulae teneatur in alimentis, sed sit in eis pia consideratio, & præueniant horas canonicas* Quod autem Benedictus ita senibus præcipue provideat, non mirum est, cum Senectus quædam morbi species esse perhibeatur. Sic Comicus senectutem, ait, perse ipsam morbum naturalem esse. Vnde M. Tullius in oratione de Q. Mutio loquens, *Et ille senectutis morbus (inquit) non equidem incidens est & transiens.* Oportet tamen, Prælatos (& potissimum in ordine nostro) in hac re maxima cūcautione procedere, ita, vt non nisi præmissis diligentiori examine, hæc aliqualis indulgentia cõcedatur. Ne professio nostra, quæ in asperitate & arctitudine vitæ tota versatur, his indulgentijs ac remissionibus facile tepescat, aut relaxetur. Cum pueris vero, si qui in Religione aliquando admittantur, non minor Prælatorum discretio requiritur. In illis enim oportet, vt attente cõsideret vires, complexionem, & alia: & secundum ea iudicet, quid magis ordini expediat: ne Religionis progressu eis vires deficiant, & inhabiles ad communitatis labores omnino reddantur.

Menochius.

Benedictus.

Comicus.
M. Tullius

Tertio aperire oportet, quid nomine necessitatis Regula intelligat. Pro quo obseruo, illam esse veram necessitatē, cui si non provideatur, officium communitatis ab habente eam exerceri non potest, vel si particularis persona re aliqua indiget, sine qua commode secundum nostræ vitæ statum transire non potest: verbi gratia, si deficient sufficiens victus, vel vestitus, vt cibus & potus, vestes, lectus, domus, vel cella, libri pro officio diuino, vel pro studio literarum, vt Prædicatoribus, confessoribus, aut scholasticis in collegijs studentibus: & denique alia huiusmodi requisita ad cuiusque officij munus debite exercēdū. Quæ omnia providere tenetur Prælati secundū nostrum viuēdi modum, & statum paupertatis, quem professi sumus, ita vt vere adimpleatur Concilij Tridentini sessione. 25. cap. 2. decretum, nempe, quod *Ita rerum usum Prælati permittant, vt eorum supellex statui paupertatis, quem professi sunt, conueniat. Nihilque superflui in ea sit, Nihilque, quod sit eis necessarium, denegetur.* Hæc enim sunt, & aliæ necessitates, quas Prælati in rerum distributione attendere, & providere debet. De quo, siue de dispensatore (quod in proposito idem est) Basilius in regulis superior interrogatione. 19. scribens ait: *communis scopus dispensatoris sit, necessitatis impletio.*

Coc. Trid.

Basilius.

Præterea aduertant Prælati, nomine necessitatis hic nō intelligi necessitatem, quam dialectici simpliciter appellāt: qua ratione aliquid dicitur necessarium, sine quo res nullo modo consistere potest: sed necessitas sumitur pro necessitate decentiæ, aut congruentiæ, secundum nostrum statum paupertatis: ita, vt illa sit censenda necessitas, quam, consideratis nostri ordinis circumstantijs, indecens vel inconueniens esset, non subleuare. Quare mensura & regula in distributione à Prælato facienda, est necessitas decentiæ nostri status, quam optime necessitatem dici, docuit Diuus Thomas secunda secundæ quæst. 141. & cum eo ibi Cayetanus. Vnde hic nomine necessitatis non solum extrema necessitas, & illa, quæ grauis est, verum & ea, quæ est secundum condecentiam status, intelligitur.

**D. Thom.
Caytanus.**

Ex quo fit, in prædictis casibus necessitatis, & non in
alijs

alijs debere fieri huiusmodi inæqualem distributionem. Quare neque in minoribus aut paruis necessitatibus ita arcte obligantur. Vnde optime Hugo de Sancto Victore in Regula Beati Augustini. cap. 4. admonet, regulam hanc de distribuendis bonis communibus inspectis necessitatibus & ætatibus, non sic esse interpretandam, vt abundanter omnia distribuantur, quasi omnimoda indigentia sit e monasterio propulsanda. Quamuis enim act. quarto scriptum sit, *Nec quisquam egens erat inter illos*: tamē etiam de ipsis Apostolis legimus, quod Deo seruibant in fame & siti, in frigore, & nuditate: in huiusmodi enim negotijs valetudinem naturæ, non carnis attendere oportet. Quare subditi rebus necessarijs contenti esse debent, & patienter ferre, si aliquando hæc eis deficient, neque in Religione abũdantias, aut delicias quærere Bernardus. *Magna sane abusio est, vt in loco paupertatis, vbi diuites penuriam incurrunt, pauperes superfluitatem quærant: in loco afflictionis, vbi delicati mortificantur, homines rustici res delicatas affectent.* De hac vitæ parsi- monia à subditis seruanda, plura in tractatu paupertatis 4. par. c. vlt. tradidimus. Quibus addo vtilem Caiet. doctrinã. 2. 2. q. 186. ar. 7. qui ibi omnino videndus erit, vbi conqueritur desumptibus Religiosorum, ob quorum nimietatem perfectionem Religionum distractam esset affirmat.

Sed hic statim dubium occurrit, an quando necessitas est occulta, neque à Prælato cerni potest, subdito eam propalanti teneatur Prælatus fidem adhibere? August. ca. 17. suę Reg. ait. *Si latens est dolor in corpore, famulo Dei dicenti quid sibi doleat, sine dubitatione credatur.* Vmbertus vero in commentarijs ad illud cap. in hæc Augustini verba ita scripsit. *Signa seruorum Dei hæc sunt, seruire Deo die ac nocte voluntarie humiliter, & deuote: obedire Prælato: quærere bonum commune, & nõ priuatum; edificare proximum verbo, & exemplo.* Tali inquit famulo Dei, quid sibi doleat, absque vlla dubitatione credendum est. Hæc Vmbertus. Mihi vero in hac parte potius videtur, vt nimia credulitate Prælatus excedat, quam vt ob huius defectum à debita charitate, & iustitia deficiat. Nam si in priori erret, forte contra prudentiam, & materialiter tantum peceabit: in secundo vero maiori

exponi-

Hugo de S.
Victor.

Act. 4.

Bernardus.

Cayetanus.

Augustinus.

Vmbertus.

exponitur periculo, tum, quia facit contra potissima Charitatis & iustitiæ præcepta, tum, quia subditum multis periculis tam corporalibus, quam spiritualibus exponit. Aliquando tamen proderit, Prælatum leuiter non credere, & cautio-rem esse circa suas oues cognoscendas: hoc enim maxime ad ferendum iudicium in hac reiuuabit.

D V B I V M V.

De infirmorum necessitatibus, ac de eorum cura à Prælatiſ ſolicite procuranda.



NECESSITATIS nomine potissimū in Regula nostra ægritudines ac debilitates Religiosorū intelliguntur. Quare oportet, Prælatos maxime intētos esse in infirmorum necessitatibus prouidendis, ac curam de eorum valetudine ac so-

latio diligentem adhibere. Hanc maxime Religionum Patriarchæ & institutores in suis Regulis commendarunt. In primis Diuus Basiliius in quæstione fusio. interrogatione 55. quærit, an sit iuxta scopum pietatis vti medicina? Respondet, *Quod quemadmodum singulæ artes in auxilium nobis, ob debilitatem, à Deo donatæ sunt, veluti agricultura, cum non sufficerent ea, quæ sponte ex terra nascuntur: sic etiam medicina data est in auxilium nostri corporis.* Vbi Basiliius de medicinæ vtilitate plura prosequitur. Ita tamen ibi tradit Monachos debere curari, vt superflua non quærant: & præterea sit Medicinæ arte vtendum, vt non in ipsa omnem causam sanitatis & morborum ponamus, sed ad gloriam Dei & formam medelæ animarum, vsum rerum ab ipsa sumamus. Alia deinde lectione digna circa Medicinæ vsum docet ibi Diuus Basiliius. Idem quoque in regul breuior. interrogatione. 155. ait. *Qui præfectus est, necessario singulos languentes cognoscere debet:*

Basiliius.

*Benedictus.
Gregorius.*

conuenienter curare. Benedictus. (cuius Regulam discretione conspicuam Sanctus Gregorius appellat,) de infirmis fratribus cap. 36. sic scriptum reliquit. *Infirmorum cura ante omnia & super omnia adhibenda est: ut sicut reuera Christo, ita eis seruiatur. Quia ipse dixit: Infirmus fui, & visitastis me & cetera. Et infra. Ergo cura maxima sit Abbatum, ne aliquam negligentiam patiantur. Quibus fratribus infirmis sit cella per se deputata, & seruitor timens Deum, & diligens, ac sollicitus. Neque his contentus, infra idem Benedictus iterum repetit. Curam autem maximam habeat Abbas, ne à cellarijs aut seruatoribus negligantur infirmi: quia ad ipsum respicit quidquid à discipulis delinquitur. Diuus Augustinus in capit. 4. suæ Regulæ multa circa infirmorum curam sancte & pie decernit. Diuus Hieronymus in Epist. ad Eustoch. de custodia virginitatis, inter alia, quæ de monachis sui temporis laudat, hoc circa infirmorum curam refert. Siquis (inquit) ceperit egrotare, transfertur ad exediam laxiorem, & tanto senum ministerio confouetur, ut nec delicias urbiū, nec matris querat affectum. Et denique Franciscus in sua Regula cap. 6. Si quis (ait) in infirmitatem ceciderit, alij fratres debent ei seruire, sicut uellent sibi seruire. Placuit etiam prædictis adiungere Diui Bonauenturæ, circa ægrotorum curam, quædam præclara documenta, à Prælatiſ præ oculis habenda. Is enim tomo secundo in lib. de sex alijs Seraphin cap. 4. hæc tradidit.*

Augustinus.
Hieronymus

D. Francisc.

Bonauentu.

Infirmitas corporis triplex est. Primi sunt infirmi decubentes in lectulis, vel acutis vel alijs infirmitatibus grauibus laborantes. Alij sunt infirmi per domicilium, vel etiam per terram quandoque deambulantes, & tamen sepe grauibus doloribus afflicti, ut calculosi, infistulati, ponderosi, & similes. Tercij determinatam infirmitatem non habentes, sed tamen corpore debiles, & uiribus exhausti, ut senes, & laboribus confecti, vel naturali infirmitate depressi, sed

quan

quandoque accidentali labore ad tempus astricti. His est triplici pietate subueniendum. Scilicet, remedijs medicinalibus, si congrue potest fieri. Item, relaxatione rigoris in victu, vestitu, vigilijs, & huiusmodi. Item, exemptione laboris in officijs, seruitijs, discursibus, & huiusmodi, pro vt cuiusq; necessitas exquirat. Itaque primis de primo, secundis de secundo, tertijs de tertio, iuxta singulorum indigentiam specialiter succurrat. Omnis humanitas est infirmis, & debilibus exhibenda, quia flagellati sunt à Domino. Si super hoc ab hominibus tribulantur, ipsa eorum miseria clamat ad Patrem misericordiarum, contra illos, qui eos tribulant conquerendo: dicente Dauid. Quoniã quem tu percussisti, persecuti sunt: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Infirmus enim, qui afflētus sibi met subuenire non valet, eo ipso amplius tribulatur, quia ab his, quibus deberet, non solatur, non à labore releuatur non subuenitur indigenti, nec habet sibi compatiētem, iuxta illud Propheticum. In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me, improperium expectauit cor meum, & miseriam. Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni. Et dederunt in escam meam fel exprobrationis, & in siti mea potauerunt me aceto obiurgationis. Fiant ergo eis quæ sequuntur fratrum suorum patrem, non dominum, & exhibet se eis medicum, non tyrannum Et infra, Bonus autem Prælatus agnoscit se nec reputat eos vt iumenta sua, vel seruos emptionis, sed vt filios hereditatis supernæ consortes: & facit eis sicut vellet sibi fieri, si similiter indigeret. Sed fortes & sani non sentiunt quod sentit ager: ideo nesciunt eis compati, sciēt autem postea, cum dolebunt. Quod si obijciant, quia saepe fingunt se quidam debiliores, quam sunt, nunquid propter hoc omnes sunt hypocritæ iudicandi, cum è contrario pro paucis iustis, vt habetur in Genes. 18. multis malis Dominus voluerit pepercisse? Triplici autem ratione magis indigent infirmi subsidio pietatis

tatis, quàm sani, & robusti. Primo propter sustentationem vitæ: quia seipsum non valent procurare. Si tunc etiam ab alijs nõ procurantur, coguntur deficere, & non possunt subsistere iuxta illud 2. Reg. 1. Ne penitus pereat, qui abiectus est. Secundo, propter restaurationem sanitatis, & virium, quas in infirmitate perdiderunt. Cum enim sanus & fortis solum indigeat sustentamento, ut quod habet conseruet: æger & debilis indiget duplici refectioe, ne pereat, & perdat quod adhuc habet, & reparet quod amisit, dicente Domino Luc. 19. Ab eo, qui non habet, etiã quod videtur habere auferetur. Tertio, propter consolationis releuamen: quia cum sic multipliciter affligantur solatium est eis cum vident alios sibi compati, & ad reparationis suæ studiũ fideliter cooperari, & dicunt cum Saul. 1. Reg. 23. Benedicti vos à Domino, quia doluistis vicem meam. Sed dicunt aliqui. Illis debilibus dignè subuenitur, de quibus est spes conualescentiæ: in illis verò, de quibus non præsumitur quod aliquando conualescant, inutiliter consumuntur expensæ. Hoc recte diceretur, si non propter meritum charitatis, sed propter retributionem humanæ utilitatis deberet infirmis misericordia exhiberi. Qui autem propter hoc infirmo subuenit, ut cum sanus fuerit, bene factum illud seruando retribuatur, merito charitatis se priuat. Vbi enim maior miseria, ibi clarior misericordia apparet, & purior charitas. Expediit ergo, Prælatum quãdoque experiri infirmitates cæterorum, ut discat compati, iuxta illud Hebr. 4. Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris. (Hæc Diuus Bonauentura.

Nec Sancta Pontificum decreta huius laudabilis circa infirmos ministerij obliuiscuntur. Innocentius enim. 3. in capitulum ad monasterium, de statu monachorum, sic statuit: Porro debiles, & infirmi, qui minutione indigent, vel aliqua medicina, non seorsum in cameris, sed omnes in infirmitorio quæ sibi necessaria fuerint tam in carnibus, quam in alijs recipiant competenter. Hoc est igitur, quod nostra Regula illis verbis, *Inspectis necessitatibus*, præcipit. Latius vero & expressius nostris cõstitutionibus

Bonauentura.

hæc.

hæc infirmorum cura commendatur, vt patet ex parte prima cap. 18. præcipue, §. 2.

Turrecrem. Et ratione etiam hæc constant: quia iure ipso, & quasi ex natura rei spectat ad Prælatos præfata prouisio de necessarijs, præcipue vbi maior est indigentia, qualis est in infirmitatibus: quia subditi renūtiarūt se ipsos tā quoad animā quā quoad corpus, & potestati Prælatorū omnino se tradiderūt. Et sic nō aliter, quā Patres filiorū, subditorū tenentur curam gerere. Vnde vt optime Turrecremata in d. c. 36 regulæ Benedicti loquitur, *Si monachus reliquit sua ex quibus sibi necessaria parare posset: reliquit suos, qui ei in infirmitatibus libenter ministrarent: reliquit etiam semetipsum propter Christum, nolens sui curam habere: magna erit impietas Prælatorum, si subditorum indigentijs non plene subueniant*, Hæc ille. Neque in procuranda infirmorum salute, cæterisque ad eorum solatium necessarijs vnquam admittenda est Prælatorum excusatio, dum paupertatis titulo negligentius his subuenire solēt. Nam potius (vt Beata mater Teresa à Iesu dicere solebat) sanis necessaria, quàm infirmis in monasterijs indulgentia siue deliciæ deficere debent.

Benedictus. Illud tamen etiam ipsos ægrotātes admonere vellem, minime oportere, nec superflua in Monasterio quærere, nec de obsequio sibi impenso murmurare: sed se infirmos pauperes esse sæpe mente recolere. Vnde Benedictus vt supra. *Ipsi infirmi considerent, in honorem Dei sibi seruire, & non superfluitate sua contristent fratres suos, seruientes sibi.* Hæc Benedictus. Quare si aliquando infirmi oblonium aliquod vel medicinam appetant, indicare illud debent Prælato, vel eorum curam gerenti: & si obtinuerint (vt par est) gratias agant: sin minus patientes sint, & ob Dei amorem eo libenter careant. Nam, vt inquit Basilius interrog. 155. *Si infirmus retribuendæ à Deo mercedis gratia laborem suffert, non inde solatium, ac mitigationem requirere debet: sed ad retributionem mercedis à Domino se ipsum cōponere, sciens, quod consolatione pro angustia à benigno Deo dignus fiet.* Et in proposito notanda sunt Hugonis verba in reg. D. Francisci cap. 6.

Hugo.
ibidem

ibidem à Corduba relata quæst. 19. *Infirmus autem* (inquit) Corduba.
si pauper est voluntarius, penset non quæ diuites, sed quæ pau-
peres infirmos decent. Nam pauperis est, modicis esse contentus
& in necessarijs sæpe deficere, defectumque æquanimiter
tolerare. Grandium autem est, grandia quærere, & nullum
in votis æquanimiter ferre defectum. Hæc ille. Neque enim
Prælati, vt ibidem ait Corduba, more reddituariorum pos-
sunt communiter subditis sine vlllo defectu prouidere.

Quare cauendum maximè est Religiosis, etiam infirmis,
extraordinaria condimenta, aut pretiosa, aut non multum
necessaria quærere, vt optimè Bernard. in Epistola 321. ad
fratres de Sancto Anastasio consulit. *Compatior* (inquit) Bernardus.
vtique, & multum ego compatior infirmitati corporum, sed ti-
menda multo magis ampliusque cauenda infirmitas animarum.
Propterea minimè competit religioni vestræ, medicinas quæ-
rere corporales. Nam de vilibus quidem herbis, & quæ naupe-
res deceant, interdum aliquid sumere, tolerabile est, & hoc
aliquando solet fieri: at vero species emere, quærere medicos,
accipere potiones, Religioni indecens est: maximeque ordinis
nostri neque honestati congruit, neque puritati. Hæc omnia gen-
tes inquirunt. Hucusque Bernardus. Et forte, (netam rigidam
sententiam cum Bernardo proferamus) non hic Bernardus
de grauibus infirmitatibus loqui credendus est, sed de qui-
busdam inuenteratis, & consuetis morbis, quibus non alio
remedio, quam patientia, mederi potest, de quibus Basilius
loquitur dicta Interrog. 55. in reg. fusius disputatis.

Denique (vt omnia concludam) infirmis præ oculis hæc
quinque habenda erunt. Primum ne superflua quærant. Se-
cundum, quod necessaria ita postulent, vt si eis denegen-
tur, patienter sufferant, & à Deo retributionem sui laboris
expectent. Tertium, vt sibi persuadeant, non omnes infirmi-
tates medicinæ auxilijs posse sanari: nam, (vt rectè Basilius
d. interrogatione 55.) *Sæpè flagella peccatorum sunt*
ægritudines ad conuersionem inductæ. Quem enim (inquit A-
postolus ad Hebr. 12.) *diligit dominus, castigat: Et ideo inter*

Vos multi debiles & infirmi, vt ipse prima Corinth. II. testatur. Tales igitur oportet quiescere, ac dimittere studia medica, & sustinere quæ inducuntur, vbi nostra ipsorum delicta cognouerimus, iuxta eum, qui dixit Michæ: 7. Iram domini sufferam: quia ipse peccaui. Hæc Basilius, vbi latè docet; multas esse infirmitates, quæ non ex malitia victus, aut ex alijs principijs naturalibus proueniunt, sed eas Deus nobis propter nostra peccata vult infligere: in quibus medicinam quærere, superfluum est. Quartum, quod etiã si aliquæ leues ægri tudines (maximè inter nos) aliquod medicinæ remediũ admittât: nō tamē debēt omnes, nec possunt curari, cū possibile nō sit, in tātaviat̃ nuditate ac arētitudine, aliquo corporis incommodo vel dolore non affici.

Quare si quis omnes eradicare velit, certè illi eueniet quod de Hydrix Capitibus fabulantur Poetæ, quod amputato vno, plura renascerentur. Est enim hoc nostræ vitæ genus omnino medicinæ regulis contrarium. Et sic de illis in nostro Ordine non est multum curandum, maximè si infirmitas grauis non sit, aut talis conditionis, quod à proprio munere exercendo Religiosos omnino impediat. Quare rectè Ambrosius in Psalm. 20. *Contraria (ait) diuinæ conditioni præcepta medicinae sunt. Ita qui se medicinis dederit, seipsum sibi abnegat.* Videnda sunt, quæ supra capitul. 4. de refectione ex Bernardo Serm. 30. in Cantic. tradidimus. Vbi quantum distet inter Christi, & Hippocratis præcepta, & inter vtriusque discipulos, aptè docet vt solet. Quintum & vltimum desumitur ex Augustini Regula capitu. 2. *Vt cū infirmi suas vires pristinas reparauerint, ad feliciorē consuetudinē suam redeant: quæ famulos Dei tanto amplius decet, quanto minus indigent: Neque ibi eos teneat voluptas iam vegetatos, quos necessitas leuaret infirmos. Illos aestiment ditiores, qui in sustinenda parcitate fuerint fortiores.* Et hæc de inspiciendis etatibus, & necessitatibus singulorū dicta sint.

IN TEXT. IBI.

Asinos autem siue Mulos, prout vestra expostulauerit necessitas, vobis habere liceat.

CIRCA hæc verba, aliqua in initio huius capituli adnotauimus: vbi rationem reddebamus, quid his Innocentius Quartus voluerit significare. Diximus enim, hanc esse veluti exceptionem paupertatis, quam in communi nobis in hoc capitulo Regula præscribit. Et quamuis per hanc omnium possessionum, reddituum, ac aliorum bonorum dominium interdicitur, & nihil horum Religionibus similem profitentibus paupertatem habere liceat: concessit tamen Innocentius Quartus, vt saltem asinos siue mulos, & aliqua alia animalia siue volatilia nobis liberum esset possidere. Et in primis asinos siue mulos habere permisit: quia cum fratres nostri, Eremiti loca sæpè ab vrbibus remota inhabitarent, ad eorum victum, & reliqua Monasterij emolumenta, necessum erat his animalibus vti. Addit præterea. *Aliquot animalium siue volatilium ad vestrum nutrimentum.* Nam cum nobis eius carni in hac Regula sit prohibitus, & ex alia parte pisces non vbique facile parentur, rectè cautum ab Innocentio videtur, vt Eremitæ aliqua animalia haberent, ex quorum fructibus (quales sunt, lac, caseus, & oua) alerentur.

Præterea considerandum est, Regulam non solum volatilia, sed etiam aliqua alia animalia cōcedere: quod de quadrupedum etiam genere (quales sunt oues, & capræ) intelligi debet. Ex quo elicere possumus, attento Regulæ rigore ac puritate, non licere in ordine, arietum, aut cuniculorum, siue quoruncumque aliorum animalium greges possidere, nisi tantum ea, quæ ad nutrimentum Religiosorum, medijs lactici nijs, aut ouis iuuare possint.

Sed dices. Etiam ad infirmorum nutrimentum prædicta animalia conducunt: igitur etiam erunt à Regula permissa. Respondeo, quod et si aliqua ex animalibus prædictis vtilia & necessaria sint ad infirmorum ægrotudines, in quibus carnis vesci licet, curandas: tamen adhuc mens Regulæ non videtur esse, de hoc infirmorum nutrimento agere: quamuis in hoc nõ multū scrupulose insistendū sit. Neq; enim existimo, omnino à Regula alienū, in eremi domib⁹ (si id sine scâdalo fieri posset) aliqua prædictorū animalia ab subueniendū

infirmorum necessitatibus habere. Nec tamen credat aliquis, ex hoc licitum esse, greges arietum à fratribus possideri: hoc enim valde nostræ paupertati dissonum, & omnino contrarium censeo; nisi fiat cum magna cautione & limitatione, vt esset, quatuor vel sex arietes pro dictis necessitatibus retinere. Denique Circà hanc capitis partem restat, vt de paupertate in communi aliqua differamus.

D V B I V M V I.

An nostra Religio, & Regula habeat paupertatem in communi, & vna sit ex Mendicantibus.



X his, quæ in initio huius Capitis præfati sumus, satis superque constat, tum ex his verbis *Asinos siue mulos. &c.* tum ex varijs Põtificum declarationibus ibi adductis, nostram Religionem ex vi suæ Regulæ paupertatem in communi profiteri, ac ex consequenti, quod vna sit ex Mendicantibus, non quomodolibet ex constitutionibus aut alijs priuilegijs, vt alij ordines sibi hunc titulum vendicarunt: sed ex proprio iure & Regula, quia illi proprietates omnium rerumque vsus in communi interdicitur. Sunt autem ex approbatis in Ecclesia Dei Religionibus duæ Regulæ tantum, quæ hanc mendicitatem, & paupertatem præcipiant, nostra scilicet & B. Francisci Regula: quamuis nostra prima fuerit ex his Regulis, quas ego viderim, quæ in Ecclesia hunc altissimum paupertatis modum introduxit, & suis professoribus obseruandũ tradidit Nam cū ea prima fuerit inter mendicantes, vt in præfationibus probatum reliquimus: constat etiam, ab ea in primis hanc arctissimam paupertatem dimanasse.

Quod verò Religio nostra ex Regula sua mendicitatem accipiat, præter ea, quæ in initio huius capite dicebamus, docet inter Canonistas Abbas Lappus alleg. 45. Et quauis
ibi

ibi aliquantulum hesitet, tandem inclinatur, Carmelitas esse Mendicantes ex Regula, quod colligitur ex illis verbis Regule, *Etcum oporteat, vos frequētius mendicare itinerātes*. Et licet ipse amplius non probet, non ineptē id ex prædictis verbis colligi demonstrabo quia siue illud verbum (oportet) vim habeat præceptiuam, ut constat ex Clementina exiuit de verborū significatione, siue tantum condecēntiam siue honestatem importet, magnam vim illa verba ad confirmandam Lappi sententiam habēt. Nam si præceptiuā sint, (quod verius, & probabilius apparet,) aperte sequitur intentum. Si enim Regula præcipit, ut adhuc itinerantes mendicemus, quanto magis etiam in alijs temporibus idem vellet obseruari? Si verò verbum (oportet) honestatem aut decentiam tantum denotet, non minus vrget argumentum: quia tunc illis verbis supponitur professio arētissimæ paupertatis. Nam faciunt hunc sensum, Cum vos pauperes tam in particulari, quàm in communi sitis, decet vos ut pauperes mendicare. Si enim Regula redditus ac possessiones permitteret, quorsum præcipere deberet, ut itinerantes mendicarem? Quod non ob aliam rationem factum existimo, nisi quia, cum Monasteria redditus habere non permittantur, ex quibus Religiosis itinerantibus prouidere possent, cautum à Regula fuit, ut illi iter facerent mendicantes.

Clem. Exiuit, de verbis signifi.

Præterea ex iure communi constat, Carmelitas esse Mendicantes. Colligitur enim ex cap. unico de Religiosis domibus in sexto, festque hoc ita communiter receptum, ut non sit necessarium amplius in eo immorari.

ca. unico de Relig. domibus in 6.

Difficultas verò restat, an supposito decreto Concilij Tridentini sessione 25. cap. 3. quo cauetur, ut omnes Religiones Mendicantes, exceptis Capucinatorum & obseruantie Beati Francisci, possint libere & licite redditus, siue alia bona immobilia possidere: hæc decisio locum habeat in paupertate quam nos ex regula profiteamur.

Conc. Trid.

Estque regens argumentum pro parte negatiua: quia ibi Concilium tantum id prohibet illis Religionibus, quibus ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex priuilegio Apostolico non erat concessum: at in nostra Religio-

ne non ex priuilegio aut ex constitutionibus ortū mendicitas habuit, sed potius ex ipsa regula, vt supra demonstrauimus. Secūdo. Quia neque ordo Discalceatorū Carmelitarū neque Regula primitiua tēpore Concilij erat in vsu. Quare Concilium nullam de ea potuit habere notitiā, ac proinde decisio tantū extendenda est ad eas Religiones, quæ tunc temporis florebant. Et confirmatur. Quia sicut excepit Concilium ordinem B. Francisci, quia hoc Mendicitatis ius ex Regula accepit, etiā nostrum ob eandem causam exciperet: ergo adhuc stante decreto Concilij Tridentini, bona immobilia in ordine possideri non possunt.

Pro cōtraria parte etiā vrgere videtur, quod Cōciliū ibi de omnibus Mendicantibus loquitur, siue ex regula, siue ex cōstitutionib⁹ mēdicatē seruēt: alias si tātū loqueretur de illis Religionibus, quib⁹ hoc per suas cōstitutiones erat prohibitū, frustra Cōciliū exciperet fratres ordinis Minorū quib⁹ nō ratione cōstitutionū, sed ex sua Regula hoc cōpetebat.

Adhuc tamē prioris sentētix fundamenta probabiliora vidētur. Nā certe Conciliū illis verbis, *Etiā quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex priuilegio Apostolico non erat concessum*, expresse significat, suā facultatē ad lummū extendi ad illas Religiones, quibus hoc cōpetit ex constitutionibus, aut ex priuilegio Apostolico. Quare eū Cōciliū tantū constitutionū, vel priuilegij, & non Regulæ mentionē fecerit, apertē videtur colligi, nō loqui ibi de Mēdicatibus ex vi Regulæ. Et ad Rationem in contrarium Respondetur, verba Cōcilij aliū habere sensum, quàm argumentū proponit: nā Cōcilium ait: *Concedit Sancta Synodus omnibus Monasterijs & domibus, tam virorum, quàm mulierum etiam Mendicantium, exceptis fratrum Sancti Francisci*. Ecce, quomodò Conciliū, volens cōprehendere omnes Religiones etiam mendicātes, excepit B. Francisci domus, quia mentionē fecerat Mendicantium: postea verò ad maiorē claritatē addit etiā, illis Religionibus, quibus ex constitutionibus proprijs, aut ex priuilegio Apostolico hoc erat prohibitum: non verò loquitur hic de illis, quibus ex Regula non erat concessum. Et sic Religionem Beati Francisci ideo excepit, quia de Mendicantibus absolute pronuntiauerat. Quare in hoc casu non audeam affirmare,

affirmare, hoc decretum Concilij nobis præbuisse facultatem habendi immobilia bona. Et hanc nostram sententiam quidam doctissimus Primarij Canonum doctor Vallisoletidum Concilium Tridentinū circa c. 3. exponeret, affirmavit. Tridentinū (scilicet) ibi non agere de illis Religionibus quibus ex Regula bona immobilia non sunt permilla. Ex quo colligitur, non esse facultatem in ordine, nisi consulto summo Pontifice, statutum, quo facultas præbeatur ad habendos redditus, vel alia immobilia bona, condendi. Præterea quia Gregorius XIII. in Bulla separationis, & alij Sūmi Pontifices ordini potestatem concesserunt, leges & statuta faciendi, dummodo Regulæ primitivæ non sint contraria. Tum tertio, quia iam religio renunciauit proprijs constitutionibus huic Concilij favori. Quare, cum Regula decernat, nihil nos neque in communi neque in particulari possidere posse: sequitur, quòd constitutio vlla ei non possit derogare. Nec valet si aliquis respondeat, non fuisse animū Pontificis per hanc & similes Bullas Concilio Tridentino derogare: quia Summus Pontifex minimè dictis Bullis abrogat Tridentini decretum. Nam Tridentinum non præcipit, vt habeantur bona immobilia, sed concedit habendi ea liberā licentiam. Vnde, quòd Summus Pontifex velit, nos ea licentia non vti, non est hoc Concilio derogare: sicut non derogat Concilio Capitulum generale, cum præcipit, vt nihil commune habeatur.

Cap. I X. De oratorio, & cultu Diuino.

TEXTVS.



ORatorium (prout commodius fieri poterit) cōstruatur in medio cellularū, vbi mane per singulos dies ad audienda Missarum solennia conuenire debeatis, vbi hoc commode fieri poterit.

Simile decernitur in Coad. & Carthus. constitutionibus.

Glossa. IX.

DV O in hoc capitul. præcipue commendantur. Primum, vt oratorium siue Monasterij Ecclesia in medio cellularum construatur. Secundum, vt manè in oratorio ad audiendam Missam omnes conuenire debeant. Nec tamen ad id obligat absolute, sed tantum vbi hoc comode obseruari potest. Circa huius capitis priorem partem recolenda sunt quæ supra capitul. 2. annotauimus: nempe, Monasterij formam ex Regula talem esse debere, qualem ibi descripsimus. Quod ex hoc capitul. valde confirmatur: dum in eo præcipitur, vt oratorium in medio cellularum construatur. Quod signum euidentis est, Monasterij domum siue eius structuram non esse continuam, sicut modo erigi cum claustro & dormitorio solet: sed potius tunc ex cellulis diuisis & à se inuicem separatis constituisse. Et hæc est forma monasterij, quæ à Regula intenditur. Et ob id in medio earum in hoc capitul. Oratorium construi præcipitur, vt commodius omnes ad officia diuina peragenda conuenirent, vt nunc etiam in Ordine Camandulensium seruatur. Est enim ex Regula nobis eremitica vita, & cellularum solitudo præscripta, vt dicto capitul. secundo diximus.

Circa secundam vero huius capitis partem, per illa verba, *Missarum solemnia*, primum dici potest, omnes debere conuenire manè ad audiendam Missam: quia cum omnes laboribus manuum studerent, oportebat, vt primo manè Missam audirent, vt sic labori iugiter incumberent. Ex quo elicitur, esse Regule præceptum, vt omnes Missam Quotidie audiant. Hic est communis huius loci sensus.

Secundo, & probabilius dici potest, hunc locum non intelligi de Missa priuata, sed potius de Missa conuentali; quod satis expresse illa denotant verba, *Missarum solemnia*. Missa enim solennis illa tantum dicitur, quæ in conuentu ab omnibus celebratur, vt constat ex Rubricis Missæ solennis, Et præterea, quia, cum iure cautum sit, vt quolibet die in Ecclesijs Regularibus Missa conuentalis celebretur vt ex c. cū creatura de celebratione Missarū patet, videtur prædictū

cap.

Capit. cū
creatura, de
celeb. Miss.

c. intelligi debere de hac Missa conuentuali. In quo, duo statuuntur; primū, quod Missa hæc in quolibet conuētu quoti die celebretur: secundum, quod ad illam audiendam omnes conueniant, vbi commodè poterit obseruari. Quæ verba intelligi possūt, vt omnes conuenire teneātur, nisi aliud impedimentum vel rationabilis causa obstet, quamuis propria & vera expositio sit, vt supra in. c. 4. de communi Refectorio attigimus: in quo similia verba afferuntur, nempe hæc verba à Regula ideo esse adiecta, quia in aliquibus Eremitis ita cellulæ ab oratorio, vel communi Refectorio distabant, vt non semper commoditas esset illud ad eundem: hi vero, qui Missæ solemniter interuenire non possunt, non est dubium, quin ex mente Regulæ Missam priuatam audire teneantur.

Cap. X. De Capitulo, & correctione Fratrum.

TEXTVS.



Dominicis quoq; diebus vel alijs, vbi opus fuerit, de custodia ordinis, & de animarum salute tractetis: vbi etiam excessus & culpæ fratrum (siquæ in aliquo deprehensæ fuerint) Charitate media corrigantur.

De habendo capitulo qualibet septimana: D. Hierony. in Regula Monacharū. ca. 9. & de correctione, reg. Monachorū c. 6. & 2. p. statut. Cartus. c. 8.

Classa. X.

In hoc capite duo præcipuè statuuntur: primū, tempus in quo capitulum conuentuale celebrari debet: secundum, ea quæ in his capitulis gerenda sunt: Circa primum constituitur hæc conclusio. Capitulum debet fieri singulis Dominicis, aut alijs diebus. Circa secundum: Quatuor de-

De charitate & modo in correctione seruando

Bafilii in breuioribus. Reg. 37. & 99. Benedi. c. 2. & 64. & idem Basil. infuso reg. 51. D. Eracif. c. 7. & 10. sua Regula Societatis. 3. p. c. 1. num. 15.

terminantur. Primum, in capitulo de obseruantia ordinis agendum esse. Secundum etiam de animarū salute. Tertiū, de correctione culparum. Et denique Quartum de modo correctionis (scilicet, vt charitatiuē fiat) tractat. Quæ omnia nos ad tria dubia reducemus. In Primo & secūdo, de capitulo conuentuali, & de eius actibus, nempe, quomodo in eo fieri debeāt acclamationes siuē accusationes, in Tertio vero specialius qua ratione in correctione culparum se gerere debeant Prælati, exponemus.

D V B I V M I.

De his, quæ tam secundum ius, quàm secundum nostram Regulam in capitulo Conuentuali fieri debent.



N primis, singulis Dominicis vel alijs diebus celebrari capitulum à regula decernitur: cuius verba duplicem sensum possunt habere. Primus est, vt Dominicis diebus, & si his ali quod impedimētū se obtulerit, alijs septimana diebus capitulū fiat. Secūdus sensus est, quòd nō solū Dominicis diebus, sed etiā alijs, quando opus fuerit vel necessitas postulauerit, de animarum salute & correctione culparum agatur. Et verè hæc expositio Regulæ menti magis videtur congruere: nam illa verba, *Vbi opus fuerit*, non significant impedimentum, vt prima expositio fatebatur, sed potius emergentem aliquam necessitatem significant, in qua, etiam si Dominica die præcedenti capitulum fuerit celebratum, denuò, postulante id necessitate, peragi possit. Ex quo fit, secundum Regulæ mentem, Dominicis diebus capitulum omitti non posse: quamuis priori expositioni maximè faueat communis ordinis consensus: imo & cōstitutio nostra, in qua cauetur, vt diebus Veneris vel Dominicis in qualibet septimana capitulum in conuentu fiat. Hic tamen illud obiter dignum animaduersione occurrit, quòd, quando in Regula agitur de refectorio, aut de eo

quod

quod omnes in oratorio conueniant, semper illa verba adi-
ciuntur, *Vbi commodè poterit obseruari*: Hic verò hæc verba om-
nino omittuntur, quasi velit Regula, vt nemo à culpa-
rum capitulo quauis causa aut incommoditate excusetur.

Suppositis his, explicanda restant ea, quæ in capitulo tam
ex parte prælati, quàm subditorum, gerenda sunt. Ante omnia
igitur Prælati (vt initiū sumā à iuris & cōciliorum decretis)
præcipere tenetur, vt Regula vel saltem aliqua eius pars in
capitulo legatur, & deinde eā vulgariter omnibus expone-
re. Itā sancitum est in Concilio Vienensi sub Clemente V.
celebrato, & refertur in Clementina prima, de statu Mona-
chorum. §. Regula: docet Syluest. verb. (Religio) 7. num. 18.
quamuis glossa in dicta Clementina verbo (iuniores) do-
ceat, quod si non sint in conuentu iuniores, Prælati ad id
non obligabitur. Nam dicta Clementina Regulam legi præ-
cipit propter iuniores. Mihi verò gloss. expositio non pro-
batur: nā iuniorum nomine non tā intelligit ibi Conciliū ado-
lescētes, vel nouiter ad Religionē conuersos, quàm omnes il-
los, qui in cōuersatione sua, etiā si senes & antiqui in ordine
sint, iuniorum mores imitantur. Nā sicut seniorum nomine nō
tām annorum numerus, & ætas lōgeua, quam iudicij maturi-
tas, & senilis prudentia significari solet (vt patet ex illo Ec-
cles. 2. *Canities hominum prudentia est, & sap. 4. Senectus venerabi-
lis est non diuturna, atque annorum numero computata, cani autem
sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata, vt notarūt
etiā Origenes in Genes. homilia. 3. & in lib. Iesu Naue homi-
lia. 16, Hierony. in Esai. c. 3. Chrysost. in Epist. Paul. ad He-
bræos hom. 7. & deniq; D. August. in Gen. c. 18. qui omnes
nomine seniorum non annorum senectutē, sed cordis matu-
ritatem, & prudentiā intelligi volunt:)* itā è cōtrario, iunio-
rum appellatione, non tam ætate iuuenes, & Religionē mo-
derna, quàm omnes illi etiā senes & in ordine antiqui, qui
iuniorum vitam imitantur, in dicta Clementina intelligi de-
bent. Et cum hi rarò ab aliqua communitate soleant defi-
cere, saltem propter hoc Prælati vulgariter Regulam de-
clarare tenebitur.

Secundo Prælati in conuentuali capitulo, antequàm ad
alia procedat, sermone aliquo opportuno subditorum mētes
ad

Concil. Vie-
nens.

Clement. 1.
de statu mo-
nachorum.

§. Regula.
Syluester.

Eccli. 2.

Sapient. 4.

Origenes.

Hieronym.

Chrysost.

Augusti.

Esai, 58.

1. ad 2^o Tim.

3.

D. Thomas.

ad Regulæ; quam professi sunt, obseruantiam, vel ad aliarum virtutum functionem hortari debet. Nam cum sit custos legum, maximè earum custodiam verbo & opere Monachis debet persuadere. Ac deinde, cum Pastor sit, assiduis clamoribus à caulis ouium lupos arcere debet. Vnde per Esai. 58. Dominus Prælatos alloquens, præcipit: *Clama, ne cesses: & Paul. 1. ad Timoth. 3. Ut potens sit exhortari in doctrina sana.* Ex quo D. Tho. 2. 2. q. 42. ar. 7. omnem Prælati curam, & obligationem ad duo capita reduxit: alterum, quod subditos sua Doctrina in spiritualibus pascat: alterum, quod eos etiã pascat in temporalibus. Nullus ergo commodior locus est ad distribuendum hunc Doctrinæ partem, quàm capitulū disciplinæ. Quare hic Prælati ante omnia ad eius consequentiam subditos monere debet. Et hæc sunt veluti præambula, & inchoationes capituli.

Quod autem in capitulo præcipuè secundum Regulam geri debet, ad tria tantum capita reducit: primum, vt de custodia ordinis: secundum, vt de animarum salute: tertium, vt de fratrum culpis agatur.

Quoad primum, illud se offert statim prænotandum, capituli conuentualis finem esse, de ordinis custodia tractare: secundario verò, & minus principaliter de alijs rebus. Ordinis verò custodia nihil aliud sonat, quàm obseruantiam, & disciplinam regularem reficere. Quare de hac in capitulo potissimum agendum est: primo, vt Prælati in sermonibus suis ad eius amorè subditos alliciat, & moueat: ac deinde tam Prælati quàm subditi vicissim aduertant, atque cōferant, quid expediens aut vtilius sit ad exactiorè tam Regulæ quàm constitutionum obseruantiam: ac præterea, qua ratione occurrendum sit, ne abusus aliqui in monasterio inducantur, vel quomodo inducti, ne ulterius serpent, secandi, ac radicibus extirpandi sint. Hic est præcipuus huius capituli scopus: & ob id in religionibus eius frequentia tanto perè commendatur.

Secundum est, vt de animarum salute agatur: quod consequens est ad primū: nam in custodia ordinis animarum salus sita est. In specie verò hæc verba aliquid amplius, quàm præterita, indicant: nempe, quod Prælati vniciusque, qua-

liter in via Dei progredi debeat, secundum diuersum vniuscuiusque statum, munus, vel profectum, in communi aut in particulari, si opus fuerit, declaret, & doceat.

Tertio capitulum conuentuale ordinatur ad correctionem culparum, nempe, vt ibi fratres suas culpas spontaneè confiteantur, vel de eis accusati, patienter & accusationem, & correctionem ferant. Vnde culpe in capitulo duplici via propalantur: prima, dum ipsi religiosi seipso coram omnibus humiliter accusant: secunda, cum à zelatore, vel syndico, vel alio de capituli gremio denuntiantur. Quoad primum obseruandum est, hunc laudabilem seipso coram alijs fratribus accusandi morè antiquum fuisse in religionibus. D. Basilius sermone quarto exercitationis infine, *Siquid* Basilius.

(ait) *Factum est præter id quod decet, siue sit cogitatio interdita, aut sermo extra officium, aut ad orationem segnities, aut Psalmodiæ negligentia, aut communis vitæ desidium, ne occultet peccatum, sed communicati confiteatur: quòd per rōmunem orationem curetur vitiū eius.* Et in Reg. fusi. interrogatione. 37. *Cæterum completa die (inquit) fiat publicatio omissorum, siue peccatum voluntarium, siue inuoluntariū, siue etiam latenter factum est, aut in verbis, aut in factis, aut circa ipsum cor, ita, vt de his omnibus Deum per preces placemus.*

Hæc Basilius. Vbi etiam, quotidie has sui accusationes coram omnibus fieri, monet: quòd & hodie ad vnguem in nostra religione seruatur, dum qualibet nocte religiosi post cænā aut collationem coram omnibus prostrati, spontaneè culpas leues reuelant. Quod verò Basilius docet, etiam cordis cogitationes publicādas, consilium potius, quàm mandatū videtur. Cautius tamen Diuus Benedictus, culpas publicè confitendas esse. c. 46. declarauit, dicens. *Siquis in labore quouis, in coquina, in cellario, in ministerio, in pistrino, in horto, in arte aliqua dum laborat, vel in quocumque loco aliquid deliquerit, aut fregerit quidquam aut perdiderit, vel aliquid aliud excesserit, & non veniens continuò ante Abbatem vel congregationem ipse vltro satisfecerit, & prodiderit delictū suum* Benedictus.

suum : dum per alium cognitum fuerit , maiori subiaceat emendationi . Si animæ verò peccati causa latens fuerit , tantum Abbati aut spiritualibus senioribus patefaciat . Hucusque

Hieronymus

usque Benedictus . Diuus quoque Hieronymus Regu. Monacharum cap. 9 . Non pudeat (inquit) singulis hebdomadibus feria sexta , quo die Saluator opprobria pro homine ab homine pertulit , vnā quamque sororum suam vitam coram omni catu sororum discutere , & de commissis contra præcepta & Regulam se proprio ore criminari , ac disciplinā subire , quatenus stimulata mens stimulo accusationis ac Verborū , caueat accusandā ac pudenda cōmittere . Nec tamen propter hoc , occulta cogitamina cordiū prodantur , neq; occulta peccata , quæ solis debent sacerdotibus cōfiteri : sed solū quæ præceptis obuiant publicis , & sororibus exempla peccandi præbent . Si verò vel timore vel verecūdia se ipsam accusare neglexerit , licet vniciq; prepalare tale crimen alterius , vt nulla tenus radices inobedientia & superbia in Sancto Hortulo vestro arripiāt , non euellēdas de facili .

Cassianus.

Cassian. deniq; lib. 4. Institut. c. 16. de Monachis Egypti sic scribit . Siquis igitur gyronem fictilem casu aliquo fregerit , non aliter negligentiam suam , quā publicā diluat poenitentia : cunctisque in insynaxi fratribus congregatis , tandiu prostratus in terra veniam postulabit , donec orationum consumeretur solemnitas , impetraturus eam , cum iussus fuerit Abbatis iudicio de solo surgere . Eodem modo satisfaciat quisquis ad opus aliquod accersitus , vel ad congregationem solitam , tardius occurrerit , aut si decantans psalmum vel modicum titubauerit : similiter si superbè , si durius , si contumacius responderit : si negligentius indicta obsequia compleuerit , siue leuiter murmurauerit : si lectionem operi vel obedientie præferens , officij statuta segnius fuerit insequutus : si dimissa Synaxi , non concitus ad cellam recurrere festinauerit : si cum aliquo vel admodicum substiterit , vel si ad punctum temporis

vsquam

vsquam secesserit : si alterius tenuerit manum : si cum illo, qui cellulae suae cohabitator non est, confabulari quantumcunque praesumpserit : si parentum quempiam, vel amicorum saecularium videre tentauerit, vel colloquutus eis sine suo fuerit seniori : si Epistolam cuiuscunque suscipere, si rescribere sine Abbate suo tentauerit, Quae omnia, Cassianus, non aliter, quam per publicam confessionem, & poenitentiam dilui atque emmendari apud Aegyptios, asseuerat.

Ex quibus Patrum testimonijs duo licet colligere. Primum, leges, quae de culpis propalandis ab eis latae sunt, non extendi ad interiores culpas : quod ex Diuo Benedicto & Hieronymo cautè pernotatum accepimus. Ita-
men non negant, quominus, si Dei spiritu & nimio feruore aliquis agatur, ei non liceat, imo laudabile sit, peccata etiam omnino occulta, & secreta ad suam confusionem, & eorum satisfactionem publicè detegere.

Secundo licet inferre, non solum quempiam non teneri, peccata omnino occulta & interiora, verùm nec secreta exteriora, si grauiora sint, manifestare : cum nullus teneatur seipsum prodere, & infamare. Et patet ex supra dictis Patribus : qui omnes in rebus leuioribus exempla fingunt. Si verò peccata publica sint, (etiam si grauiora,) non est dubium, quin possint, & debeant in Capitulo publicari. Et ratio est, quia per hanc confessionem reus nullum incurrit suae famae detrimentum, cum iam illius peccatum publicum sit, & omnibus vel maiori capitulo parti notum.

Tertio infertur, quòd peccata ea, quae leuia sunt, & quae notabilem famae iacturam non praesferant, licet aliàs leuiter fama laedatur, tenetur quis (non sub aliqua culpa, sed vt constitutionibus nostris obediat) in Capitulo publicè de se denunciare : qualia sunt ea peccata, quae supra à praedictis Patribus referuntur : quae ex natura sua leuissima sunt, & in Religione, quantumuis perfecta, quotidiana. Ob quorum confessionem, non solum quis famam non amittit : sed saepius eam auget, quia nullus tam
per

perfectus ac sanctus reperietur, qui in his exterioribus cul-
pis, vel in interioribus alijs septies non cadat. Tūm etiam,
quia nullus sanæ mentis erit, qui non iudicet, maioris perfe-
ctionis ac virtutis esse, publicè ea, quæ secreta sunt, de se ip-
so cōfiteri, quàm fuerit vitij, ea commisisse. Imò quamuis
quis sibi persuadeat, se incursum aliquam suæ famæ leuē
maculam aut iacturam, non excusabitur adhuc: tūm, quia
sæpe homines proprio excellentiæ amore infamiam vbi nō
est suspicantes, falluntur: tūm etiam, quia Religiosi, ratione
sui stat us perfectionis, tenentur leue hoc detrimentum ob
maiorē suū profectum libenter, vel saltem æquo animo
pati. De quibus verò culpis ab alijs hæc accusatio fieri de-
beat, vel quomodo, & quibus circumstantijs, congruum erit
vt explicemus.

D V B I V M I I.

*De quibus culpis in Capitulo Conuentuali
fieri debeant accusationes?*



Itē est in calce præcedentis dubij, de qui-
bus culpis possit, & teneatur quis se ipsum
in capitulo accusare: nunc aperiendum est,
à quibus, & de quibus possit etiā fieri hæc
in capitulo denuntiatio. Et ante omnia præ-
mittendum est ex D. Tho. 2, 2. q. 33. arti. 7.
ad. 4. & in. 4. distinctio. 19. q. 2. art. 3. quæstiuncula prima ad
tertium, quòd in capitulis religiosorum, accusationes licitè
fiunt, absque hoc, quòd præcedat vlla correctio fraterna,
de aliquibus culpis leuibus, quæ famæ non derogant. Vn-
de sunt quasi quædam commemorationes potius obliarū
culparum, quàm accusationes, vel denunciationes inrigo-
re. Quare in his non est timendum de defectu correctionis
fraternæ, vt etiam id praxis & cæterorum ordinum vsus
habet.

Secundo præmittendum est, capitulum esse in religione
quasi quoddam iudiciale forum, (vt latius sequenti dubio
de-

clarabimus) in quo Prælati veluti iudex præsidet, & ad ipsum pro tribunali sedentem quilibet Religiosus potest contra alium accusationem deferre, secundum vniuscuiusque religionis propria statuta. In his verò accusationibus scopus est, vel perfectior Monasterij obseruantia, vel delinquentium correctio, vel maior profectus & emendatio. Quilibet igitur religiosus, ex vi suæ regulæ vel constitutionum, ius habet contra aliorum defectus in capitulo proclamandi, non aliter, ac quilibet de populo apud iudicem sæcularem delinquentes denunciandi. Præcipue tamen in religionibus constitui solet Zelator, siue Syndicus, qui similis est fiscali forensi. Huius munus est, ordinis obseruantiam zelare, ac in hac parte Prælati curam, & vigilias adiuuare. Hi sunt in Religionibus veluti censores constituti, vt mores, & vitam aliorum notent, & Prælati prænotata deferant. Huius muneris gratia in Republica Romana censores creabantur, vt ait Cicero de legibus lib. 3. & Fenestella de Magistratibus cap. 17. præcipue tamen Valerius Maximus lib. 2. de censoribus. Cum enim Prælati vbique adesse non possit, vt aliorum defectus notet aut emendet: rueret profectio Regularis disciplina, aut maxima ex parte periret, si non esset in Religionibus qui vice ipsius, monachorum conuersationem exploraret. Nec putet aliquis, hoc nouum in Religionibus figmentum esse: qui enim Diuum Hieronymum in Epistola ad Eustochium de virginitate perlegerit, ibi de zelatoris munere ita scriptum inueniet. *Et quia nocte, extra orationes publicas, in suo cubili vnusquisque vigilat: circumeunt cellulas singulorum, & aure apposita, quid faciant diligenter explorant.* Et Diuus Benedictus in sua Regu. ca. 46. hoc potissimum confirmat, dum ait. *Ante omnia autem deputentur vnus aut duo seniores, qui circumeant monasterium horis, quibus vacant fratres letioni, & videant, ne forte inueniatur frater accidiosus, qui vacet ocio aut fabulis.* Ex quibus euidenter fit, olim inter monachos hanc alios zelandi curam fuisse obseruatam.

Cicero.

Fenestella.

Valerius

Maximus.

Hieronymus.

Benedictus.

Videndum restat, de quibus tam zelator quam cæteri Religiosi possint, & teneantur alios accusare. Cuius resolutio ex varijs pendet circumstantijs: breuiter tamen ab hac difficultate nos expediemus, quia de ea in tractatu de visitandi modo latius dicemus.

Prima propositio. Zelator maiori vinculo & obligatione astringitur, quam alij, in capitulo Fratrum culpas denunciare. Patet: quia non solum tenetur ratione charitatis, siue quouis alio titulo, quo cæteri de communitate obligantur: sed etiam ratione officij, ad quod de iustitia adimplendum, & exercendum tenetur. Quare zelator, qui saltem aliquam cura non explorat aliorum culpas, vel ad minus eas, quas vidit, non aduertit, à veniali culpa (& forte non parum graui.) excusari non potest, licet ratione officij zelatoris non teneatur, sicut Prælati tenetur, è cella exire, circumire claustra, aut aliàs studiosè explorare: sed tantum simpliciter ea, quæ coram se contigerint, Prælati in capitulo vel Refectorio denunciare: quia ita est in ordine consuetudine receptum. Dixi, ad culpam tamen venialem teneri: & hoc quidem nisi aliàs aliqua grauis relaxatio in monasterio serperet, quæ Prælatum lateret: teneretur enim tunc ratione boni communis zelator sub mortali manifestare.

Secunda Propositio. Etiam alij Religiosi, præter zelatorem, aliquando tenentur in capitulo culpas aliorum aduertere. Primò patet ex Diuo Bernardo in sermone de Natiuitate Ioannis Baptistæ. *Nemo (inquit) fratres vitia palpet, peccata dissimulet: nemo dicat, Nunquid custos fratris mei ego sum? Nemo, quod in se est, æquanimiter ferat, cum viderit ordinem deperire, minui disciplinam. Est enim consentire, silere, cum arguere possis. Et scimus, quia similis poena sit facientibus, & consentientibus.* Bernardo subscribit Chrysostomus in oratione prima contra Iudæos, loquens contra eos, qui peccatores non corrigunt. *Ne (inquit) mihi dixeris, quid mi-*

Bernardus.
Chrysost.

hæ cum illo commercij est? alienus est, ignotus est, dummodò sit fidelis, dummodò eadem iungatur Ecclesia. Proinde quemadmodum non tantum ipsi fures dant poenas, sed etiam illi, qui non retuerunt: ita non solum qui impiè agunt, verum etiam illi, qui cum possint ab impietate reuocare, tamen ob pigritiam vel timiditatem id facere nolunt, simili cum illis poena plectuntur. Sic in nostro proposito dicendum erit, ad omnes pertinere, etiam leues culpas corrigere, cum ex illarum frequentia Regularis disciplina minui cæperit.

Dixi in hæc propositione, Religiosos aliquando teneri ad hanc denunciationem: quia non semper, nec sub veniali culpa tenentur. Propter quod aduertere oportet, triplex esse horum leuium peccatorum genus.

Primum, cum leuia peccata totam communitatem, vel maiorem eius partem inficiunt, & ex eis dimanant transgressiones aliquæ, aut relaxationes alicuius Regulæ, aut statuti, aut consuetudinis Religionis, quæ quamuis respectu particularium leuia peccata sint, respectu tamen communitatis & boni Ordinis communis, vt grauia iudicanda sunt. Et de his tenetur quis in capitulo vel in visitationibus Prouincialium denunciare, aut accusare, non solum sub veniali, sed etiam sub mortali culpa. Quia tenetur quilibet de communitate, bono eius communi prospicere: maximè, cum sine detrimento Tertij id fieri potest. Et hæc dicitur culpa siue peccatum communitatis.

Secundum genus offensæ est quod ab aliquo particulari tantum committitur. Et has offensas, si publicæ sint, etiam tenentur alij Religiosi sub veniali in capitulo pro palare: nè ex harum dissimulatione damnum aliquod communitati accrescat. Si verò hæc culpæ secretæ sint, non tenetur quis publice eas in capitulo accusare. Constat id, tum ex praxi Religionis, tum etiam, quia hæc offensæ in damnum communitatis villo modo non vergunt: ac denique quia nemo veniales culpas aliorum, absolutè loquendo, tenetur corrigere. Et (vt vno verbo concludam) quo

ties culpæ leues sunt occasiones proximæ relaxationis proprii instituti, vel alias publice committuntur, quis eas denunciare tenetur: quia per has duas vias semper communitati consulitur. De alijs non est multum curandum. Loquimur hic de leuibus offensionibus, vt sæpius pernotauimus.

D V B I V M. III.

Qualiter se debeat habere Prælatus in correctione culparum.

Gelasius Pa.
pa.
c. Nullam.
18. q. 2.



T clarius in hoc dubio procedamus, præmittendum est ex Gelasio Papa in Epistola ad Opilonem, & refertur in ca. nullam. 18. quæst. 2. omnem monasterij potestatem apud Prælatum residere, non solum in his, quæ monasterij commodum & temporale regimen spectant, sed in illis etiam, quæ ad spirituale incrementum & iurisdictionem reducuntur. Nam cum Religio, quædam sit schola addiscentium perfectionem medio Superiorum magisterio & Doctrina: omnino fuit necessarium, vt apud Religionis Prælatos huiusmodi iurisdictione reperiretur, qua & suorum subditorum conscientijs possent consulere, verbum Dei proponere, confessiones audire, sacramenta ministrare, & tandem reliqua media ad propositam sibi perfectionem conducentia ex officio applicare: quibus etiam iudiciaria potestas annexa est, vt asserit Diuus Thom. quod lib. 1. art. 16. dum ait: Prælatus in capitulo præest, vt iudex Ecclesiasticus, aut secularis in iudiciali foro.

D. Thomas.

Ex his constat, triplicem iurisdictionem Religionum Prælatis competere: aliam æconomicam circa res Monasterij temporales: aliam merè spirituales circa res interiores, & quæ ad profectum spirituales conducent: tertiam verò huic annexam, quæ ad finem spirituales ordi-

ordinatur, quæ iudicialis potestas dici potest: iuxta quam triplicem iurisdictionem, Prælati Monasterium regit, & subditos ad suæ professionis scopum conatur dirigere. Et quia Prælati ea, quæ grauiora sunt, secundum nostri ordinis constitutiones, prout habetur in ca. de officio Prioris localis, & in c. de capitulo conuentuali, (quod etiam ferè in omnibus religionibus obseruatur, vt diximus supra. ca. 2.) de consensu capituli expedire debet: fit, vt proprius locus, temporalis exercendæ iurisdictionis in rebus grauioribus, sit capitulum conuentuale; vbi etiam spiritualia tractantur, & correctiones in subditos fiunt, ac proinde triplex illa iurisdictione in capitulo potissimum exercetur.

De hac triplex functione, qua Prælati in conuentuali capitulo vti debet, specialius disseramus. Et quod ad primam attinet, certum est ex dictis, aliquando conferendum esse de rebus temporalibus, & de earum augmento, aut diminutione: & si aliquod aliud negotium temporale alicuius ponderis circa bona Monasterij se obtulerit. At temporalia hæc perfunctoriè & quasi per transennam peragenda sunt, cum capituli destinatio, & præcipuus scopus sit, de obseruantia ordinis, & animarum salute tractare. Quæ ad secundam verò, nempe, quæ ad spiritualem profectum conducunt, à nobis duobus dubijs præcedentibus quoquo modo dicta sunt. De Tertia verò quæ de culparum correctione & animaduersione est, & suo modo ad spiritualem iurisdictionem etiam reducitur, in præsentem est à nobis discutiendum. Circa quod, duo sunt differenda. Primum, de obligatione, qua tenentur Prælati subditorum culpas corrigere. Secundum, de modo, quo eas corrigere ac emendare valeant. Quoad primum, nullus est qui dubitet, quam terribile iudicium Prælati immineat, si hoc negligenter omiserint. Nos tamen in medium testimonia aliqua proferamus, quia infinitum esset, omnia, recensere. Et in primis hoc Prælatorum importunum silentium, cum sibi corripiendi vel docendi subditos onus incumbit, quantum eis periculi ac detrimenti afferat, per Prophetam Ezechielem ca. 3. Dominus docuit, dicens. *Si dicente me ad im-*

Ezechielem. 3

pium, Morte morieris, non enunciaueris ei, neque loquutus fueris, ut auertatur à via sua impia, & uiuat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Facit & illud Pauli ad Corint. 3. *Væ mihi, si non Euangelizauero.* Et *Esai. 56.* Speculatores eius cæci omnes nescierunt, vniuersi canes muti non valentes latrare. Videntes vana, dormientes, & amantes somnia. Et in eodem. c. *Væ mihi, quia tacui.* Innumera sunt alia scripturæ loca, quæ consultò ob breuitatem filemus.

Basilius. Ad Patres verbò accedamus, & primo loco prodeat Basilii interrogatio. 25. in Regul. susio, cuius titulus & inscriptio est, *Quod horrendum imminet iudicium Præfecto peccantes non coarguenti?* Respondet. Qui commissam communem curam sibi habet, sic afficiatur, velut qui rationem reddere debet de singulis. Illudque certò sciat, si frater qui spiam in peccato ceciderit, quem prius ipse de iudicio Dei non pramonnerit, vel si iam lapsus in eo perstiterit, nec docuerit rationem, qua sanari possit: sanguis ipsius è manibus eius requiretur. Maxime si non propter ignorantiam, sed propter adulationem neglexerit. Et infra. Qui verò sic non se habet, nempe, sincerè veritatem annunciando, dux est cæcus, & seipsum præcipitans, & sequentes simul inducens. Et infra addit. Nullus Pater negligit filium suum in soneam cadere, aut illapsum in ruina dimittit. Quanto autem magis horrendum est, animam in profundum malorum incidentem, in interitu dimitti? Hæc Basiliius.

Benedictus. Diuus Benedictus in Regu. ca. 22. Memor sit (inquit) Abbas, quia Doctrinæ suæ, vel discipulorum obedientiæ, vtrarumque rerum in tremendo iudicio Dei facienda erit discussio. Sciatque Abbas culpa Pastoris incumbere, quicquid in quibus Pater familias minus vtilitatis potuerit inuenire. Tantùm iterùm liber erit, si inquieto vel inobedienti gregi Pastoris fuerit omnis diligentia tributa, & mor-

bidiscarum actibus vniuersa fuerit cura exhibita. Pastor earum in iudicio Domini absolutus dicat cum Propheta Domino, Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, & salutare tuum dixi &c. Et infra. Neque dissimulet peccata delinquentium, sed mox, vt ceperint oriri, radicitus ea vt praualet amputet, memor periculi Heli sacerdotis de Sylo. Et paucis interiectis. Ante omnia (ait) ne dissimulans, aut parui pendens salutem animarum sibi commissarum, plus gerat sollicitudinem de rebus transitorijs, atque terrenis, & caducis: sed semper cogitet, quia animas suscipit regendas, de quibus rationem redditurus est, sciatque, quia qui suscipit animas regendas, praparet se ad reddendam rationem: & ideo timens semper futuram discussionem Pastoris de creditis sibi ouibus, cū de alienis ratiocinijs cauet, redditur de suis sollicitus. Hæc Benedictus.

Frequens est apud Gregor. in Pastoralibus de hoc iudicio Dei Prælatis ob correctionem omissam imminente, Doctrina, præcipue parte. 2. c. 4. Sæpenamque (ait) Rectores improvidi humanam amittere gratiam formidantes, loqui liberè recta pertimescunt, & iuxta veritatis vocem nequaquam iam gregis custodia, Pastorum studio, sed mercenariorum vitæ deseruiunt, quia veniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt: tunc namque Propheta eos increpat, dicens: Canes muti, non valentes latrare. Hinc rursum queritur dicens Ezechiel. 13. Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel, vt staretis in pralio in domo Domini. Ex aduerso quippe ascendere, est, pro defensione gregis voce libera huius mundi potestatibus contrariare: & in die Domini in pralio stare, est, prauis decertantibus ex iustitiæ amore resistere. Pastori enim recta timuisse dicere, quid aliud est, quam tacendo terga præbuisse. Hæc & alia ibi latè Gregorius. Cui luculenter subtribit Diuus Prosper. lib. 1. de vita contemplatiua capi. 20.

Gregorius.
Prosper.

Ille autem (inquit) cui dispensatio verbi commissa est, etiam si sanctè viuat, & tamen perdit. viuentes arguere aut erubescat, aut metuat: cum omnibus, qui eo tacente perierunt, perijt: & quid ei proderit non puniri suo, qui alieno puniendus est peccato? Mentior, si non hoc Dominus per Ezechielem Prophetam sub cuiusdam terroris denotatione loquutus est, dicens ad eum, speculatorem dedi & c. vsque requiram. Quid potuit expressius, & apercius dici? Hoc est enim dicere. Si impio peccata sua non enuntiaueris, si eum non argueris, vt ab impietate sua conuertatur & viuat: & te, qui non increpasti, & ipsum, qui te tacente peccauit, flammis perennibus perdam. Quis rogo tam saxei pectoris, quis tam ferreus erit, quem sententia ista non terreat? Quis tam alienus à fide, qui sententiæ isti non credat.? Hactenus Beatus Prosp. De quo etiam argumento multa vtiliter scripserunt Isidorus libr. 3. de summo bono cap. 44. & sequent. Augustinus libr. 10. Homiliarum homilia. 7. expositores in Ezechielem præcipue verò Diuus Gregorius homilia. 11. in eundem & Hieronymus in ca. 3. super ea verba, Si dicente me ad impium. & c. Qui omnes magnum esse Prælatorum crimen censent, cum ob rerum temporalium timorem, pigritiam, adulationem, gratiam, vel metum, subditorum peccata non redarguunt.

Isidorus.

Augustinus.

D. Gregor.

Hieronym.

Vmbertus.

Vltimo tandem accedant notabilia Vmberti viri pijsissimi ac docti verba: qui in regulam D. Augustini. ca. 164. vbi enumerat causas, ob quas à correctionibus Prælati frequenter desistunt, ita scribit. Contingit interdum, vt Prælati transgressiones aliquas non corrigant, aut ex pusillanimitate cordis, aut ex humilitate superstitiosa, aut diffidentia proficiendi, aut ex ignorantia quòd fratrum culpas ignorant, sed nec curam ad eas cognoscendas adhibeant: aut rursus propter pacem propriam, quam turbare nolunt: aut propter verecundiam, conscientia enim eos accusante, alios corrigere non audent: aut propter timorem odij

uicem.

verentes, ne in subditorum indignationem incurrant: aut propter Prælationis amorem & desiderium, quam amittere formidant, subditos contra se correctionibus huiusmodi provocantes: aut ob defectum zeli, aut denique ex negligentia, quæ in Prælationis statu maximè damnanda est. Hæc sunt Umberti: quas omnes causas ad duo reduxit Isidorus vt supra, nempe, vel quia Prælati amore rerum sæcularium implicantur: vel quia aliquo facinoris onere confunduntur. Augustinus vero dicta Homilia 7. ad timorem verbi asperi reduxit: quia dum Prælati timent detractiones, irrisiones, & opprobria hominum superbiorum, non audent eis necessaria medicamina adhibere. Attendant ergo Prælati: etsi quando ab opportuna correctione cessauerint, videant, quo fine vel ratione ducantur: & hanc diligenter examinent, ne eis ob aliorum crimina in profundum demergi contingat.

Quoad Secundum vero, quem scilicet modum in correctione facienda debeant obseruare Prælati, manifestè id Regula docet, dum ait, *Vbi excessus & culpa fratrum, si qui in aliquo deprehensi fuerint, charitate media corrigantur*: Si enim Prælati erga subditos Paterna charitas & dilectio deficiat, correctio nihil proderit. Et si correctio vltra modum se extendat: vulnera exasperabit, & cicatrici non medebitur. Si nimis rigidus & Iustus: iniuriosus erit. Nam in hac re summum ius summa iniuria solet esse. Si verò maximè lenis & suavis apparet: vitia facile serpent: & dum subditi correctionem non metuunt, sine fræno delinquent. Quid ergo Prælato agendum erit? Magna opus est prudentia, vt vtroque extremo, & nimietate relicta, medium, in quo virtus est, amplectatur. A quo vt non declinet, maximè proderit, si D. Basilij, & Benedicti (hi enim sunt vberissimi Monasticæ vite fontes) testimonia mente reuoluat. Benedictus enim ca. 64. Regulæ, Abbates suos sic circa correctionem exercendam instituit. *In ipsa autem correctione prudenter agat, & ne quid nimis, ne dum nimis cupit eradicare aruginem fragatur vas, suamque fragilitatem semper suspectus sit, memineritque calamus quassatum non conterendum.* In quibus

Isidorus.

Augustinus

Benedictus.

Idem.

nō dicimus, ut permittat uerui vitia: sed quod prudenter, & cum charitate ea amputet, prout viderit cuique expedire: & studeat plus amari quā timeri. Idem quoque Benedictus c. 2. Regulæ qualiter Abbas debeat seueritatem cum benignitate miscere his verbis docet. In doctrina sua Abbas apostolicam illam debet seruare formam, in qua dicitur, *Argue, obsecra, increpa*, id est, miscens temporalibus terroribus blandimenta, dirum magistri, pium Patris ostendat affectum: sciat que quā difficilem, & arduam rem suscipit, regere animas, & multorum seruire moribus, & alium quidem blandimentis, alium increpationibus, alium verò suasionibus secundum vnus cuiusque qualitatem, & intelligentiam. Diuus Basilii in regul. breuior. interrogatione 99. quærit. *Quo affectu increpantē increpare oportet?* Respondet, erga Deū quidem eum, quem habebat David dum Psalm. 118. dixit: *vi di prauaricantes & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.* Erga eos vero, qui increpantur, talem qualem haberent patet & medicus, si filiū cū lenitate & misericordia curarent maxime vbi moror adsuerit, & labriosus fuerit medela modus. Quare idem Basilii interrogatione. 37. execrandum esse docet, ac vehemēter carpēdum illum, qui non desiderio correctionis fraternæ, sed vltionis causa peccantē accusat, vel castigat. Demodo autem curandi varios subdit orumor bos agit quoque idem Basil. in Reg. fusio. interro. 51. Hinc D. Gregor. lib. moral. c. 6. *Disciplina* (inquit) *vel misericordia plurimū destruitur, si vna sine altera teneatur: sed circa subditos inesse rectoribus debet, & iuste consolans misericordia, & pie seuiens disciplina.* Hinc est quod seminiū illius vulneribus, qui à Samaritano inst. abulum ductus est Luca. 10. & vinum adhibetur, & oleum: ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foueantur. Vnusquisque igitur, qui sanandis vulneribus præest, in vino morsum districtiōnis adhibeat, in oleo molitiem pietatis: per vinū mundentur putrida, per oleum fo-

uuantur

Basilii.

idem.

Gregorius.

neantur sananda. Miscendaque est lenitas cum seueritate efficiendumque quoddam ex utraque temperamentum: ut neque multa asperitate vlcerentur subditi neque nimia benignitate soluantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca significabat, in qua cum tabulis virga simul ac Manna erat, ut in boni Reſtoris pectore si est virga districtioſis, sit & Manna dulcedinis. Sit itaque amor, sed non emolliens: sit pietas, sed non plusquam expedit. Hæc optime Gregorius ut su- Antoninus.
pra.

Magna igitur discretio à prælatiſ in correſtione adhibenda est. Nam, ut D. Antoninus 3. parte summ. titulo. 19. ca. 1. §. 6. aduertit. Aliquando subditorum vitia prudenter diſſimulanda sunt, suo tamen tempore iudicanda: ut videlicet delinquens deprehensus, toleratus tamen, augere culpas erubescat, seque se iudice puniat. Nonnulla verò aperte cognita, maturè toleranda sunt, ut cõgrua opportunitate corrigantur: quadam verò occulta subtiliter sunt perscrutanda, ut, quibusdam signis erumpentibus, Reſtor quod in subditorum mente clausum latet inueniat, & ex minimis maiora cognoscat: seruat tamen in omnibus secreti contegendi iure & ratione, quam periti Theologi tradiderunt. Nonnulla tamen sunt leniter arguenda. Nam cum non malicia, sed sola ignorantia vel infirmitate peccatur, magno moderamine delicti correſtio temperetur: vbi autem morbi grauitas correſtionis asperitas postulat, ea non denegetur. Imo & cauterium apponendum esse constat. Prædicta Antoninus. Et (ut denique breuiter omnia Comprehendam) tam scriptura, quàm Patres in correſtione, personarum, temporis, & boni communis circũstantias pensandas esse docent, ut sic medicina congruentius adhibeatur. Et in omnibus iustitia cũ misericordia miscenda est: quamuis semper magis in benignitatem, quam in rigorem inclinandum sit, ut optime D. Benedictus ut supra, Abbatem his verbis monuit. Semper exaltet misericordia. ra.

Benedictus.

diam iudicio, vt idem ipse consequatur, & oderit vitia & diligat fratres.

Ex his iam constat, qualiter Prælati in capitulo sua iurisdictione vti debeat, nempe, vt in correctione culparum poenas dum infligit vel alio modo punit, semper debeat in clementiam inclinare. Quæ secundum D. Tho. 2. 2. q. 157. ar. 1. est virtus moderatiua pœnarum, proueniens ex animi lenitate, & dulcedine affectus, qua quis abhorret omne illud quod potest alium contristare. Et ideo dixit Seneca, quod *Clementia est temperantia animi in potestate vlciscendi*. Quare sciât Prælati, se posse, quando id ratio & iusta causa dictauerit, pœnam legis diminuere, vt aduertit D. Tho. vt supra ar. 2. ad 2. & Caiet. ar. 3. infi. quod ad virtutem clemētiae pertinet. Quis debeat celebrare capitulum, quando, quomodo, & quo fine, satis perspicuum iam est: diximus enim, hoc esse Prælati officium, qui capitulum Dominicis singulis, vel alijs diebus habere debet: in quo pro scopo figere in sua mente debet regulare obseruantiam, & animarum salutem. Modus autem, quo hanc sibi constitutam metam attingere debet, continet Regulæ expositionem, sermonem aliquem opportunum & salutarem, ac correctionem cum Charitate & discretionem faciendam. Hæc sunt ex parte Prælati. Ex parte vero subditorum requiritur, vt se ipsos humiliter & deuotè accusent: etsi alios denunciare velint, & accusati ferant patienter, & accusatores humiliter & charitatiuè procedant. Quæ omnia grauissimè & doctè Vmbertus libr. 4. de eruditione Religiosorum tertia parte cap. 14. est prosequutus: vbi Regulas in capitulo tam à Prælati, quàm ab alijs seruandas præscribit his verbis: *Et notandum, quòd in loco correctionis cuncta ordinate sunt facienda. Multum enim cauendum est, ne culpa augeantur vbi debent deleri, & ne locus correctionis fiat locus corruptionis. Multum cauendum est ei, qui præst, qui iniustitias aliorum debet corrigere, ne iniuste agat. Cauendum est illi, qui accusat, ne accusatio eius sit accusabilis, vel reprehensio reprehensibilis. Ille verò, qui accusatur sic se debet habere, vt eos, qui exemplo malo scan-*

daliza-

dolizavit, humilitate, & patientia sua adificet, & non amplius scandalizet. Omnes ibi reuerenter se debent habere: cum iudicium capituli, imago quadam sit iudicij Diuini futuri. Non debent de defectibus fratrum, qui manifestantur, ride-
re, sed compati, & pro eis orare. Iustitiam eius, qui prae-
est, debet comitari discretio, pietas, & mansuetudo. In eo, qui accusat, apparere debet charitas & modestia, in eo, qui accusatur, humilitas, patientia & obedientia, & infra pro-
sequitur.

Quae discretio & mansuetudo sint Praelatis necessaria, sig-
nificatum est in hoc, quod in arca fuerunt cum virga testamen-
ti tabula & manna. In virga enim intelligitur correctio: in ta-
bulis, ubi lex erat scripta, discretio: in manna mansuetudo. Pie-
tas necessaria est: ignis enim zeli ardere debet in oleo misericor-
diae. Gregor. super Ezechielem. Zeli sancti discretio de virtu-
te misericordiae necesse est, ut ardeat. Ad discretionem eius,
qui praest, primo pertinet, ut correctionem efficacem opus
diuinum esse intelligat: & ideo ante correctionem, oratio-
nem debet praemittere, & si viderit fratrem correctum, Deo
inde debet gloriam dare, & gratias agere, Eccles. 7. Considera
opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit.
Considerandum est, quae opera sint propria Dei, alterius virtu-
ti non possibilis, inter quae correctio inuenitur. Ad discretio-
nem etiam eius, qui praest, pertinet, ut agnoscat, quae culpa
secretò & manifeste sint corrigenda. Occulta culpa secretò est
corrigenda, maxime si infamiam generat. Matth. 18. Si pecca-
uerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum. Ma-
nifesta culpa manifestè est corrigenda prima Timoth. quinto
Peccantes coram omnibus argue, ut & ceteri timorem ha-
beant. Quod dicitur (coram omnibus) referendum est ad
participium, & ad verbum. Isidorus. Manifesta peccata non
sunt occulta purgatione purganda. Palam arguendi sunt, qui
palam nocent: ut dum aperta obiurgatione sanantur, ij, qui eos
dili-

diligunt, imitatio corrigatur. Itē ad discretionē eius, qui praeest pertinet, ut agnoscat, cui vel quādo debeat parcere, vel punire: cū parcere, & punire, sint cōtraria, cōtrariorū eadē sit disciplina. Qui nescit parcere, nescit punire. Greg. Sine plectēdo sine parcendo, hoc solum bene agitur, ut vita hominum corrigatur. Attendendus est status personarum, quae corriguntur, quia non sanat oculum, quod sanat calcaneum. Cum veterano parcus agendum est (ut ait Seneca:) Prima ad Timotheum, quarto seniore ne increparis, sed obsecra ut Patrem. Qui non possunt benignitate corrigi, terrore sunt corripiendi. August. ad Bonifacium. Quidā dixit pudore, & libertate liberos retineri, rectius esse credo, amore quā metu. Et subdit Augu. Hoc verū est, sed sicut meliores sunt quos dirigit amor, ita plures sunt, quos timor corrigit. Isidorus. Qui blando verbo castigatur, & non corripitur, acrius necesse est ut arguatur: cum dolore enim abscindenda sunt, quae leuiter sanari non possunt.

Mansuetudo necessaria est in correctione. In psalm. Superuenit mansuetudo, & corripiemur. Seneca. Vicia animae, sicut vicia corporis, leniter tractanda sunt Gal. 6. vos spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris. Super omnia cauendum est ei, qui in loco correctionis praeest, ne ira Dei damnetur.

In accusatione debet Charitas apparere, virga enim correctionis procedere debet de radice Iesse, id est, incendio amoris. Illos vero libentius debet accusare, quos amplius amat. Apoc. 4, Ego quos amo arguo, & castigo. Sunt aliqui, qui illos maxime volunt corrigere, quos videntur non amare, quorum correctio ab his, quibus adhibetur, non reputatur correctio, sed hostilis persecutio. Modestius etiam debet accusare alium, quā seipsum Secunda ad Timotheum secundo seruum Domini oportet esse patientem, cum modestia corripientem.

In eo, qui accusatur, humilitas & patientia debent apparere

tere, ut erubescibilia sua humiliter & patienter audiat. Ap-
petere debet etiam in eo obedientiam, ut in susceptione disci-
plinae patienter obediat. Sicut (iuxta verbum Sapientis) fabri-
cando fabri, & cytharizando cytharista fuimus: ita audien-
do erubescibilia nostra, & que nobis displicent patiando, hu-
miles & patientes effici mur. Si vero videatur ei, qui accusa-
tur, quod ille qui præst, minus iuste se habeat, ad memo-
riam debet reducere, quod Saluator patientiam habuit, cum
Pilatus eum iniuste iudicavit: & quod à militibus iniuste fla-
gellatus fuit. Bernardus: Stetit Iesus ante Præsidentem inclina-
to capite, demissis aspectibus, vultu placida, sermone raro,
paratus ad opprobria, promptus ad verbera.

Lis in capitulo maxime cauenda est, qua inter abusiones
claustrum enumeratur. Ad eandem vero cauendam multam
valet, si hi, qui innocentes & maioris perfectionis sunt, ta-
ceant, & eum, qui præst, pro se respondere permittant. De
quo exemplum habemus Luc. 7. ubi Phariseo obloquente
Mariæ Magdalene, Maria tacet, Saluator pro ea respondet.
Eiusdem. 10. Martha accusante Mariam, Maria tacet, Salua-
tor respondet. Ex eo, quod ille, qui præst, pro innocente iniu-
ste accusato non loquitur, alioquin occasio est, quod
innocens pro se loquitur, & lis inde oritur.

Hæc Umberto.

(.)

Cap.

Cap. XI. De ieiunio.

TEXTVS.

De ieiun. Re
2u. Franc. c.
3. & Aug. c.
7. in nulla
vero Reg. ie
iun. ab exal.



IEIUNIVM singulis diebus (ex
ceptis Dominicis) obseruetis, a fe
sto exaltationis Sanctæ Crucis,
vsque ad diem Dominicæ Resur
rectionis, nisi infirmitas vel de
bilitas corporis, aut alia iusta causa ieiuniū sol
ui suadeat, quia necessitas non habet legem.

5. crucis vs
q. ad Pasch.
resur. decer
nitur.

De disci. &
necessit. in
fir. vide sup.
c. 8. & adde
Pacom. in
Regu. à n. 19
vsque ad 24

bilitas corporis, aut alia iusta causa ieiuniū sol
ui suadeat, quia necessitas non habet legem.

Glossa. XI.

EX hoc cap. colligendum est primum, nos teneri ex vi
Regulæ à die exaltationis Sæctæ Crucis vsque ad Pas
cha Resurrectionis, ieiunare Secundū die Dominica aie
iunio cessandum esse: tertium, infirmos, vel debiles, siue
quæcunque alia iusta causa impeditos, ad obseruandum ie
iunium non ligari. Quia necessitas (vt dici solet) nescit le
gem. Hęc sunt, quæ in hoc cap. præscribuntur.

DUBIVM I.

An ipso die exaltationis Sanctæ Crucis ieiunandum sit.



OC dubium oritur ex illis verbis, *A festo exal
tationis Sanctæ Crucis &c.* & petit, vt resoluamus, an ab ipso die ieiunia initium sumere
debeant, ita, vt ipso quoque die exaltationis
Sanctæ Crucis ieiunandum sit, an verò a le
quenti die sit incipiendum? Et dubitandi ratio in eo præ
cipue

cipuè sita est, an illa præpositio, (à) includat etiã ipsum diẽ termini, cui adiungitur, an verò excludat illum.

Respondeo ex mente Nauarri, confi. 18. de præbend. & digni. n. 6. vbi affirmat, quòd quãdo (à) præpositio adijcitur à lege alicui diei determinato, tũc includit ipsum, nisi inclusio sit contrã ius commune. Pro quo aliqua iura affert. Et facit pro hac sententia l. 3. §. minorem. ff. de minoribus, l. pater, ad legem Iuliã de adulterijs: vnde cum (à) præpositio in nostro casu posita sit à lege, & adiuncta diei determinato, & insuper non sit contrã ius, quod illa dies in termino includatur: aperte colligitur, ipsa etiam die exaltationis ieiunandum esse. Quod obseruatur in praxi in ordine Prædicatorum, quibus à suis constitutionibus indictum est simile ieiunium, quòd inchoatur ipso die exaltationis ex communi praxi & interpretatione.] Nauarrus.

D V B I V M. II.

An singulis diebus ieiunandum sit.



HOC dubiũ duas cõtinet partes: prima est, an tempore, quo in Religione præcipiuntur ieiunia, sine vlla intermissione continuẽda, & obseruanda sint? secunda, quare ieiunia non amplius, quãm vsque ad Dominicam Resurrectionis extendantur?

Quoad primam partem, in primis ex Regula, diebus Dominicis ieiunia soluenda esse, aperte constat ex illis verbis, *Exceptis Dominicis*. Estque perpetua ab Apostolorum tempore traditio, diebus his ieiunium relaxandum fore, vt Tertullianus lib. de corona militis docet, dicens: *Diebus Dominicis ieiunare, nefas dicimus*. Idem censet Ambrosius, qui in Epist. 83. *Dominica (inquit) Ieiunare non possumus: quia Manicheos etiam ob istius diei ieiunia iure damnamus*. Idem docet Hilarius in præfatione in Psal. Epiphani. in compendiaria Doctrina apud Bellarminum, tom. 3. de bonis operibus in particulari lib. 2. c. 23. Quibus adde Cassianum lib. 2. institution. Tertullianus.
Ambrosius
Hilarius.
Epiphanius.
Bellarminus.
Cassianus.

tion. c. 18. & lib. 3. c. 11. vbi tam inter Monachos Ægypti, quam Palestinæ, & Mesopotamiæ, morem fuisse receptissimū Dominica die ieiunia relaxandi tradit. Quā remissionē fratribus indulgendam ait, cum, ob reuerentiam Dominicę Resurrectionis, tum etiam, vt minus faciat hebdomadis veturæ ieiunia, huius expectatione, sentire. Sēper enim æquanimiūs quælibet fatigatio sustinetur, & sine fastidio labor impenditur, si interiecta vicissitudo quædam, vel operis immutatio qualiscunque succedat. Et præterea in reuerentiam Dominicæ Resurrectionis, die Dominica non esse ieiunandum, idem collatione. 21. ca. 20. traditionem fuisse à maioribus præscriptam, scribit: de quo etiam plura alia extant Patrum testimonia, præcipuè Melchiadis Papæ apud Damasum in Pontificali. Diuus Augusti. super Ignatium, Epist. 4. ad Philipēses ait: *Qui in Dominica ieiunat,*

Melchias.

PP. Damasus.

Augustinus.

D. Thom.

Hieronym.

Idem.

Christi Domini in se Ætator est. Et Diuus Tho. 2. 2. q. 147. art. 5. ad. 3. docet, *Vitandum esse ex consuetudine Romane Ecclesie die Dominica ieiunare, ne videamur hereticis consentire.*

Vnde. D. Hieron. in commentarijs in Matth. ca. 9. refert Manichæos die Dominica frequenter ieiunare solitos, ne viderentur de Christi Resurrectione gaudere: quam falsam, & commentitiam fuisse prædicabāt. His ergo causis nostra Regula, vt die Dominica ieiunia non seruentur, indulget.

Sed an peccatū sit, die Dominica ieiunare, huius loci nō est exactius examinare. D. Tho. (vt supra) dicit, esse laudabile, semper ieiunare. Quod etiam Hieronymus in Epist. ad Lucillum cōfirmans, asserit, Paulum cum alijs fidelibus, diebus Pentecostes & Dominicis ieiunasse. Alij verò ex adductis Patribus contraria docēt: vt August. Tertull. Ambros. & Melchiad. Quorum omnium fortasse idem sensus est, si ad intentionem ieiunantis, sanctorum dicta referantur. Nam ex hac, in die Dominica vel laudatur vel damnatur ieiunium. Adhuc tamen (quidquid sit de intentione) superstitiosum videtur, imo & culpabile, dictis diebus ieiunare: cum sit contra communem Ecclesiæ consuetudinem, quæ pro lege habenda est: vt in hoc proposito ex mente Augustini, docet Diuus Tho. vt supra. Quare solum discutendum restat de alijs solemnibus diebus, qui ab exaltatione

Sanctæ

Sanctæ Crucis vsque ad Domini Resurrectionem occurrunt: an in eis cessandum sit à ieiunio? Et præcipuè dubium ob diem Natalis Domini mouetur. In quo non esse ieiunandum, Epipha. vt supra docuit, qui, *Non licere* (ait) *In die natalis Domini ieiunare.* Tum etiam, quia Priscillianistæ diebus Dominicis, & in die Natalis Domini ieiunare solebant, vt testatur Leo Papa Episto. 91. & ad Turbium, & ex alijs Patrum testimonijs colligit Bellarmi. vt supra.

Leo Papa
Bellarmini.

Contrarium tamen verius, & omnino probabilius est, nempe, quod hi, qui ex Regula vel ex voto tenentur diebus aliquibus ieiunare, si illo tempore occurrat Natalis Domini dies, etiam in illa, solita ieiunia seruare tenentur, primo quia Ecclesia (vt optimè Bellarmi. vt supra) in die Natalis Domini absolutè ieiunare non vetat, sed tantum prohibet his, qui ex superstitione, vel ex contemptu Ecclesiæ, vel aliquo alio malo fine ieiunarent. Quare Ecclesia Religionum Regulam, & alias de ieiunio obseruantias, etiam in die Natalis Domini, non tollit. Et sicut in ca. finali de obseruatione ieiunij, omnibus fidelibus indulgetur, vt in die Natalis Domini edere carnes possint, etiam si dies Veneris, vel Sabbati sit, & tamen excipit eos, qui voto vel Regulari obseruantia ad carnum abstinentiam tenentur: ita de ieiunio quoque Philosophandum videtur. Ex quo fit, intentionem esse Ecclesiæ, Religionum regulas & statuta in suo robore firma relinquere, & minimè eis derogare. Videndus est Syluest. verbo (ieiunium) nu. 27. & Corduba in Regula B. Francisci c. 2. q. 2. puncto. 1. vbi docet, hanc esse communem Canonistarum opinionem, & receptam apud omnes suæ Regulæ expositores. Neq; opus est in re tam manifesta plura adijcere, cum id etiam Regula expresse indicet illis verbis, *Singulis diebus (exceptis Dominicis.)* Qui enim singulis diebus aliquid fieri præcipit: nihil excipit. Quod si Regula exceptit diem Dominicam, alios dies reticendo cum potuisset exprimere, de eius mente fuisse videtur, ieiunium die quoque Natiuitatis debere seruari.

Cap. fin. de
Obseruatione
ieiunij.

Syluester.
Corduba.

Hæc dicta sunt attento iuris & Regulæ rigore. Ipsa vero æquitate imperante, ieiunia hoc die nõ esse strictè ob-

seruanda, adhuc laudabilius existimo: imò in hoc casu fieri à Prælati dispensationem, ipsa æquitas quasi necessario in honorem tantæ solemnitatis exigit.

Circa prædicta obijciat aliquis id quod in nostris constitutionibus prima parte c. 5. cauetur, vt in omnibus vigilijs Apostolorum, præterquam Ioannis Euangelistæ, Philippi, & Iacobi, ieiunia seruentur: sed dies secunda Natalis Domini est vigilia Ioannis Euangelistæ: ergo constitutionibus declaratum est, secunda die Paschæ Natiuitatis non esse ieiunandum, ac à fortiori nec prima.

Respondeo, primo, ibi non intelligi de hac vigilia, sed de ea, quæ est festiuitatis Ioannis Euangelistæ ante portam Latinam. Ità apud Religionis viros peritos exponi accipi: & ratio manifesta videtur, quia dum aliqua lex potest interpretari sine eo quod deroget communi iuri, sanè in eo sensu est intelligenda: quia fugienda est iurium correctio. Quare illa constitutio, ne Regulæ deroget, (quod mea sententia minime intendit, nec potest si velit) intelligenda est in prædicto sensu. Secundo & forte verius dicendum erit,

Cap. Consilium, de obseruatione ieiunij:

prædictam festiuitatem, de qua in constitutionibus fit mentio, illam esse, quæ occurrit intrà solemnitatem natalis Domini: quod ex eo euidenter colligitur, quia hæc constitutio desumpta est ex. c. consilium, de obseruatione ieiunij, vbi sic dicitur. *Vigiliae sunt obseruatione ieiunij celebrandæ, præter vigilijs Apostolorum Philippi, & Iacobi, & Beati Ioannis Euangelistæ quoniam illorum solemnitas intrà solemnitatem Paschalem, istius autem intrà Natalem Domini celebratur.* Ergo de hac solemnitate iura & constitutiones loquuntur, & non de illa, quæ est ante portam Latinam. Vnde ad argumentum Respondeo, quod capitulum Generale, æquitate imperante, dispensauit, siue (vt proprius loquar) declarauit circa ieiunia Paschalia mentem Regulæ, decernens, vt neque prima neque secunda die huius Paschatis ieiunia seruantur. Non tamen inde sequitur, quòd ipsa die Beati Ioannis non sit ieiunandum, in cuius vigilia non propter ipsius solemnitatem, sed propter coniunctionem cum die Natalis Domini ieiunium soluitur. In hac re curent Prælati, non vnus aut alterius, sed maioris partis timoratae conscientia ac scientia viro-
rum.

rum Religionis consuetudinem, & praxim sequi, quo usq;
aliquo generali capitulo declaretur, aut dispensetur, quid
in hac re seruandum sit.

Quoad secundam verò huius dubij partem sciendum
est, quod usque ad Resurrectionem Domini, & non am-
plius, ieiunia à Regula indicta extenduntur: & (quantum
opinor) nulla Regula Religionis tam prolongata Ieiunia
statuit. Quare verò Ieiunia Resurrectionis die finiantur,
neque vltèrius vnquam in Ecclesia protrahi consueuerint,
hoc ab Apostolorum traditione in Ecclesia existimo fuisse
seruatum: qui tempore illo à Resurrectione usque ad
Pentecosten, in honorem Dominicæ Resurrectionis
minimè ieiunabant. Ità docet *Cassianus* dicta collatione.
21. ca. 20. Epiphanius. & Hilar. vt supra. In illis igitur *Quin-*
quagesimæ diebus (nam ita illi dies à Patribus vocaban-
tur) nullus neque in terra, neque prostrato corpore ora-
bat, neque genua in oratione flectebat, neque ieiunia vlla
illo tempore seruabantur: quia hæc veluti pœnitentiæ, ac
luctus indicia sunt, quæ temporibus tantæ solemnitatis
ac lætitiæ importuna esse solent. Et ideo diebus illis usque
ad Pentecostè, in Ecclesia ieiunia non seruabantur. Sequen-
ti verò tempore propter nimium æstatis rigorem, etiam
hæc ieiunij districtio communi præcepto nullibi apud Re-
ligionum institutores obseruata inuenitur. Quare satis pru-
denter nostra Regula, omisis his temporibus, à fine æsta-
tis, & à principio Autumni ferè usque ad finem veris,

Cassianus
Epiphanius.
Hilarius.

nempè, ab exaltatione Sanctæ Crucis usque ad
diem Dominicæ Resurrectionis tan-
tum ieiunare de-
creuit.

Bb 3

D V-

D V B I V M I I I.

*Vtrum ad ieiunia Ordinis eadem conditio-
nes requisitæ sint, quæ ad ieiunia Eccle-
siastica sunt necessaria.*



Augustinus.

De ieiuniis.

capitulum 17.

De ieiuniis.

capitulum 17.

Ro huius dubij, resolutione recolendū est, ieiuniū esse Quadruplex, nempe, spirituale, morale, Naturale, & Ecclesiasticū. Spirituale dicitur abstinētia à vitijs, Augustino teste tractatu. 17. in Ioannē, *Ieiuniū magnū & generale, est, abstinere ab iniquitatibus:*

& illicitis voluptatibus seculi: & hoc ieiunium improprie dicitur. Ieiunium morale, est, vsus moderatus cibi & potus, secundum temperantiæ regulas: quod natura ipsa duce Philosophi seruauerunt. Hoc etiam ieiunium minimè ad nostrum propositum spectat: quia nos hic de ieiunio verè & proprie loquimur. Tertium ieiunium dicitur, naturale, quod apud Theologos supponit pro abstinētia, ab omni prorsus cibo vel potu: quod etiam minimè pertinet ad institutum præsens, cum de hoc nullibi præceptum detur, nisi in casu, quo quis ad Sacramentum Eucharistiæ accedat. Quartum est ieiuniū Ecclesiasticum, quod ita describi solet. Est abstinētia cibi secundum Ecclesiæ regulam, & modum assumpta.

His prenotatis, dubium esse potest, primò, an Regulæ ieiunia sint Ecclesiastica de hoc quarto genere, an vero de secundo: & præterea, an in eo inueniantur, conditiones Ecclesiastici ieiunij?

De prima huius dubij parte sic vt certum constituo. Ieiunia Regulæ (& idem cæleo de alijs Ordinis ieiunijs) verè Ecclesiastica sunt. Hæc conclusio in prædicto sensu sine temeritate negari non potest. Primò, quia ita habet communis nostræ Religionis consensus: imò euidenter in ipsis cōstitutionibus in his Regulæ & ordinis ieiunijs præcipitur, vt omnes aliæ conditiones, & Regulæ ieiunij Ecclesiastici seruen-

feruentur, vt patet ex prima parte constitut. ca. 5. vbi statuitur primo de hora competentis: secundo de vnica comestione, & taxatur cibus, qui in collationibus horu ieiuniorum dari debet: de abstinentia verò à carnibus mentio non fit, quia hoc ex Regula præsupponitur: ac deinde quod in his diebus Nona ante comestionem dicatur. Ergo verè sunt ieiunia Ecclesiastica. Et confirmatur, quia in omnibus Religionibus ieiunia Regulæ vel constitutionum, etiam si ab Ecclesia non præcipiantur, ieiunia nihilominus Ecclesiastica dicuntur: quia seruant prædictas regulas, & conditiones, vt patet ex communi Religionum vsu. Videndi sunt expositores Reg. Beati Francisci c. 2.

Præterea secundo, quia alia ieiunia, quæ à fidelibus (vel spontaneè, vel necessitate impellente, siue id sit ratione voti, siue ratione propriæ deuotionis,) assumuntur, verè sunt secundum regulas Ecclesiastici ieiunij: Quia hoc in Ecclesia communiter ieiunij nomine intelligitur. Argumenta verò, quæ contra hoc fieri possent, secunda parte huius dubij soluentur.

Cum ergo Regulæ ieiunia Ecclesiastica sint, in eis conditiones, quas Ecclesia circa ieiunium præscribit, necessario obseruandæ erunt. Duo sunt præcipuè, quæ tamquam essentialia in ieiunio Ecclesiastico constituuntur. Primum est vnica comestio. Secundum verò, vt habeatur ciborum delectus, præsertim vt à carnibus abstineant, qui Ecclesiastico more ieiunare volunt. Quoad primum de vnica comestione, videndus est Diuus Tho. in. 4. distinctio. ne. 15. quæstione. 3. arti. 4. & 2. 2. quæstione. 147. arti. 6. & Summiæ verbo (ieiunium). De secundo verò plura apud controuersarios traduntur, qui, contra hæreticos, licitum esse ab initio Ecclesiæ ciborum delectum in ieiunio probant, præcipuè Turrianus lib. 2. constitutionum Apostol. c. 59. Bellarmin. to. 2. lib. 4. de Romano Pontifice. c. 16. maxime verò. 1. to. lib. 3. de bonis operibus in particulari c. 3. & sequent. & Doctores in. 4. distinct. 15. vbi Diuus Tho. q. 3. artic. 4. & 2. 2. vt supra arti. 2. Plures alios authores congerit Enriquez 1. tomo. de indulgent. libr. 7. ca. 13. nume. 8. in sua Gloss. litera. D. Alia verò, quæ de ieiunio

D. Thomas.

Turrianus.

Bellarmini.

DD. in. 4.

distinct. 15

Enriquez.

à Doctõribus traduntur, non sunt substantialia, neque ita necessariò requisita, quamuis suo modo & quasi accidentaliter requirantur, vt est, quòd comestio fiat hora competentì, & quòd abstinentia à lacticijs seruetur.

Inspiciamus igitur, an hæ conditiones, tam substantiales, quàm accidentales, in regulæ ieiunij, & similiter in alijs à Religionis constitutionibus præfixis reperiantur? In primis, prior illa conditio de vnica comestione cauetur expressè in nostris constitutionibus (vt supra retulimus:) vbi præcipitur, vt in ieiunij ordinis detur in collationibus frustum panis cum aliquo fructice. Quòd si aliquando aliquid amplius in quantitate vel qualitate à Prælati addatur, verbi gratia, vel plures fructices, vel aliquando aliquæ herbæ simpliciter cum aqua & sale sine alio condimento coctæ: non est cur scrupulosi turbentur, existimantes, ob id ieiunia ordinis solui: quia, nisi aliquantulum collationes laxarentur, possibile non esset, tam continuata ac diuturna ieiunia in tota communitate sustineri. Nam cum ex alia parte tot laboribus, & asperitatibus, ac frequenti oratione, & meditatione (quibus præcipuè caput debilitari solet) Religiosi premantur: oneri succumberent, (sicut & modò multis contingit) nisi aliquantulum hac via adiuuarentur: dummodo collationes eam latitudinem non excedant, quam Doctores in ieiunij Ecclesiasticis statuunt. Neque est mirum, quòd æquo pede non seruetur in ieiunij Quadragesimæ, & Ordinis, æqualis distinctio: nam & in hoc differentia aliqua apud monachos antiquos fieri consuevit, vt videre est apud Diuū Hieronymum, de custodia virginitatis, Petrum Damianum, Epistola prima, ad fratres Eremitæ Gamugni, prope finem: quòd & præcipit Diuus Benedictus ca. 49. suæ Regulæ. Quare non est mirandum, si tempore alio à Quadragesima, aliquantulum indulgentia in collationibus permittatur. Cauent tamen Prælati, ne in hoc modum, & mensuram excedant, & suæ Regulæ vel constitutionibus aliquod relaxationis vulnus infligant: quia grauis criminis reos apud Deum se fore nouerint, cum ob suam causam in ordine aliquantulum relaxatio fuerit introducta,

Hieronym.
Petrus Da-
mianus.
D. Benedi.

Secunda verò conditio de abstinentia à carnibus nobis omnibus patet quàm districtè in nostris monasterijs obseruetur. Sed quia Ecclesia non solum præcipit à Carnibus abstinentiam, sed etiam ieiunij temporibus, ouorum, & lacticiniorum vsum interdicit, vt patet ex ca. *Statuimus*, & ca. *presbyter. 93.* distinctione, traduntque omnes Summistæ verbò (ieiunium) & Diuus Thom. dicta quæstione. 147. articulo. 6. videtur, quòd Religionis ieiunia verè & propriè ieiunia non sint, cum in eis indifferenter vti possimus ouis, & lacticinijs: & id expresse in nostris constitutionibus permittatur: imò & Regula ipsa id liberè concedat, dum annuit, animalia siue volatilia ad nutrimentum habere; quòd, propter lacticinia & Oua, superiori capite in illa verba, *Asinos siue mulos &c.* permissum fuisse annotabamus. Igitur non sunt vera ieiunia.

Cap. Statuimus, & ca. Presbyter. 93. Distin. Summistæ D. Thomas.

Huic dubitationi primò Respondeo, in omnibus ieiunijs extrà Quadragesimam non esse prohibitum vti lacticinijs, & Ouis: sed tantum in ipso Quadragesimæ tempore. Ita docet Caietanus. 2. 2. quæstione. 147. artic. 7. Medina in Summa libr. 1. cap. 14. §. 10. Nauarr. in manua li Latino cap. 21. nume. 15. & dicit esse opinionem Diui Thomæ vt supra, Enriquez tomo primo lib. 7. de indulgentijs cap. 10. nume. 4. Cæterum, (quicquid sit de hac opinione, quæ etiam mihi probabilis videtur,) ad maiorem securitatem concessum est capitulo Generali Ordinis Minorum ab Eugenio. IIII. cuius meminit Corduba quæstione. 2. puncto. 4. super ca. 3. Regulæ, quoddam priuilegium, in quo facultas ei præbetur ordinandi, & declarandi, in quibus locis & Prouincijs Fratres debeant ieiunia Regulæ in cibis Quadragesimalibus obseruare. Quo vtendo priuilegio, à capitulo nostro Generali decretum est (vt supra,) vt hoc Priorum arbitrio relinquatur: vt ipsi de esu lacticiniorum, vel abstinentia, secundum varias locorum consuetudines possent dispensare. Potissimum etiam fundamentum, quare in ieiunijs Regulæ liceat vti ouis ac lacticinijs, illud est, quia hoc à Regula permissum est, vt supra præcedenti cap. diximus circa illa verba, *Aliquot animalium, siue volatilium &c.* Quare cum Regula sit à sum-

Caietanus. Medina. Nauarrus. D. Thomas. Enriquez. Corduba.

mis Pontificibus confirmata, & ex alia parte de essentia ieiunij Ecclesiastici non sit abstinentia à lacticijs: manifestè colligitur, quòd in ieiunijs Ordinis his cibis uti liceat: & adhuc quòd hæc verè Ecclesiastica ieiunia sint.

I N T E X T V I B I.

Nisi infirmitas, vel debilitas corporis &c.

D V B I V M I I I I.

Quæ sint causa, quæ excusent ab adimplerione ieiunij?



Vbium hoc mouetur circa vltima verba huius capituli, in quibus signantur causæ, ob quas à lege ieiunij Religiosi excipiantur, nempe, infirmitas vel debilitas corporis, siue alia iusta causa: quia necessitas (vt inquit Regula,) caret lege. Omnia vero, tam infirmitas, quam debilitas, siue quodcumque aliud impedimentum, sub nomine iustæ causæ comprehenduntur. Omnis autem iusta causa, vt communiter cum

D. Thomas. Theologi. Dico Thom. 2. 2. quæstione. 147. art. 4. Theologi tradunt, ad vnâ ex tribus sequentibus potest reduci, nempe, ad impotentiam, necessitatem, & pietatem siue maius bonum. Nam ieiunio vel corpus læditur, vel spiritus, vel substantia externa. Si corpus læditur, impedimentum, quod à ieiunio excusat, impotentia dicitur. Si spiritus proprius vel aliorum profectus, pietas appellatur. Quod si substantia externa, necessitas.

Ratione primi, nempe, impotentie, in ieiunijs ab Ecclesia præceptis pueri & senes excusantur, vt istorum fessa sustinetur ætas, illorum verò quasi pullulans, & incipiens, non frangatur vel arefeat. Quare in ieiunijs Ecclesiæ, pueri vsq; ad XXII annum (secundum D. Thom. vt supra) ab eorum imple

impletione excusantur senes verò, si sexagenarij sint, vt cōmunis tenet opinio: quamuis Nauarr. in summa Lati. ca. 2. v. nu. 16. non incongruè doceat, in senibus non esse certam, & determinatam regulam præscribendam, sed id arbitrio prudentis confessorij vel Prælati esse relinquendum. Quod nos etiam supra c. 8. in illis verbis, *Inspectis et artibus, & necessitatibus*, ex mente Canonistarum afferebamus. Nam alij citius, alij verò tardius prædictā impotentia senectutis incurrunt.

Hoc autem, quod dictum est de pueris & senibus circa Ecclesiastica ieiunia, dubitari merito potest, an etiam in Regula ieiunij obseruandum sit? Et (vt à certioribus incipiā) in senibus non dubito, seruandum esse id, quod nuper ex Nauarro tradidimus, vt id arbitrio Prælati relinquatur, vt ipse omnibus pensatis iudicet, an senis confectus vires habeat nec ne ad soluenda regularia ieiunia.

De pueris verò iam profelsis, qui tamen nondū XXI. annum attigerunt, dicendum est, eos minime à ieiunij ordinis excusari: quia per professionem ipsi se coarctarunt ad strictiorem obseruantiam, quam Ecclesia tenet, nempe, ad Regulam nostram, & ad omnia, quæ in ea continentur. Et sic à Regula ad prædicta ieiunia seruanda obligantur. Et hanc credo esse communem opinionem, & Religionū præxim, de qua videndus est Corduba in Regula Beati Francisci c. 3. quæst. 2.

Præterea, ad impotentiam reducitur corporis infirmitas, vel debilitas, de quibus nostra Regula expressè loquitur, & aduertunt Caietanus in summa verbo (ieiunium) & Nauarr. ut supra. Illi etiam hoc titulo comprehenduntur, qui tam infirma complexione sunt, vt vacuo stomacho capitis dolorem ac vertiginē patiantur: & deniq; omnes illi, qui, medicorum iudicio, non sine periculo salutis corporalis ieiunare possunt. Hanc autē impotentia arbitrio suo poterit Prælati examinare, & si illi sufficiens videatur, subditum à ieiunij onere absoluat. Neq; oportet, vt in hoc nimis scrupulosus aut anxius Prælati sit: sed potius benignè & misericorditer omnibus subueniat, & pietate magis, quam rigore ducatur: nisi alias ob iustas causas contrarium viderit expedire. Nā si sua benignitate Religiosi abutatur, & facile

Nauarrus.

Corduba.

Caietanus.

Nauarrus.

cilè licentias petant, tunc in aliud extremum declinandum est, vt ordinis obseruantia summa cura prouideatur.

Secunda causa, quæ à ieiunio excusat, potest esse necessitas, vt cum die Ieiunij aliquis labor necessarius, vel nobis, vel communitati, aut aliquod aliud à Prælato impositum opus occurrat, cum quo ieiunia compati non possunt: ob quam causam fratres laici laborantes à ieiunio excusantur. Et similiter ad hanc causam reducitur, quando quis ieiunando, suo officio minimè vt par est potest satisfacere: quia ob ieiunium opera obligationis prætermittenda non sunt; inter quæ potissimum videtur, vt quis rectè suo munere fungatur.

Ob tertiam causam, quæ pietas siue maius bonum dicitur, lege etiam ieiunij non tenentur, qui ieiunando non possunt ad suam, vel aliorum salutem spiritualem, vel corporalem, id, quod necessarium est, præstare: vt sunt Concionatores, Lectores (ex officio vel obedientia) aut Confessores. Ita Caieta. 2. 2. quæstione. 147. artic. 3. & in summa verbo (ieiunium,) quem sequitur Nauar. vt supra num. 16. Ad hanc etiam causam pertinet, quando ob ieiunium impeditur quis à sanctoribus & melioribus operibus, quibus, si non ieiunaret, vacare posset: qualia sunt opera Misericordiæ spiritualia, & corporalia, quæ suapte natura sunt actus misericordiæ, quæ est virtute abstinentiæ præstantior. Ita Caietanus vt supra artic. 2. & Nauarr. nume. 17. Syluest. verbo (ieiunium) quæstione. 3.

Caietanus.
Nauarrus.
Syluester.

Dixi verò supra, id, quod necessarium est præstare: nam aliàs si tantum sit supererogationis bonum concionari, aut legere: tunc minimè prætermittendum est id, ad quod ex vi nostræ Regulæ ac instituti tenemur, nisi aliàs aliqualis necessitas sit vel in populo verbum diuinum audiendi, vel in Religione illud proponendi.

Clemētina.
Ad nostram
de Hæreticis.

Ex his fit, eos, in quibus aliqua prædictarum causa non fuerit, ad regularia ieiunia teneri, quantumuis perfecti sint. Hoc addiderim propter Hæreticos quosdam, de quibus mentio fit in Clementina ad nostram de Hæreticis, viros perfectos legibus ieiuniorum non teneri: quia ieiunium ad delendum peccatum ordinatur.

Quo

Quo perfecti iam carent, neque illud habere possunt. Hi condemnati sunt in Concilio Vienensi, & in dicta elementina multorum sanctissimorum virorum exemplis refutati. Contra hos latius controuersarij disputant. Sufficiat nunc, notabile dictum Chrylostomi de ieiunio proferre, quo breuiter omnes ieiunij fructus, qui ex sacra scriptura colliguntur, vno verbo declarauit: ait enim (de ieiunio sermone primo.) *Ieiuna, quia peccasti: ieiuna, vt non pecces: ieiuna, vt accipias: ieiuna, vt accepta permaneant.* Quasi dicat. Ieiunium prodest, & maximè necessarium est ad satisfaciendum pro peccatis: prætereà, vt præseruemur à peccatis: tertio, vt à Deo virtutes, ac Coelestia bona impetremus: vltimò, vt impetrata dona permaneant. Quæ omnia tam imperfectis, quàm perfectis omnino sunt necessaria.

Concil. Vienens.

Chrysoft.

Caput. XII. De abstinentia carniū.

T E X T V S.



A B esu carniū abstinence, nisi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio sumantur. Et quia vos oportet frequentius mendicare itinerantes, (ne sitis hospitibus onerosi,) extrà domos vestras sumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus; sed & carnibus supra mare vesci licebit.

Simile statutum apud D. Benedictum c. 36. sue Reg. c. 39. reperitur. concordat. ca. carnē de consecrat. dif. 5. Reg. monachorū ca. 11. & Monacharū. ca. 35. Carthus. 2. p. c. 10. nu. 24. De cibis fratrum itin-

Clossa. XII.

O Lim in Regula Alberti primitiua, antequàm mitigatione aliqua temperaretur, circa abstinentiam carniū districtior obseruantia præcipiebatur: erat enim

rantium Regula Francisci. c. 3.

enim

enim in illa hac ratione scriptum, *Ab esu carniū semper abſtineatis, niſi pro infirmitatis, aut nimie debilitatis remedio ſumantur.* In mitigatione verò (vt vidimus) ablata eſt illa particula (*Nimie*) & inſuper additum eſt, vt Nauigantibus, carnibus, itinerantibus verò, pulmentis cum carnibus coctis veſci liceat. Cuius permiſſionis non meminit Albertus vt ſupra.

Ex hoc igitur capite ſequentes colliguntur cōcluſiones, Prima eſt. Ad abſtinentiam carniū omnes fratres tenentur. Secūda. Carnibus veſci licet infirmis, debilibus, & ſupra mare nauigantibus. Tertia. Itinerantes fratres frequenter mēdicare tenētur. Quarta. In itinere extra domos noſtras pulmenta cum carnibus cocta ſumere licet,

I N T E X T V I B I.

Ab eſu Carniū abſtineatis.

CIRCA hanc primam huius capituli partem duo ſe offerunt examinanda. Primum, *Quare, cum uſus carniū licitus ſit, nobis prohibeatur?* Secūdum, *Quid hic nomine carniū comprehendatur.*

D V B I V M I.

Quare cum uſus carniū ex ſe bonus, & licitus ſit, nobis à Regula interdicitur?



Sciendum eſt, (quod & breuiter attingam), de abſtinentia à carnibus duos in Eccleſia contrarios errores extitiſſe. Primus fuit Euonitarum, qui (vt refert Epiphanius hæreſi. 30.) omnium animantiū carnes immūdas eſſe dicebant: cōtra quos ſcripſit Paulus prima, ad Timoth. 4. dicens, *In nouiſſimis tēporibus erunt homines in hypochriſi loquētes mendaciū, prohibentes nubere, & abſtinere à cibis,*

Epiphanius

1. ad Tim.

4.

bis, quos Deus creauit ad percipiendū cum gratiarum actione fidelibus, & his, qui cognouerunt veritatem: quia omnis creatura Dei bona est. Hæc Paulus. Pugnât præterea cōtra hos aperte Christi Domini & Apostolorum exemplum, qui (vt ex euangelio constat) in cœna agnū typicum comederunt.

In aliud vero extremum erroris alij inclinauerunt hæretici, affirmantes, nullos omnino cibos, nulloque tempore debere Christianis prohiberi: huius Hæresis author fuit Iouinianus, qui (teste D. Hierony. lib. 2. aduersus eundem, docebat, abstinentiam à quibusdam cibis nihil omnino prodesse. Clarius tamen & acrius nostri temporis hæretici, ciborum delectum, tum illum, qui aliquibus diebus ab Ecclesia seruatur, tum etiam, qui perpetuò à Religiosis quibusdam colitur, tanquàm superstitiosum & inanem impugnant. Huius factionis hac nostra tempestate auctor fuit Lutherus, insectator Calvinus, Brenzius, Centuriatores, & Kemnitius apud Bellarminum tomo. 3. de bonis operibus in particulari lib. 3. cap. 3. Duo autem præcipua sunt, (& quæ ad nostrum attinent propositum) quæ ab Hæreticis in carniū abstinentia damnantur, primum, quòd videamur nos reijcere aliquos cibos, tanquam per se malos: secundum, quòd abstinentiam à carnibus meritoriam esse censeamus, & cultum Dei ex re indifferenti faciamus.

Hieronymus

Bellarminus

Primum horum mendacium facile conuincitur ex Ecclesie statuto: dicitur enim de consecratione distinctione. 5. ca. carnem. Cuique monacho carnem nec gustandi nec sumendi est concessa licentia: nō quia creaturam Dei iudicemus indignam, sed quia carnis abstinentia apta, & utilis Monachis estimatur. Ex his igitur clarè constat, Ecclesiam Religiosis carnes non prohibere, quia carnes immundæ sunt, vt falso calumniantur hæretici. Præterea, nec Monachi à carnibus abstinent, quia eas putent immundas, sed potius seuerioris, & districtioris abstinentiæ zelo. Vnde in Religionibus carnes non interduntur, quia illicitæ & malæ sint, sed quia expeditius est ad suum institutum, carnibus non vesci. Et confirmatur, quia etiam Monachis

Cap. Carnē,
de consecra
tione distin
ctio. 5.

ægrotantibus vti carnibus conceditur: non ergo eas immūdas reputant. Adde etiam, quia ob prædictam rationē alijs cibis monachi non vtuntur, & tamen eos non immundos iudicant: vt de Ioanne Baptista, qui Monacharū princeps fuit, ab omnicibo & potu, præterquàm à locustis & melle siluestri, se abstinuisse Matth. 3. legimus: ac de Monachis Diuo Chrystomo contemporaneis ipse Homilia. 14. in Epist. ad Thimot. ait, *Neque pretiosa pulmenta apponentes, sed ij solum panem & salem, hi verò olera apponentes, ij vero, qui imbecilliores sunt, & leguminibus potiuntur.* Hierony. de custodia Virginitatis sic de Monachis loquitur, *De cibis verò & potu, taceo, cū etiam languentes aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepisse, luxuria sit.* Et infra, *Viuuntur pane, leguminibus, & oleribus, quæ sale solo condiantur.* Cassian. lib. 4. institut. ca. 11. apud Ægyptios Monachos tantam docet abstinentiam seruari, vt summæ reputentur deliciæ, si herbæ sale conditæ ad refectiōem fratribus apponantur: & lib. 5. c. 23. pane solo sanctos Eremitæ Patres fuisse enutritos, commemorat. De quo argumento plura nobis alia testimonia & exempla ex Basilio in Reg. fusio. interrogatione. 19. & 20. ex Bernardo in apologia ad Guilielmum, & Epist. 321. ad fratres de monte Anastasio, & in illa celebri, quam ad fratres de Monte Dei, spiritu diuino rescripsit, ex Hugone Victorino tom. 2. lib. 2. de claustro animæ, & denique ex Diuo Bonauentura lib. 2. pharetræ c. 22. licet desumere. Ex quibus, non solum à carnibus, sed ab alijs etiam cibis monachos abstinuisse, cōstat: non quia illos reputassent immundos, sed ob maiorem corporis castigationem: vt & sic maius Deo obsequium præstarent.

Quoad secundum vero, quod damnant Hæretici, nempe, catholicos affirmare, abstinentiam carniū esse meritoriam, & sic de re indifferenti cultum Deo exhiberi: concedimus libenter, hanc vnam esse causam, neque ob id tamen ex re indifferenti Deo holocaustum offerimus. Nam si hæc abstinentia bono fine fiat, vt quando ordinatur ad castigandum corpus, ad moderandas passiones, & ad subiiciendum illud spiritui, vt liberius Deo vacet: tunc carniū abstinentia bona, & meritoria est, vt communis tenet Theologorū sen-

Chrystomus.

Hieronymus.

Cassianus.

Basilius.

Bernardus.

Hugo Victorinus.

Bonauentura.

Communis
Theologorū
sententia.

sententia. Ob quam etiam rationem, ieiunium, licet secundum se indifferens sit, si tamen aliquo prædictorum fine coonestetur, ad virtutem temperantiæ pertinet, ac proinde, & ad cultum Dei: vt Patres passim docent, qui videndi sunt apud Bellarmin. vt supra c. 11.

Bellarmin.

Ex dictis eruenda est propositi dubij resolutio. Licet enim carniæ esus ex se bonus, & licitus sit: earum tamen abstinentia vtilissima est, tum propter dicta, tum etiã, quia Religio Schola est poenitentia ac virtutum, ad quam pertinet in primis abdicatio omnium voluptatum, mundi deliciarum, ac iucundarum & mollium aliarum rerum: quod potissimum medium est, vt in hac Schola virtutes ac poenitentia exercentur. Nam proculdubio hoc ipsum, quod est, carere rebus dulcibus ac alijs huiusmodi emolumentis, valde graue ac molestum nobis solet esse. Et cum carnes tã terrestrium, quã volatilium animalium magis nutriant, & delectent ex genere suo, quã cæteri cibi, cum sint humanæ carni propinquiores, fit, vt auidius illæ appetantur, & maiori gula etiam edantur. Præterea carniæ alimenta materiam generationis magis augent: & sic difficilius appetitus sub ratione comprimitur: his enim cibis caro impinguitur, & appetitus roboratur, ac proinde maior contra spiritum pugna insurgit.

Quare D. Hierony. lib. 2. aduersus Iouinianum, esum carniæ, docuit, esse seminarium libidinis: & lib. 5. ex instituto probat contra eundem Iouin. bonam esse abstinentiam à carnibus, & vino: & Basil. in exameron homilia. 11. sic ait

Hieronym.

Veruntamen etiam nunc ad imitationem vitæ in paradiso nos ipsos reducere volentes, vitatis his variæ materiæ eduliorum voluptatibus, ad illam vitam, quantum possibile est, nos ipsos reducimus, fructibus, & seminibus, & nucibus ac foris putamen durum habentibus fructibus ad vitam degendam vtentes. Horum vero superfluitatem velut non necessariam repudiamus: non enim abominabilia sunt propter creatorem, nõ tamẽ eligenda propter carnis delicias, ac voluptatem. Hec Basilius.

Basilius.

Ob hanc ergo rationem, & ob alias, quæ ex superioribus colliguntur, esus carniæ in multis religionibus sanctissime

Benedictus. est prohibitus. In primis Benedictus in sua Regula ca. 39. Carnium verò (ait) quadrupedum omnino ab omnibus abstineatur comestio, præter omnino debiles, & egrotos. Vbi, argumento sumpto à maiori, & volatiliū etiam animantium

Statuta Chartusianorū. carniū esum prohibet. Idem strictissime in Chartusianorum statutis cauetur, vt infra latiori sermone dicemus: seruaturque ista laudabilis consuetudo in alijs Religionibus, vt Camandulensium, & Minimorum: & his, non solum carnibus, sed nec lacticijs vesci licet: imò & omni-

D. cap. carnem, & cap. cum admonasteriū, de statu Monachorum. bus Monachis iure canonico id præcipitur, vt patet ex dicto ca. carnem. 5. distinctione & ca. cum ad monasterium destatu Monach. Seruat etiam hoc, licet non ex Regula, Dominicanorum sanctissima familia. Inter has verò Religionēs duplex discriminis ratio inuenitur. Prima, quia ex Regula hanc abstinentiam Chartusiani, (quibus constitutiones pro Regula sunt,) Benedictini, & nos solum accepimus: alijs verò proprijs tantum constitutionibus id præcipitur. Secunda est, quòd alij laxius, alij strictius, alij vero strictissime prædictam abstinentiam seruant. Nam Chartusiani, etiam imminente morte, carnibus non vescuntur: in nostra vero Religione, & in alijs, vt sunt Camandulenses, tantum in infirmitatibus. In alijs verò extrà Refectōrium, vel certis quibusdam diebus, siue ex dispensatione, siue ex quouis alio titulo permissum est carnibus vesci. Et denique primos illos Ecclesiæ primitiæ probatissimos Monachos, qui sub diui Marci disciplina in Alexandria florere, Eusebius Cæsariensis lib. 2. historiarum ca. 17. à carnibus abstinuisse refert. Et si quis vitas sanctissimorum Eremitarum percurrat, omnes etiam à carnibus abstinuisse comperiet.

Eusebius Cæsariensis.

In hac tamen abstinentia difficultate non caret, quod cum eius causa vita humana abbreviatur, videtur contra legem naturæ esse, qua cautum est, ne quis sui homicida crudelis existat. Hoc dubium præcipuum locum habet in strictissima Chartusianorum abstinentia: qui non solum ad tempus, sed perpetuo, etiam in ægrotudinibus omnino mortiferis, à carnibus abstinere tenentur. Propter quod, quidam eorum surrexerunt æmuli, qui hanc constitutionem irra-

tionabilem & crudelem appellant, & votum stultum, quod de prædicta abstinence fit: & sic vniuersaliter affirmant, teneri Chartulenses nõ abstinere à carnibus in articulo mortis, nulla habita ratione scandali, idest, quamuis scandalum sequatur. Hanc sententiam amplexi sunt Martinus à Magistris quæstione. 2. de abstinence, Medina Complutens. C. de ieiunio. quæstio. 4. ad vltimum argumentum, Syluest. verbo (iuramentum. 4.). §. 10.

*Martinus à
Magistris
Medina Cõ
plutens.*

Mitius vero tenet secunda sententia, Chartusianis indicta ægitudine constitutis, publicè & cum scandalo vesci carnibus non licere, posse tamen id facere in duobus casibus: primò, si Chartusiani alium cibum non habeant: secundo, si desperetur omninò de ægroti vita, nisi illi ministrentur carnes, & vtroque cesset scandalum. Ita docuerunt Gerson titulo de abstinence Carthusianorum, qui habetur Alphabetico. 39. litera (O,) & Maior in. 4. distinctio. ne. 38. quæstione. 4. concl. 5. Adrian quodlib. 1. cum argumentis artic. 3. ad nonum. Victoria verò alia via procedit: in relectione enim de temperantia nume. 8. duo circa hanc Chartusianorum abstantiam affirmat: primum, licere Carthusiensibus in ægitudinibus mortiferis constitutis à carnibus abstinere, imò & laudabile esse, etiam si nullum scandali periculum immineat: secundum eius dictum est, licere etiam prædictis, carnibus vesci: imò si constitutio in tali periculo id prohiberet, intolerabilis esset, siue scandalum timeatur, siue non. Nituntur autem hæ opinionones optimis, & apparentibus rationibus, quas òmittere ideò decreui, quia non multum ad nostrum institutum conducunt.

*Gerson.
Maior.
Adrianus
Victoria.*

Breuitè tamen, vt certius, & probabilius in hac re primò statuo, Chartusiensium statutum, optimum ac laudabile esse. In primis id patet: quia ab Ecclesia hoc statutum fuit semper laudatum, & approbatum, imò & fortè ratione huius abstantiæ, Chartusianorum Religio, vt strictior, & perfectior ab Ecclesia iudicatur. Et, vt omnibus clarius de hac cõstitutione constet, eius verba præmittamus: quæ talia sunt. *Quia secundum sanctam nostri Ordinis consuetudinem, à sanctis Patribus nostris introductam, omnem esum carnium,*

& cibum quemcunq; ex carnibus, quomodolibet constat, siue per modum cibi, siue per modum potionis, aut sorbitionis sumatur, à nostro proposito abiectimus, statuimus, vt quicumque nostri Ordinis professus, huius tam laudabilis constitutionis transgressor steterit &c. Si Prior, aut vicarius, aut Procurator hoc fecerit, tanquam ipsius suæ professionis calumniator, & transgressor, obedientiam perdat, & vocibus, ac locis debitis, & cæteris obedientijs ordinis careat in æternum. Deinde simplicibus Monachis hæc pœna statuitur: & postremò eadem constitutio ad moniales extenditur. Hæc est constitutio, quæ circa abstinentiam carniū in Chartusia obseruatur. Et quamuis in hac constitutione nō exprimatur, illius obligationem & mentem extendi etiam in periculo mortis naturali: moribus tamen ita receptum est in hac Religione, vt nulli ægroto, etiam in extremis, carnes ministrantur, neque aliquid carnibus conditum ab eo comedatur. Tam igitur eorum statutum, quàm consuetudinem latè defendunt Gerson, & Maior (vt supra,) & plures alij, inter quos Arnaldus de Villanueua, quem summum medicū, & Theologum appellat D. Antoninus 3. par. summæ titu. 16, ca. 6. §. 5. atque in huius rei cōfirmationem eius verba refert. Ait ergò Antoninus ex mente Arnaldi, *Quod contrarium asserere, est falsum & phantasticum, & probat quòd sapit hæresim. Nam aduersatur (inquit) approbationi, & tolerantia Romanæ Ecclesiæ, & fingit nouum dogma in pertinentibus ad vtilem statum fidelium, ponendo, quandoque à mortis periculo non posse sine vsu carniū liberari: & sic ad vitæ longitüdinem carniū vsum necessarium, quod est falsum. Nam, (vt dicit), virtus vitalis deficit, aut per malitiam morbi illam resoluentis, aut propter defectum alimenti, per quod habet conseruari, vel restaurari. Primo casu probat per dictum Hippocratis dicentis, quod si præ furia morbi cibus exhibeatur, suffocationis vel alterius grauamine superaddito, coguntur vitam finire celerius: deficientibus autem propter penuriam alimen-*

Gerson.

Maior.

Arnaldus
de Villanue
ua.

Antoninus.

ri, si denegetur cibus, & medicationi subdantur, expirant velocius, tabefacti. Patet per id, quod deficienti propter morbi magnitudinem non profunt, sed nocent carnes: sed deficientibus propter alimenti penuriam, profunt, sed probat, plus competere vinum mediocriter sumptum, maximè aromaticum, & vitella ouorum mediocriter mollia, ideò quòd velocissima digestionem conuertuntur in laudabilem sanguinem & multum, & quasi sine facibus. A carnibus autem, & ceteris alimentis aliqua prædictarum conditionum deest. Concludit ergo, quòd ad virtutem vitalem vel cognitiuam plus conferunt supra dicta, quàm carnes, licet fateatur, quòd ad confortandum virtutem motiuam, plus cõpetant carnes: quã, dicit, (in ducendo Galenũ), scilicet, confortationem virtutis motiuæ non esse in ægris necessariam: quia modicum eget ipsius operatione: ergo nec eget necessario usu carniũ: sed bene usu vini. Apostolus. Modico vino vttere propter stomachum &c. Vinum enim letificat cor hominis. Cor autem est principium virtutis vitalis, quæ confortatur per cordis letitiam. Sed & indico ordine multi senescunt, & viuunt etiam Octogenarij. Et ante diluuium non comedebantur carnes distinctione. 35. c. ab exordio, & longius viuebant. Hæc omnia Antoninus ex Arnaldi sententia. Postea verò ex propria sic addit. Et hæc scripta sunt vt Religiosi, qui secundum Regulam suam vel constitutiones non debent carnibus vesci, credant, per talem abstinentiam carniũ non sibi abbreviari dies, si hoc obseruant, nec pro quacumque debilitate carnes comedant: & contra illos, qui hoc non obseruant, ad excusanda excusationes in peccatis, allegantes, sine esu carniũ sanos non posse vivere. Hæc Antonin. vt supra. Habent prætereà Chartusiani plura medicorum suffragia, quæ prædictam Arnaldi sententiam defendunt: ac proinde licitum est & sanctissimũ tale Religionis institutum.

Secundo, siue verum sit quod Arnaldus & alij medici lo-

quantur, siue non, hoc est siue possit dari ægritudo, quæ nõ aliter ac esu carniũ curari possit, siue talis non detur (ex quibus primum mihi probabilius apparet, quia negari non potest, aliquando fastidium generari ægroto, ita, vt alijs cibis quàm carnibus vesci non possit:) adhuc tamen existimo, tam publicè quàm secretè, tam existente scandalo, quàm cessante, non solùm licere Chartusiensibus, à carnibus abstinere, etiam in periculo vitæ propter ægritudinem constitutis, verum etiam necessarium esse. Hæc sententia

Nauarrus.

Neoterici.

Victoria.

Petrus Sutor.

apertè est Nauarri de Regularibus consilio. 10. num. 6. qui expressè affirmat, hoc Chartusianorum statutum obligare ad mortale. Tenent etiam peritissimi nostri temporis Neoterici, eo nixi fundamento, quòd, cum hoc statutum antiqua consuetudine interpretetur, ita, vt receptum sit vt obliget in articulo etiam mortis, videtur satis licitum esse, tali statuto obedire. Et quod hoc liceat, optimè satis probat Victoria (vt supra). Secundum vero, scilicet, quòd ad hoc teneantur, probant isti authores: quia ex trãgressione huius instituti in hac parte, relaxatio oriri poterat in rigore & seueritate Regularis disciplinæ: alia quo adducunt, quæ pertinere videntur ad rationem iustitiæ legalis. Mihi verò non aliter hæc sententia vera, & probabilis videtur, quàm si in prædicto ordine hæc transgressio fuerit interpretata vt lethalis, ac proinde quòd illa consuetudo obliget ad culpam mortalem: cuius contrarium affirmat Petrus Sutor, huius instituti professor, in historia suæ Ordinis lib. 2. titu. 3. c. 8. & idiptum in prædicta Religione communi consensu receptum existimo. Et ideò, vt verior & probabilior nobis placeat opinio Victoriæ. Nec quicquàm his obstat iustitiæ legalis ratio: quia idiptum etiam procederet in omnibus alijs constitutionibus omnium Religionum, maxime in illis, quæ potissimum ad earum obseruandum institutum conducerent; cuius contrarium praxis, & communis Religionum vsus declarauit.

Ad rationè dubij Respondetur, quòd quanuis præceptũ naturale sit tuèdi vitam à quocunq; periculo mortis, & illam conseruandi: non tamen præceptum hoc absolutè obligat, sed tantùm in eo casu, in quo non adsit causa rationabilis

bilis amittendi propriam vitam: nam si hæc occurrat, tollitur obligatio huius præcepti. Quia (vt rectè Victoria, vt supra) potest quis ratione patientiæ permittere, se occidi ab alio, aut in bello se exponere periculo mortis pro defensione Patriæ. Vxor etiam assistens marito laboranti peste, aut morbo contagioso, etiam si sit probabile periculum vitæ, non peccat. Nec tenetur quis vxorem ducere, etiam si aliquando necessaria sit ad vitæ conseruationem: sed potest castitatem seruare cum periculo vitæ. Quare si iusta, & honesta causa secundum prudentiam boni viri adsit: possumus de vita, & de remedio illius non curare: Imò laudabile & heroycum opus virtutis aliquando erit. Hac etiam de causa, licitum & laudabile est in articulo mortis, parata stramina relinquere, & humi aut in alio aspero loco vitam finire, siue ad imitationem fiat Domini nostri Iesu Christi, in patibulo Crucis vitam finientis, siue ad exemplum aliorum: præcipuè, si sit vir in signis in aliqua congregatione aut Religione, qui id faciat, vt legitur, Diuum Iacobum Apostolum, Diuum Martinum, ac Franciscum propriam vitam sanctè ac pauperrimè terminasse. Tunc igitur, quando quis vitã ob regulæ obseruantiam finierit, iusta, & rationabilis causa non immeritò censerit debet, amor, & reuerentia propriæ Regulæ, & utilitas, quæ sequitur ex disciplina Religiosa ritè obseruata: vt tollatur naturalis obligatio tuendi propriam vitam. Et ne rigor, ac disciplina Religiosa tepescant, non solùm à carnibus abstinere extrà ægritudinis tempora (vt nos seruamus,) & alijs cibis vti, quibus imperceptibiliter vita abbreviatur, licebit: verum etiam abstinere à carnibus in infirmitate ipsa cum periculo vitæ: vt Carthusiani tenentur facere, vel ad minus possunt licitè facere.

(?)

D V B I V M. I I.

Quæ sint, quæ comprehenduntur nomine carniuum?



RO huius dubij resolutione supponendū est, quòd licet aliqua sint, quæ verè & propriè carnes non sint, neque appellètur, ex carnibus tamen ortum, & originem trahunt: vt sunt Oua, & lacticia. Alia sunt, quæ licet propriè carnes non possint dici, tamen maximam cum eis propinquitatem habèt: vt sunt sanguis, lardum, sagimen, siue pinguedo. Alia verò, quæ licet à carnibus originem non habeant, ex coniūctione tamē ad illas magnam earum virtutē, & substantiam participāt: vt ius, in quo carnes decoquuntur. Et denique alia sunt, quæ licet carniuum substantiam in se non suscipiant, ex simultanea tamen decoctione aliquam qualitatem, & excellentiam acquirunt: qualia sunt legumina cum carnibus cocta. De his igitur inquirimus, an sub prohibitione carniuum à Regula facta, prædicta omnia etiam prohibita esse censeantur?

Cap. Denique 4. dist.

Quoad primum de lactici nijs & ouis, in primis expressè id affirmare videtur Diuus Gregorius c. deniq; 4. distinctione. vbi ait: *Par autem est, vt nos, qui his diebus à carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam trahunt originem carnis, ieiunemus: à lacte (videlicet) Caseo, & Ouis.* Et colligitur ex c. Præsbyter. 82. distinctione. Nam, vt Diuus Hieronymus ex sententia veterum Ægyptiorum libr. 2. contra Iouinian. refert, *Ouum, & lac nihil aliud esse videntur, quàm caro liquida, & sanguis albus, Quare Manicheus, vt author est*

Cap. Præsbyter. 82. distinctio.

Diuus Thom. 1. ad Tim. 4. sicut prohibebat omni tempore esum carniuum: ita etiam ouorum.

Hieronym.

Contrarium tamen huius probabilius videtur: quia ova, & lacticia carnes non sunt, licet ex animalibus, quæ carnes habent, originem ducant. Neque hoc argumentum vllò modo vrget. Hæc procedūt ex huiusmodi animalibus:

ergo

ergo sunt carnes . Nam cum ex eorum semine generentur, & iemen caro non sit, vt potè quod ex superfluitate alimēti procedit: ipia etiam lacticia, vel oua carnes non sunt, neque ad carnes reducuntur. Tum etiam; quia licet ex carnibus generarentur, & carnes verè essent, (quod omninò falsum existimò): adhuc tamen parum obstaret, quominus ouis ac lacticijs nobis vti liceret: quia id expressè in Regula conceditur, vt supra c. 8. & præcedenti in illa verba, *Aliquot animalium*, tradidimus. Sicque consuetudine omnium Religionum interpretatum est: vt etiam apud Chartusienses, qui strictissimam omnium carniū abstinentiam seruant, ouorum ac lacticijorum vsus non interdicitur.

Ad autoritatem Gregorij in dicto ca. Denique & d. c. Presbyter Respondeo, ibi non probari, quod ex eo, quod alicui carnes sint prohibita, etiam sint ea, quæ ex eis originem trahunt prohibita: sed tantum, (quod par est, & maxime rationale), vt, sicut in ieiunijs Quadragesimalibus seruetur abstinentia à carnibus: ita etiam in eisdem ieiunijs seruetur abstinentia ab his, quæ ortum, sementinamque trahunt à carnibus originem: quia intentum Ecclesiæ in his ieiunijs est, eos cibos interdicerè, quorum vsus maximè delectat, & ad venerea prouocat: cuiusmodi sunt carnes animalium in terra nascentium, & quæ ex eis procedant, vt sunt lacticia ex gressilibus, & oua ex volatilibus: vt optimè ratrocinatur. D. Tho. 2. 2. q. 147. arti. 8. Imò Ecclesia in alijs *D. Thomas.* extrà Quadragesimam ieiunijs solum carnes prohibet: vt nos c. 11. de ieiunio, dubio vltimo adnotauimus: & fideles licitè lacticijs & ouis vtuntur, vbi non est contraria consuetudo. Ad Diuum Hieronymum Respondeo, eius verba esse intelligenda quasi remotè de carne, & sanguine.

Quoad secundum verò, an lardum, sagimen siue pinguedo, & alia huiusmodi, nomine carniū comprehendantur, maius dubium est. Et in primis videtur, eodem modo in his Philosphādum esse, ac de ouis & lacticijs diximus: cum par in omnibus ratio appareat: ac proinde, quod nomine carniū non comprehendantur.

Vera tamen resolutio sit, nomine carniū hæc omnia in nostra Religione prohiberi. Quod firmissimè probo, tum

ex regula ipsa, tū ex consuetudine, tū etiā ex iure. Et in primis ex Regula. Nam cum in prima Regula Alberti absolute esus carniū sine exceptione vlla interdiceretur: Innocentius III. postea in mitigatione permisit, vt itinerantes vti possint pro cibo pulmentis coctis cum carniū. In qua exceptione siue concessione duo consideranda sunt. Primum, ex hoc ipso, quod permittitur solum edere pulmenta cum carniū cocta, tacite & quasi per necessariam sequelam, cætera prohiberi. Nam si nomine carniū non prohibentur in regula sagimen, pinguedo, ius aut pulmentum, superuacanea esset hæc permissio, siue exceptio. Quare, cum sit exorbitans à generali Regula concessio, siue exceptio, de alijs regulam firmat in contrarium: hoc est, eo ipso, quod statuit licere pulmenta cū carniū cocta, cætera denegat ac prohibet.

Præterea considerandum est, pulmentum minus ad carnes accedere (vt in Initio huius dubij ad notauimus) quam sagimen, siue pinguedinem. Nam illud tantum quasi qualitatem quandam participat, hoc verò quasi substantiam suam à carniū innatam habet. Quare si tantum Regula permittit pulmenta cocta cum carniū, idque ita arctè & strictè, vt fiat solum pro itinerantibus: à fortiori pinguedinem, sagimen, & alia similia expresse denegauit.

Secunda ratio sumitur à consuetudine: quia iam in nostra Religione id communi interpretatione, & consensu receptum est: & minimè horum vsus in monasterijs nostris admittitur.

Cap. de esu
carniū de
consecratione
dist. 3.

Tertio ex iure ipso deduco. Nam. c. de esu carniū, de consecratione distinctione tertia, cauetur, vt feria sexta, Christiani omnes à carniū abstineant: in Ecclesia verò communi interpretatione & iure receptum est, quod ibi nomine carniū non solum carnes ipsæ, sed etiam sagimen, lardum, pinguedo, &c. prohibeantur: quod non fieret, si hæc nomine carniū non comprehenderentur. Ergo similiter in nostra Regula nomine carniū prædicta omnia censetur prohibita.

Ad rationem in contrarium Respondetur, longe aliam esse

esse rationem de Ovis & lacticijs, ac est de pinguedine, sanguine, & alijs: quia Oua, & lactinia plus distant, & per plures transmutationes à carnibus sementinam trahunt originem: at sanguis, pinguedo, vel sagimen quasi immediatè à carnibus oriuntur, ac proinde maiorem consanguinitatem habent cum ipsis. Quare lactinia & Oua affinitatem; pinguedo vero sagimen &c. quasi consanguinitatem cum carnibus habent.

De iure verò & pulmentis, an appellatione carnum prohibeantur, patet in primis, Pulmentum prohiberi expressè: nam si nomine carnum non prohiberetur, frustrà in Regula exciperetur dùm dicit, *Extra domos vestras sumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus*. Et si omnibus liceret, minimè pro itinerantibus tantum indulgeretur. De iure verò eodem modo dicendum est; imò à fortiori; quia magis ad carnes accedit, ac proinde clarissimè ex regula colligitur, in domibus nostris licitum non esse, pulmentis aut iure uti, ut expressè (sumpto argumento à contrario sensu) Regula prohibet, & communis consensus Religionis approbat. Quid verò pulmentum sit, & quando eo uti liceat, infra hoc c. dicemus.

IN TEXTU IBI.

Nisi pro infirmitatis vel debilitatis remedio sumantur.

Circa hæc verba notandum est, quanta arctitudine esus carnum prohibeatur, ut, cum in superiori. ca. de ieiunio loquens, à ieiunio non solum debiles & infirmos excusauerit, verum & alia iusta causa impeditos, aut necessitate oppressos: hic equidem solum debiles & infirmos excipiat, & alias causas siue necessitates non admittat. Simile statutum de ieiunio est apud. *Dinum Benedictum* ca. 36. suæ Regulæ, ibi, *Sed & carnum esus infirmis, omninoque debilibus pro reparatione concedantur: at ubi meliorati fuerint, à carnibus more solito absterneant*. Ferè idè decernit *Innocentius I I I.* Archiepiscopo *Bracha-*

Cap. cōsiliū
de observa
tione ieiunij
Cap. cūm ad
monasteriū,
de statu Mo
nachorum.

Bracharensi rescribens, & refertur in c. cōsiliū, de observa
tione ieiunij: vbi dum carnes die Sabbati prohibet, ait,
Sic tamen, quod debilibus, & infirmis periculum nō emergat.
Et idem colligitur ex eodem, in. c. cum ad monasterium, de
sta. Monach. vbi inquit: *Debiles & infirmi, quæ necessaria
fuerint sibi, tam in carnibus quam in alijs, recipiant cōpetenter.*
Quare nostra Regula idem quoque statuit de debilibus, &
infirmis; vbi duo genera hominum designat, quibus esum
carnium concedit, scilicet, infirmorum, & debilium: illis au
tē concedit pro reparatione sanitatis, istis vero pro repara
tione virium. Quis verò sit debilis & infirmus dicendus,
oportet vt aperiāmus.

D V B I V M I I I.

*Quibus ex causis, carnibus vesci liceat? vbi
qui sint dicendi infirmi ac de
biles, explicatur.*



Dnfirmitatem aut debilitatē solūm ad esum
carnium, & non aliam causam sufficere, nu
per attingebamus. Quare nobis explican
dum restat, quid infirmitas, vel debilitas sit?

Modestinus
L. 1. ff. de
edilitio edi
cto.
Gellius.
Archidiacono
nus.

Modestinus iurecōsultus in l. 1. ff. de edi
litio edicto, *Morbis (ait) est habitus cuiusq;
corporis contra naturam, qui vsum eius ad id faciat deteriore,
cuius causa nobis natura sanitatem eius corporis dedit.* Hoc
Modestini responsū refert Gellius lib. 4. noctium atticarū,
c. 2. & dicitur morbus, teste Archid. in. c. legitima de appel
lationibus in 6. quia interdum mortem pariat.

Ca. 2. de cle
rico agro.
& debil.

De debilitate verò variè iuris interpretes loquūtur. Alij
illum debilem appellant, cuius manus abscissa fuit, vt patet
ex c. 2. de cleric. agro. & debili: ac proinde qui officio ali
cuius membri impeditur, debilis appellatur. Alij verò infir
mitatem ac debilitatem pro eodem vsurpant, vt patet in:
l. seruum,

l. seruum, de Verborum oblig. l. vna. de officio Consulis, & l. licui, in fine. ff. ex quibus causis maio. At quamuis aliquando morbus pro debilitate, vel è contra accipiatur, vt prædicta iura fatentur: tamen quando in aliqua lege iunguntur hæc duo, infirmitas, & debilitas, aliquid amplius in vno, quàm in alio latet: vt patet in Rubrica de clericis ægrotis, & debilibus. Si enim debilitas nihil aliud esset, præter ægri- tudinem, frustra diceretur, de ægrotis & debilibus. Quare, cum debilitas & infirmitas diuersa sint, oportet, vt aperiamus, quid vna quæque earum sit. Quæ Philosophia non à iuris prudentium responsis, sed à medicæ artis professoribus mē dicanda est.

l. seruum. ff. de Verborū oblig. l. vna. C. de officio Cons. & l. licui in fine. ff. ex quibus caus. maior.

Morbus est affectus præter naturam lædens operationes sensibiliter, vt Refert Galenus lib. de differentijs morborum ca. 2. & 1. lib. methodi medendi, & lib. artis medicæ, & ibidem omnes expositores. Dicitur, quòd, *lædat sensibiliter*: quia in aliquibus cōtingere solet aliquando quædam neutra dispositio, quia tamen per illam non læduntur sensibiliter opera, siue naturalia, siue animalia, siue vitalia: dispositio illa morbus non dicitur. Morbus idem est, quod ægritudo siue infirmitas, vt omnes medici fatentur.

Galenus.

Debilitas idem est, quod imbecillitas apud medicos: imbecillū verò, testante Galeno de differentijs Symptomatum c. 4. est: quod vix, vel ægrè, & longo tempore fit: vbi videtur Galenus inter genera Symptomatum, siue accidentium morborum, imbecillitatem enumerare. Sed quia in aliquibus contingit imbecillitas citrà id, quod præcesserit morbus, saltem sensibilis, vt in quibusdam correptis atrophia seu corporis resolutione: oportet amplius, quid propriè imbecillitas siue debilitas significet, inuestigare.

Idem.

Per debilitatem igitur intelligere debemus, corporis, & actionum eius languorem, & imperfectionem: veluti se habent corpora, quæ à medicis dicuntur neutra, quæ sunt media inter corpora sana, & ægra: quoniã nō habent illam perfectionem actionum, quæ sanis debetur, neque illud actionum vitium, quod corpora ægra, sed medio modo se habent: & ideo dici solent debilia, languida, & corpora lapsa, siue neutra. Sunt autem ista corpora, teste Galeno lib. artis medicæ

Galenus.

medicæ

medicæ c. 6. in duplici differentia: nam alia sunt neutra decidentiæ, alia conualescentiæ. Decidentiæ illa corpora neutra dicuntur, quæ sunt paratissima ad ægotandum: quæ licet actu non ægotent, habent tamen tantam debilitatē, vt ex qualibet minima occasione statim morbis ac infirmitatibus corripantur, tãquàm illis maximè obnoxia. Alia sunt corpora neutra conualescētiæ, in quibus licet iam cessauerit ægritudo, debilitas tamē, ratione morbi præcedentis, & euacuationum, & aliorum remediorum, quæ pro extirpatione morbi à medicis fuere applicata, adhuc præsens est, ita, vt si non optimè regantur ac gubernentur, non solū in victus ratione, sed etiã in alijs, facillimo negotio de integro in morbum incidant. Ita de duplici hac imbecillitate loquutus est Galenus lib. artis medicæ vt supra & ibi, expositores omnes. Fit ergo ex his, imbecillitatem medium quoddam esse inter sanitatem & ægritudinem, & hanc duplicem esse, aliã, quæ est dispositio ad morbum, & quæ minatur illum: aliã verò, quæ ex transacto morbo in corpore remanet. Regula igitur in duobus casibus esum carniū concedit. Primus est pro infirmitatum remedio: nam hæ conuenienter absq; indulgentia carniū curari non possunt. Concedit etiam pro imbecillitatis aut debilitatis reparatione, tam indebilitate decidiētiæ, quàm conualescentiæ: vt & illa ad ægritudinem non perueniat, & morborum principijs obuietur, necum mala per longas conualuerint moras, serò (vt alter dixit) medicina paretur: hæc verò itã adiuuetur, vt pristinæ vires reparentur, & pericula relabendi in morbum de medio tollantur.

In his verò maxima cum consideratione Prælati procedendum est. Nam cum hæc sit ex præcipuis nostræ Regulæ obseruantijs, curari summopere debet, vt potissimum inter alias obseruetur. Olim verò in Regula Alberti hac cautione erat statutum, vt solum carnes nimis debilibus concederentur, quod fortè ob eam rationem factum existimo, ne (scilicet) quæ est hominum (naturã inclinante) procliuitas ad credendum, vel suspicandū maiores dese necessitates, quam re vera eis insint, ex qualibet debilitate leuiter mouerentur ad esum carniū procurandum. Hac igitur de causa
addi-

addita est ab Alberto illa particula (nimia) quam Innocentius de medio sustulit: quia nimia debilitas nihil aliud est, quam morbus & ægrotudo. Ipse vero solum posuit (debilitatem:) vt distingueret inter debilitatem, & infirmitatem, in sensu quo supra diximus: & vt tollerentur scrupuli fratrum, quibus angi possent, an debilitas nimia, media, vel parua esset. Oportet ergo, vt mature esus carniū concedatur, & consulto medico, vbi de infirmitate probabiliter dubitatur, fiat. Nā quando infirmitas euidenter apparet, opus medico non est. Neque oportet, debilitatem quamlibet statim carniū curare: cum ius, & oua multis sæpe sufficiant. Rocolenda sunt, quæ ex Antonino dubio primo huius ca. adduximus: maximè vero illud, quo monet, ne quis facile se ægrotum aut debilem credat, vt carniū esu fruatur. Hos acriter reprehendit Bernardus in Apologia ad Guilielmum Abbatem, his verbis. *Siunt enim, incolumes ac validos iuuenes conuentum solere deserere, & in domum se infirmorum, qui non sunt infirmi, collocare, & carniū esu (qui vix ægrotis duntaxat, & omnino debilibus, ex Regula discretionis, pro viriū reparatione conceditur), non quidem corporis infirmitatis ruinas reficere pro incommodo, sed carniū luxuriantis curam persicere in desiderio. Quid hoc ignauia est, prandijs incubare longioribus, aut nudum molli voluari in lecto? O boni milites, socijs in sanguine & cade versantibus, vos, aut cibos diligitis delicatos, aut somnos capitis matutinos? Et infra. Delicata nimis medicina est, prius alligari, quam vulnerari: membrum non percussum plangere, & nec dum suscepto ictu, admoere manum: fouere vnguento, vbi non dolet: emplastrum adhibere, vbi scissura non est. Sic Macharius vixit: sic Basilius docuit: sic Antonius instituit: sic Patres in Aegypto conuersati*

Antoninus.

Bernardus.

sunt. Hactenus Bernardus.

(?)

IN

I N T E X T V I B I.

Et quia vos oportet frequentius mendicare itinerantes: (ne sitis hospitibus onerosi) extra domos vestras sumere poteritis pulmenta coctacum carnibus &c.

HÆc verba denuò in mitigatione ab Innocètio III. addita sunt, quibus cōcedit, vt itinerantibus fratribus sumere liceat pulmēta cocta cum carnibus: cuius permissiōnis Regula rationem reddit, ne recipientes fratres solitudine quærendi, ac parandi eis cibos grauentur: & ideo eis tales cibi conceduntur, qui facile apud omnes inueniuntur, qualia sunt pulmenta cum carnibus cocta. Præterea circa illa verba, *Et quoniam vos oportet frequentius mendicare itinerantes*, Dubitatur, an illud Verbum (oportet) vim habeat præcepti, an verò tantum significet condecenciam quandam, & honestatem: & sic tantum sit consilium?

Respōdeo, quòd, quamuis verbum illud (oportet) secundum probabiliorem sententiam præceptium sit, vt supra in præfationibus dub. 7. adducebamus: tamen hic ex adiectis quasi honestatem quandam, & condecenciam status significat: quasi dicat. Quoniam vos paupertatem strictissimam profiteremini, oportet, eam vt in plurimum itinerantes mendicando obseruare. Et licet de medicitate expressè tantum hic decernatur: tacite verò vt pedites itineremus, ex mente Regulæ colligi videtur: quia nunquam equitantes mendicare consueuerunt: & præterea, quia maxime modus iste itinerandi paupertati conuenire dignoscitur. Neutrum verò Regula præcipit, sed tantum monet: idque nō semper, sed frequenter debere fieri cōmendat. Propter hanc etiā mendicitatem, permittit Regula, vt edere pulmenta liceat, ne nos pauperes, onerosi, ex diuersitate victus hospitibus fiamus.

Dices, quare Regula non permittit, vt comederent de omnibus quæ fratribus apponerentur, quia hoc videtur maior perfectio, cum id Christus Dominus Apostolis itinerantibus præceperit, vt ederent quæcunque illis apponerentur:

tur, quia hoc videtur maior perfectio, cum id Christus Dominus Apostolis itinerantibus præceperit, ut deerent quæcunque illis apponerentur: & ita D. Franciscus 3. cap. suæ Regulæ prope finem, suos fratres per mundum euntes monet, ut, secundum sanctum Euangelium, de omnibus cibis eis appositis liceat manducare.

Respondetur, quod illa a Domino nostro Iesu Christo in Euangelio Apostolis prædicaturis in mûdo, præscripta forma, non præceptum, sed indulgentia (necessaria tamen pro ratione status) fuit. Nam, ut optime D. Bonaventura in apologia pauperû, in 2. responsione 2. particulæ art. 1. obseruat *Quia discipuli pauperes erant, & laboriosis prædicationis exponebantur discursibus, ne pro penuria, & difficultate laboris in seipsis deficerent, vel pro diuersitate victus onerosi redderentur susipientibus ipsos: huiusmodi fuit eis à Domino forma præscripta, tam pie, quam prouide: ut & alijs condescenderent, & iniunctum sibi laborem viriliter tolerare valerent. Ex quo elucescit, quod tam abstinere à carnibus & vino, quam his uti, fieri possit perfecte & imperfecte: sed vnum (scilicet abstinere) sit perfecte ex proprio genere: alterum vero ratione circumstantiæ adiuncta, cum ex se magis declinet a perfectione. Hæc Bonaventura. Ex quibus colligitur, de se perfectius esse, seruare abstinentiam à carnibus, quam eis uti. Et licet prædicantibus Apostolis, tum ne recipientibus ipsos fierent onerosi, tum ob prædicationis laborem, permissum sit carnibus uti: adhuc tamen itinerantibus fratribus Regula tantum concessit uti pulmentis, quia non erat tantus labor, ac prædicatio Euangelij: & hoc sufficiebat, ut fideles eorum susceptione non grauarentur: quod magnæ fuit perfectionis.*

Bonauentura.

Quid vero sibi Regula velit pulmenti nomine, non facile est apertè discernere: pendet enim huius declaratio ex notatione propriæ significationis huius vocis, Pulmentum, quæ non apud omnes eodem modo sonat. Pulmentum ergo à pulte apud Varronem lib. 4. de lingua latina, & alios probatos authores inuenies. Puls autem (eodẽ Varrone teste)

Varro.

Plinius.

sic dicta est, quia ut scribit Apollodorus, sonitū edit, cū feruēti aqua inspergitur: quod insinuat his verbis. *Pultē esse cibū ex farre cōminuto, in farinā redactū, & aqua respersum* (q̄ es lo q̄ de *Zimos en Romance puchas, o poleadas.*) Hoc cibo quondam Romani pro pane utebantur. Plinius lib. 18. cap. 8. *Pulte autem inquit) non pane vixisse longo tempore Romanos, manifestum est.* Vnde & pulmentaria hodie dicuntur, siue puls ipsa, siue quoduis aliud ad modum pultis confectum. Huic pultis acceptioni fauet Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum genialium cap. 11.

Ale. ab Ale.

Atheneus.

Secundo apud Atheneum, lib. 14. de Inosophistarum, puls non pro cibo liquido, (quem prædicti authores pultē seu puchas vocant:) sed pro solidiori quodam cibo potius accipitur. Eius verba referam. *Pultis inquit) meminit sic Alcma lam Pyaniam pulcem præbebit, chidron candidum & cerem fructum.*

Est autem Pyanion, ut inquit Sosibius, omnium seminum congeries, in passo cocta. Et paulo post, E fresis leguminibus puls. Sentit igitur Atheneus ex mēte Sosibij & aliorum, pulcem esse cibum ex varijs seminibus vel leguminibus fractis, & coctis in qua significatione pulmentum apud Plautum in Aulul. inuenies, dum inquit.

*Pulmentum pridem eidem eripuit miluus,
Homo ad Prætores plorabundus deuenit.*

Vnde solidior cibus pulmentum erit. Nam si puls esset ex aqua, & farina tantum, vnguibus milui rapi non posset. Pulmentum igitur est quoduis olerum siue leguminum genus, quod cum carnibus elixari solet.

Isidorus.

Tertio modo sumitur pulmentum latiori significatione: non enim certam cibum ex herbis, vel ex pulte, aut farina confectum, sed vtrumque horum comprehendit. Et sic eius significatio secundum varietatem materiæ, ex qua fit, attendi debet. Vnde Isidorus lib. 2. Etymolog. cap. 2. *Pulmentum à pulte dicitur: siue enim sola puls, siue quid aliud participationis sumatur, pulmentum dicitur.*

Quarta ratione pulmentum etiam sumitur pro iure, siue pro re potabili, teste Ambros. Calepino, verbo (pulmentū.)
Quod

Quod ex Apuleio confirmat. Quam etiam significationē apud Cælium Rodiginū lib. 9. lectionum antiquarum c. 16 post medium, approbatam inuenies. In proposito ergo pulmenta cocta cum carnibus intelliguntur, legumina, aut olea ipsa, quæ simul cum carnibus elixari solent, siue quodcunque aliud, dummodo carnes non sint, neque ex eis fermentinam originem trahant, quod tamen cum carnibus decoqui soleat: sub quo etiam pulmento ius ipsum comprehenditur.

Calepi.
Cæli. Rodi.

Ex his clarè constat, quid nomine pulmenti Regula velit. Et præterea constat, quando his pulmentis vti liceat, nempe, itinerando, & extra domos nostras. Ex quo fit, quod fratres itinerantes, dum ad alios ordinis conuentus perueniunt pulmentis his vesci non possint ratione illorum verborum *Extra domos vestras*. Nec sufficit, manducare extra domos, nisi in aliquo itinere sint, vt pulmenta edere liceat: quia hoc tantum concessum est pro itinerantibus, quamuis iam consuetudine receptum sit, etiam non itinerantes, extra conuentus ordinis manducantes, vti pulmentis. Tandem colligo, quod licet hospitibus onerosi fratres non sint (quia alias diuites sunt) prædicta concessione vti apud quoscumque possint: quia licet cesset ratio regulæ in particulari, non tamen cessat in vniuersali: & hoc sufficit vt possint pulmenta cum carnibus cocta edere.

D V B I V M I I I I.

*An possit dari aliquis casus, in quo, si quis
carnibus sine necessitate utatur, pec-
cet mortaliter?*



NON quærimus hic de eo, qui ex contemptu hoc Regulæ præceptum transgreditur, de quo satis clarè constat, peccare mortaliter: sed solum, dubium est de eo, qui quidem ob delectationem,

sive aliam non iustam causam carnibus vescitur. Et ut breuiter hanc dubitationem resoluam, primo certum est, eum qui carnes sine scandalo ederet, non peccare mortaliter: quia cum hoc Regulæ statutum de se solum obliget ad venialem culpam, & ex alia parte non appareat aliquod aliud præceptum, sine dubio eius transgressio non est de genere lethalis culpæ: quamuis non dubitem, intra venialem offensam, esse grauissimam, & dignam, ut à Prælatiis seuerè & acriter puniatur.

Secundo certum est, eum, qui hoc præceptum cum scandalo transgreditur, peccare mortaliter. Pro quo notandum est

D. Thomas, ex Diuo Tho, 2. 2. q. 43. art. 1. scandalum esse duplex, aliud actiuum, aliud vero passiuum. Scandalum actiuum nihil aliud est, quàm dictum vel factum minus rectum, (hoc est, malum vel habens speciem mali,) præbens alteri occasionem peccandi. Et hoc scandalum nulla ratione licet. Alterum est scandalum passiuum, quod tantum est in eo, qui scandalizatur: & dici solet scandalum Phariseorum, ut docet idem Diuus Thomas ut supra art. secundo. Est autem discrimen inter utrumque scandalum, primo, quia scandalum actiuum semper sequitur ex aliquo peccato: scandalum vero passiuum ex opere ex se bono. Præterea, quia scandalum primo modo (scilicet actiuum) semper tenemur vitare: ac proinde si ex nostris dictis aut factis pessimis sequatur, erit peccatum mortale, nisi quis omittat ea, ex quibus scandalum sequitur. Secundo vero modo, nempe, propter scandalum passiuum, hoc est, propter peccatum scandalizati vitandum, non sunt dimittenda quæcunque bona, sed tantum ea, quæ sunt de consilio, aut bona temporalia non necessaria, ut tradit Diuus Thomas artic. 7. & 8. eiusdem questionis. Nec tamen semper omittenda sunt, ea quæ sunt in consilio, & temporalia bona: sed tantum quando alius sumit occasionem peccandi ex bono opere non habente speciem mali, ex infirmitate, hoc est, ex passione & ignorantia. Nam quando ex malitia occasionem sumit, nulla ratione tenetur aliquis dimittere bona, aut temporalia, aut spiritualia etiam ea, quæ in consilio sunt, ut ex doctrina D. Tho. dicta q. 43. aperte colligitur.

Idem.

Idem.

Constat

Constat igitur ex dictis, quando erit peccatum scandalosi, edere carnes sine necessitate, aut cum illa. Nam quoties quis absque morbo, vel debilitate aliqua, transgreditur hoc præceptum, & ex eius transgressione alijs fratribus præbetur occasio, ut ipsi quoque passim, & sine iusta causa carnibus utantur: tunc, qui cum hoc scandalo carnes manducat, peccat mortaliter: quia ex hac comestione datur alijs occasio ruinæ spiritualis, & solet esse in causa, ut rigor ac Regularis disciplina tepescat: quod respectu totius Religionis maximum damnum & scandalum est. Hoc scandalum actiuū appellatur, & omnes authores ob prædictam rationem affirmant, Chartusienfes cum scandalo carnibus vescētes peccare mortaliter.

Qui verò cum necessitate carnibus vesceretur (maxime si necessitas vrgens sit) etiam si alij scandalizentur, non peccat mortaliter. Hoc dictum pugnat contra cōmunē sententiam authorum, quos adduximus dubio primo huius c. qui asserunt, Chartusiensem, etiā in extrema necessitate constitutū, cum scandalo carnibus vesci non posse: cuius contrarium nobis verius videtur, nempe, quod si Chartusiēses teneantur in tali casu necessitatis, ut ipsi affirmāt, carnibus vesci, abstinere non debeant propter scandalū, imo etiā si non teneantur, dummodo eis licitum in tali casu sit, vesci carnibus. Quia cum præceptum sit tuendi propriam vitam, non est omittenda eius adimpletio ratione scādali passiui, quod tantum obligat, ut ratione ipsius temporalia bona solum & ea, quæ sub consilio sunt, prætermittantur. Eodem modo iudicandum est de eo, qui inter nos cum scandalo aliorum passiuo carnes edit: quia non video, quare abstinere teneatur si alias ei pro infirmitate vel debilitate reparanda necessariae sint. Dixi (*vrgens necessitas*) quia certè non quælibet necessitas sufficeret: quia cum subuenire huic non sit sub præcepto, & ex alia parte sequatur pusillorum ruina, charitate id postulante, prætermittendus tunc est carniū vsus. Maxime verò inter sæculares hæc doctrina locum habet, qui facile ad scandala proni sunt. Quare corā eis maxima cum cautela carnibus utendum est.

INTEXTVBI.

Sed & carnibus supra mare vesci licebit.

HÆc etiam exceptio communi Regulæ, quæ decarniū abstinentia ab Alberto tradita est, addita fuit ab Innocentio III, in mitigatione, nempe, quod supra mare carnibus vesci liceat. Quod ideo permissum videtur, quia nauigantes, si hoc remedio non vterentur, ægre possent sustentari.

Circa hanc partem dubitabit aliquis, an in locis maritimis, in quibus Religiosi degunt, si aliquando recreationis gratia mare ingrediantur, possent hac Regulæ concessione vti? Respondeo, id minime licere: quia licet Regulæ verbis hoc factum consonet, aperte tamen est contra eius intentionem & mentem, quæ plus inspicienda est, quam verba: quia finis siue mens Regulæ id permittentis fuit, quia plerūque supra mare alia à carnibus alimenta non inueniuntur: finis autem hic omnino cessat tam in particulari, quam in communi in nostro casu: & sic cessat etiam permissio, quæ ob hunc finem data est. Nec ut cunque nauigantibus hoc permittitur, sed tantum illis, qui supra mare. Quare in fluminibus nauigantes hac indulgentia non gaudent: quia in illis etiam cessat ratio huius permissionis.

Dubitari tamen potest, an in mensis Episcoporum vel Principum, vesci carnibus liceat? Cuius affirmatiua pars videtur communiter recepta, & non obscure insinuatur in glossa in cap. carnem, de consecratione, distin. 5. vbi sic habetur: *Si autem à Principe, vel episcopo inuitentur, pro benedictione & obedientia degustare non metuant.*

Hæc tamen sententia, licet communiter apud Religionis vulgus circumferatur, sine fundamento, & sine ratione excogitata est. Nam neque in iure fundata, neque ab authore aliquo graui approbata hætenus reperitur, ut ne ipsa quidem glossa in dicto capitul. carnem eam teneat. Nam tantum ibi docet, Gratianum prætermisisse in dicto capit.

Carnem

*Glo. in c. car
nē consec. d. 5*

De expositione tex. Regul. c. 12.

Carnem prædicta verba, nempe, *Si autem à Principe, vel Episcopo inuitentur*, quæ habebantur apud Fructuosum Episcopum, ex quo desumptus fuit ille tex. Quare, cum illa verba in corpore iuris non sint inserta: nullam facultatem, nec licentiã monachis præbent: præsertim cum post Pium III. & Pium V. Gregorius XIII. (vt habetur in initio decreti) declarauerit, vt omnia in corpore decreti emendata & apposita, quàm diligentissimè retineantur, ita, vt nihil addatur, aut imminuatur. Imò, quamuis dicto c. Carnem illa verba adderentur, ridiculum esset, existimare, ex vi illius capituli, nobis contra nostram Regulam indulgentiam concedi, apud Episcopos vel Principes comedendi carnes. Primò, quia si addantur in dicto cap. Omnia verba à Gratiano prætermissa, inuenies etiam monachis longè proficiscentibus concedi, vt ex volatilibus sustentètur: vnde simili ratione nobis id liceret, quòd est absurdum.

His addo, quòd etiam extrà Refectorium nobis liceret carniū esus. Nam hoc permittitur monachis in c. cum ad monasteriū. §. in refectorio, de statu monachorum: imò, & in camera vel mensa Prælati, vt ibidem etiam decernitur. Quæ omnia absurda, & ridula sunt. Secundò, quia etiam si daremus id expressè decerni in dicto cap. Carnem: nullatenus nobis liceret, ea solùm facultate carnes manducare. Quia decreti decisiones tantum sunt, veluti quædam canones vel admonitiones, nec sunt (vt ita loquar) præcepta, aut decreta iure obseruanda. Quare non liceret eis contra Regulam vti. Et quamuis adhuc sint vera Pontificum decreta, quæ carniū esum vel extrà Refectorium monachis, vel apud suos prælatos indulgent, (vt habetur dicto c. cum ad monasterium;) loquantur tantum de monachis nigris, circa quos olim antiqua iuris decreta ferebantur. Et sic nõ sunt extendenda ad alias Religiones. Quis enim audeat dicere, Carthusiensibus, Camadulensibus, aut Minimorū ordinis fratribus vel alijs, quibus ex vi suæ Regulæ, vel constitutionum, esus carniū interdicitur; licere apud Episcopos vel Principes carniū vesci? Loquantur igitur ea iura (si quæ sunt) de monachis Regulam Diui Benedicti obseruã

Cap. cum
ad monaste-
rium. §. in
Refectorio,
de statu mo-
nachorum,

Quarta Pars,

tibus. Et adhuc etiam de his aut alijs in nullo textu iuris cautum inuenitur, eis licere apud Episcopos vel Principes comedere carnes. Quod si alicubi hoc reperiatur, hoc ideo à iure olim permittebatur, quia Episcopi tunc Religionibus præsidebant. Quare ut Prælati in esu carniū poterant cum monachis dispensare, ut habetur in dicto c. cum ad monasterium.

Quid ergo dicendum erit, si Episcopus vel Princeps aliquis speciale privilegium habeat, à Summo Pontifice in prædicto casu concessum? Licebit ne tunc sine transgressione Regulæ, huiusmodi privilegio gaudere? Respondeo adhuc mihi dubium esse, id licere: quia nunquam Pontifices specialibus his privilegijs intendunt, sanctissimis religionum regulis in Ecclesia approbatis derogare.

(.)

SEQVI.

Finis Tertiæ Partis.



SEQVITVR

QVARTA PARS,

Quæ exhortationes præcipue continet.

Dixi hanc partem exhortationes præcipue continere, quia interdum in ea aliqua præcepta traduntur, vt patet de duobus illis, quæ de labore manuû, & de silêtio tractant, vt suis locis etiã dicemus.

Exhortatio de spiritualibus armis.

TEXTVS.



Viaverò tētatio est vitahominis super terrã, & qui pie volūt viuere in Christo, persecutionē patiuntur. Aduersarius quoq; vester Diabolus, tâquã leo rugiēs, circuit quærēs quem deuoret omni sollicitudine studeatis, indui armatura Dei: vt possitis stare aduersus insidias inimici. Accingēdi sūt lūbi vestri cingulo castitatis. Muniēdū est pectus cogitationibus sanctis: scriptū est enim. Cogitatio sancta ser uabit te. Induēda est lorica iustitiæ, vt Dñm Deū vestrū ex toto corde & ex tota anima, & tota virtute diligatis, & proximū vestrū, tâquã vos ipsos. Sumēdū est in omnibus scutū fidei

in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: sine fide enim impossibile est placere Deo. Galea quoque salutis capiti imponenda est, vt de solo saluatore speretis salutē qui saluum facit populum suū a peccatis eorum. Gladius autem spiritus, quod est verbū Dei abundanter habitet in ore, & in cordibus vestris: & quæcunque vobis agenda sunt, in verbo Domini fiant.

Glossa. I.

CHristi milites, deposito corporis animiq; torpore, ad vitiorum spiritualem pugnam, manendo in castris, vigilando in acie, Regula hie scripturæ varijs testimonijs conatur excitare: vt in procinctu cōstitutos inimicahostium subuersio præuenire non possit: & sic armis munitos in bellum prodire nos monet. De hac militia spirituali plura apud patres scripta reperiuntur, præcipuè apud Diuum

Chrysolog. Chrysologum Sermone 12. 13. 14. & 15. & 28. apud
Antoninus. Antoninum 1. parte summx titulo 4. c. 1. 3. 4. & 5. apud
Lau. Iustin. Laurentium Iustinianum, in opusculo de interiori confis-
Cassianus. etu, Cassianum lib. 4. c. 38. & collatione 7. c. 5. & apud alios
 passim, ex quibus omnibus Cassianum de armis spiritualibus dicta collatione 7. loquentem audiamus, ait enim eruditissimus ille vir in hæc verba.

Huius centurionis qualia arma sint, vel ad quæ præliorū exercitia præparentur, audi beatum Apostolum prædicantem (2. Cor. 10.) Arma (inquit) militiæ nostræ nõ carnalia sunt sed spiritualia. Dixit qualia sint, id est, non carnalia nec infirma, sed spiritualia, & potentia Deo. Deinde ad quos sint exercenda, conflictus consequenter insinuat. Ad destructionem munitio-

De expositione circa exhortationes. 425

tem se aduersus scientiam Dei, & captiuantes omnem intelle-
ctum in obedientiam Christi, preparati vltisci omnem inobe-
dientiam, cum impleta fuerit primum vestra obedientia. Quae
omnia sigillatim percurrere sicut necessarium, ita etiam alte-
rius temporis est. Armorum tantummodò volo vobis genera
proprietatesque patefacere, quibus nos quoque si volumus bel-
la Domini praeliari, & inter centuriones Euangelicos militare
accincti iugiter debemus incedere. Sumite (inquit Ephes. 6.)
Scutum fidei, in quo positis omnia tela nequissimi ignea extin-
guere. Fides est ergo, quae excipiens ardentissima libidinum te-
la, metu futuri iudicij, & caelestis Regni credulitate mortifi-
cat. Et loriceam (1. Tess. 5. inquit) charitatis. Ipsa nempe est, quae
vitalia pectoris nostri circūdans atque communiens, lethali-
bus perturbationum obiecta vulneribus contrarios retundit ictus,
nec ad interiorem hominem nostrum iacula diaboli penetrare
permitit. Omnia enim suffert, omnia patitur, omnia sustinet. Et
galeam spem salutis. Galea munimen capitis est. Quia ergo ca-
put nostrum est Christus, debemus istud semper spe futurorum
honorum, veluti inexpugnabili galea, in cunctis tentationibus
ac persecutionibus communitate: & principaliter fidē eius illae-
sam atque integram custodire. Alijs enim membris truncatum
quempiam licet debilem, possibile tamen est, vt cumque super-
esse: sine capite verò nemini vel breuis viuae spacium proroga-
tur. Et gladium spiritus, quod est verbum Dei. Penetrabilius
namque est omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diui-
sionem animae ac spiritus, compagum quoque & medullarum,
& discretor cogitationum, & intentionum cordis, diuidens
(scilicet) & abscindens quicquid in nobis carnale terrenum
ve repererit. Quibus armis quisquis fuerit communitus, ab ho-
stium semper telis ac populatione defensus, non vt captiuus, ac
subditus ad hostilem cogitationum terram constrictus, depra-
dantium vinculis abducetur, nec audiet per Prophetam (Ba-
ruch. 3.) Quare inueteratus es in terra aliena. Sed quasi triū

phator ac victor in illa, quam voluerit, cogitationum regione consistet.
 Haec tenus Cassian. quibus optime explicat arma spiritualia,
 de quibus in hoc c. mentio fit.

De labore manuum.

TEXTVS.



*De labore
 manuum Pa-
 ch. à nu. 35.
 vsq. ad 100.
 Basi. in Reg.
 fussia Reg.
 37. 38. 39.
 40. & 42.
 D. Bene. ca.
 48. 57. &
 66. Fran. c.
 5. Reg. socie.
 Iesu 3. p. c. 1
 n. 6 Reg. Mo
 nach. c. 17.*

Ac iendū est vobis aliquid operis
 vt semper Diabolus inueniat vos
 occupatos: ne ex ociositate vestra
 aliquē intrandi aditū ad animas
 vestras valeat inuenire. Habetis in hoc B. Pau-
 li Apostoli magisteriū pariter & exēplū, (in cu-
 ius ore Christus loquebatur, qui positus est &
 datus à Deo prædicator, & Doctōr gētiū infi-
 de, & veritate, quē si sequuti fueritis, nō pote-
 ritis aberrare. In labore, inquit, & fatigatione
 fuimus inter vos, nocte, & die operantes, ne
 quē vestrū grauaremus: nō quasi nos nō habe-
 remus potestātē, sed vt nosmetipsos formā
 daremus vobis ad imitādū nos. Nam cū esse-
 mus apud vos, hoc denūtiabamus vobis Quo-
 niā si quis nō vult operari, nō māducet. Audi-
 uimus enim inter vos quosdā ambulare in-
 quietē, nihil operātes: ijs aut, qui huiusmodi
 sunt, denūtiamus, & obsecramus in Dño Iesu
 Christo, vt cū silētio operātes, panē suū mādu-
 cēt. Hęc via sancta est & bona: ambulate in ea.

Glossa. II.

IN hoc c. labor manuum præcipitur, ac varijs scripturæ testi-
 monijs cōmendatur. Circa hoc c. statim dubium se offert
 qua

quare Regula, cū laborē manuum & silentiū præcipit, pro horū confirmatione tot scripturæ testimonijs vtatur: cū alia maiora præcepta simplici stylo supra tradiderit: Respondeo. Quod quāuis labor manuum ferè in omnibus Religionū Regulis decernatur, maxime tñ solitariā vitā degētibus erat necessarius: & ideò tātoperè à Regula commēdatur, ita, vt Valdenfis noster quē supra in c. 8. de nō habēdo propriū retulimus, quatuor nostræ Regulæ potissimū institutiones designet, nempe, meditari in lege domini intra proprias cellas: laborare manibus: silētiū horis statutis seruare: & penuriā victus. Hæc igitur ratio est, quare labor manuum ita stricte præcipiatur. Quibus alia ratio addi potest: quia labor hic præcipue ad cellæ iugē custodiā ordinatur. Quare, cū Regula nos manere in cellis semper præcipiat, recte tāquā mediū necessariū ad cōsequendā hanc cellulæ custodiā, laborem manuum in hoc c. præscribit: de quo infra latius dicemus.

Circā hūc Regulæ articulū, multa de manuum labore adduci possent: omnia tñ ad hæc erūt reducēda. Primū, vt differamus, quā vsitatus ac cōmēdatus semper in Religionibus fuerit labor hic. Secūdū quid nomine huius laboris intelligatur & qui labores maxime Religiosis cōgruāt. Tertiū quo sine in Religionibus labor manuum fuerit introductus. Quartū de modo laborādi, vt sine distractione, & dispēdio spiritus fiat. Vltimū qui sint, qui in Religionibus laborare manibus teneāt.

D V B I V M I.

A quo tempore in Religionibus corporales labores fuerint in vsu.



In primis ab Apostolorū tempore, qui verè monachi fuerunt, hoc exercitium fuisse in vsu, Paulus Apostolus suo exemplo & doctrina 2. ad Tess. 5. & alibi docet. Imo & de omnibus Apostolis Hiero. ad Rustic. idem testatur: cui consonat Benedictus in Regula capitul. 48. cum ait: *Tunc verò monachi sunt, si de labore manuum suarum viuunt, sicut & Patres nostri, & Apostoli.* Hæc Benedi.

2. Tess. 5.
Hieronymus
Benedictus.

De

De omnibus etiã Apostolis loquutus est Paulus 1. ad Cor. 4. *Laboramus operantes manibus nostris.* Deinde in primordijs fi dei, pauci illi, probatissimi tamen monachi, qui à B. Euangelista Marco (qui primus Alexandria Pontifex præfuit,) **Cassianus.** normam susceperere viuendi, maximo feruore, (vt Cassianus lib. 2. instit. c. 5. ex historia Ecclesiastica refert) scripturarum diuinarum lectionibus, orationique, & operibus manuum diebus ac noctibus incubabant. Inde Anchoretarum princeps, Paulus, & Antonius, qui prædictis temporibus florere, manibus diu noctuque laborarunt. De Paulo **Cassianus** lib. 10. c. 24. narrat, quod, cum per anni spacium antrũ eius opere manuum suarum fuisset impletum, id, quod sollicita cura laborarat singulis annis, supposito igne concremabat. De Antonio Hieronymus in eius vitam, illum assidue manibus laborasse tradit. Hocque fuisse tam Anachoretis, quàm Ægypti Monachis exercitium vsitatissimum, varijs in locis **Cassianus** refert, præcipuè verò lib. 2. institutionũ c. 3. & lib. 5. c. 37. 38. & 39. Maxime verò libro decimo per totum, & demum collatione 24. c. 11. & 12. vbi docet, antiquos monachos maxime detestari ex Agape sustentari. Est autem *Agape* nomen Græcum, quòd Græcè idẽ, quod latine *dilectio* & *charitas*, sonat. Ac proinde translatum est, vt etiam significet quicquid in egenos, & pauperes erogatur: vt videre est apud Tertull. lib. ad Martyres, de his, qui in carcere detinebantur: apud Erasmus in scholijs in Epistolã D. Hieronymi ad Eustocho. & inter alios, pulchre apud Couarr. cap. vlt. de testam. n. 2. vbi vim ac proprietatem huius nominis explicat. **Cassianus** verò d. colla. 24. & colla. 16. c. 14. per *Agapẽ* intelligit id, quod ociosis hominibus, & non laborantibus à quibuscunque tribuitur, vt notat Henricus Chiquius in annot. ad **Cassianus** verbo (Agape.) Hæc obiter dicta sunt, vt vnicuique sit facile aduertere, apud illos Monachos nefas reputari, ex agape sustentari. Quare D. Hierony. ad Rusticum ait: *Ægyptiorum Monasteria hunc tenent morem, vt nullum absque opere aut labore suscipiant.* Et, vt ad Regulas Patrum accedamus, in primis Pacchomius, qui Regulam ministerio Angelorum suscepit à num. 35. vsque ad 100. tam laborem, quàm modum in eo à monachis seruandum præscribit.

De expositione circa exhortationes. 429

Basilii quoque in suis Regulis, tam in his, quas fufius explicat, maxime interrogatione 37. 38. 39. 40. & 42. quam in his, quas compendio tradit, varijs in locis studiū hoc laborandi suis monachis commendavit, ita, vt maxima suæ Regulæ pars in operarijs artificibus, & eorum instrumentis ordinandis, ac regendis versetur. *Basiliius.* D. Benedictus cap. 48. suæ Regulæ de opere manuum quotidiano & cap. 57. de artificibus Monasterij statuit: Neque his contentus deinde cap. 66. in suis Monasterijs omnes artes mechanicas, si possibile esset, à Monachis optat exerceri. *Benedictus.* *Augustinus.* D. Augustinus integrum librum de opere Monachorum scripsit: & in sua Regula omnes tam rusticos quam senatores ad labores inuitat. *Bernardus.* Apud Chartusiensium etiam Regulam siue statuta, hoc esse præceptum, manifeste docet D. Augustinus in ea Epistola, quam ad ipsos sub nomine, *Fratrū de mōte Dei*, scripsit. Nec D. Franciscus huius fuit obseruantia oblitus, cum laborem manuum in regul. capitul. 5. constituat, & in suo testamento, *Laborent* (dicat) *fratres manibus: quia & ego manibus laborabam.* *B. Franciscus.* Et Pater Ignatius suæ societati hunc etiam manuum laborem tertia parte suarum constitutionum capitulo primo num. 6. commendavit. *P. Ignatius.* Nostra igitur Regula tot antiquorum Patrum monumentis instructa, summo studio ad manuum laborem suos professores prouocat, vt videre est in hoc capitul. vbi Apostoli exemplo ac scripturæ testimonijs ad hoc studium inuitat.

Quæ autem sit causa, cur ita potissimū in nostra Regula hoc laborandi studiū cōmendetur, ex sequenti dubio fiet manifestum.

D V B I V M I I.

*Ad quem finem labor manuum in Religio-
nibus commendetur.*



Ecundum vero quod examinare in initio huius ca. proposueramus, quem scilicet scopus tot Patres, qui vno consensu corporalem laborem Religiosis iniungunt, habuerint, facile erit ex eorum sententia elicere. Primo igitur labor corporalis destinatus

fuit ad quærendum victum. Vnde primo homini dictum est *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Videndus est **Cassianus** collat. 24. cap. 11. & 12. & lib. 5. ca. 37. 38. & 39. Constat enim, suis laboribus multos, imò ferè omnes Anachoretas, & antiquos Monachos victitasse: nec penuria quidem victus, (quia multis quotidiana parentum, vel aliorum præsidia non deficiebant,) sed potius maioris nuditatis, & paupertatis feruore, noluisse alienæ operationis agape, id est, elemosyna fulciri: vt scribit idem **Cass.** dict. colla. 24. cap. 12. Quare proprium victum proprijs sudoribus & laboribus acquirant. Vnde **Hieron.** vt sup. *Non tam propter victus necessitatē quam propter animæ salutem. Quasi doceat eos victū laboribus acquirere, non tã ob victū parandū, quã ob spirituale profectū.* Imò etiã **Basil.** vt sup. suorū Monachorū laborē expresse ad victū parandum refert. Et denique **D. Franciscus** in d. c. 5. mercedem temporalem pro labore fratrum, dum in pecunia non sit, expectare vult.

Secundo ordinatur ad tollendum otium. Quare **Eccl. 33.** dicitur, *Mitte seruum tuum in operationem, ne vacet: multam enim malitiam docuit ociositas.* Vide **Bernardū** ad fratres de monte Dei. *Omniū autem tentationum, & cogitationū malarū, & inutiliū sentina, ocium est: summa etenim mentis malitia est, ocium iners.*

Tertio ordinari potest ad elemosynas faciendas: & sic **Paulus** ad **Ephes. 4.** monet fideles, vt laborent manibus: vt habeant (inquit) vnde tribuant necessitatem patienti, Et de Monachis **Ægypti** docet **Bernard.** in **Epist.** ad fratres de monte Dei, suis

Cassianus.

Hieronym.

Basilius.

D. Francisc.

Eccl. 33.

Bernardus.

Ephes. 4.

De expositione Regul. circa exhort. 431

suis laboribus pauperes, & oppressos in ciuitate existentes sustentasse. Quod latius prosequitur Cassia. lib. 10. c. 22. ad concupiscentiam reprimendā, in quantum his laboribus maceratur corpus. Vnde secunda ad Cor. 6. dicitur. *In laboribus, in ieiunijs, in vigilijs &c.* Et has duas vltimas rationes, ob quas labor institutus dicitur, tradit D. Basil. in Reg. fust. inter. 37. *Cum non solum (inquit) propter corporis castigationem sit nobis utilis talis vitæ ductus: sed etiam propter dilectionem erga proximum: vt etiam debilibus fratribus per nos exhibeāt Deus sufficientiam iuxta formam in Actibus cap. 20. ab Apostolo datam, dum ait, Omnia ostendi vobis, quod sic laborantes oportet subuenire infirmis.* Et denique labor manuum alios fines particulares respicere potest: præcipue vero mansionem in cella, & quietē corporis, ac mentis: de quo sine, memini, me dixisse in præfationibus, difficultate quarta. Et hic erat potissimus scopus, (vt ibi Cassiano teste adducebamus,) ob quem Eremitæ laborem manuum consecretabantur.

Cassianus.
2. ad Cor. 6
Basilius,

Quod vero hunc, & alios fines, & fructus hic labor respiciat, docet idem Cas. lib. 10. c. 24. vbi loquens de Paulo Eremita, sic ait, *In tantum probans, sine opere manuum neque in loco posse monachum perdurare, Neque ad perfectionis culmen aliquando conscendere: vt cum hoc fieri, nequaquam necessitas victus exegerit: pro sola purgatione cordis, & cogitationum soliditate, ac perseuerantia. Cella, vel accidia ipsius victoria & expugnatione, perficeret.* Hoc ipsum confirmat D. Bernardus in Epist. ad fratres de Monte Dei: vbi, laborem manuum ad spirituales profectum fuisse introductum, docet.

Cassianus,

Bernardus

Communiter tamen & maximè is labor in Religionibus est commendatus ad fugiendum ocium, & eius damna declinanda. Sic in primis expresse Hierony, dicit. Epist. ad Rusticum docet. *Aegypti (ait) monasteria hunc tenent morem, vt nullum sine labore suscipiant, non tam propter victus necessitatē, quā propter animæ salutē, ne vagetur perniciosus cogitationibus.* Eadem occasione motus D. Bened. c. 48. iuxta Regulæ laborem commendat, dicens: *Ociositas inimica est animæ:*

Hieronymus

Benedictus,

Basilius. *manuum.* Basil. vt supra interrogatione 37. inter alias rationes ad vitandam segnitiam, laborem præcipit: quamuis interrog. 42. pro præcipuo scopo huius laboris, aliorum fratrum indigentiam subleuare, constituat. D. Aug. pro laboris fine, ocij fugam assignare videtur: dum in Regula ait: *Nullo modo decet, vt in ea vita, vbi senatores sunt laboriosi, fiât opifices ociosi.* De hoc argumento plura apud **Cassianum** locis citatis inueniemus: potissimum vero toto lib. 10. vbi postquam præcedentibus capitibus, ex sententia Apostoli mala, quæ ex ociositate prouenire solent, numerauit demum cap. 14. de Apostolo loquens, sic concludit. *Causas tantorum vlcera, quæ de radice ociositatis emergunt, vno laboris saluari præcepto curauit, vt peritissimus Medicorum, cæteras quoque valetudines malas eodem cespite pullulâtes, sciens protinus extinguendas, origine morbi principalis extincta.* Hæc Cassianus. Cuius, non abs re erit, aliqua alia breuiter referre testimonia. Is enim dicto lib. 10, cap. 8. sic ait. *Qua si fiducia ociosis manibus gratis panem comedere audebimus quæ vas electionis, euangelica sollicitudine & prædicatione constrictus, sine opere manuum comedere non præsumit? sed in labore (inquit) & fatigatione, nocte & die laborantes, nequæ vestrum grauaremus.* Et in cap. 9. *Nec tamen, se solum taliter inter eos conuersatum fuisse, testatur, ne forte non magna nec generalis videretur hæc forma, si ipsius tantum tradere tur exemplo: sed etiã omnes, qui erãt cum eo ad ministerium Euãgelij deputati, idest, Syluanum & Timotheum, qui hæc eadem cum eo scribunt, asserit, simili opere laborasse.* In eo etiã quod dicit, *nequem vestrum grauaremus, verecundiã eis incutit magnã.* Si enim ille, qui Euãgelium prædicabat, signis illud virtutibusque commendãs, ne grauaret quempiã, gratis panem mäducare non audet: quo modo illi non existiment se grauare, qui quotidie eum ociosi vacantesque præsumunt? Et multis interpositis, tandem in capitulo 22. concludit intentum, dicens. *His itaque exemplis per Ægypt-*

De exposit. Regul. circa exhorta. 433

tum Patres instituti, nullo modo ociosos esse Monachos, ac præcipuè inuenes patiuntur: Actum cordis, & profectum patientis, & humilitatis sedulitate operis metientes. Et non solum à nullo quicquam ad vsum victus sui accipere sinūt: sed etiam de laboribus suis non tantum superuenientes ac peregrinos reficiunt fratres, verum etiã per loca Libyæ, quæ sterilitate & fame laborant, nec non etiam per ciuitates, his, qui squalore carceris contabescunt, immanem conferentes dirigunt alimonia victusque substantiam de fructu manuum suarum, rationale ac verum sacrificium Domino tali oblatione se offerre credentes. Et in c. 23. Vnde hæc est apud Aegyptum ab antiquis Patribus sancta sententia: Operantem Monachum vno Demone pulsari, ociosum verò innumeris spiritibus deustari. Hæc pauca de multis ex Cassiani lib. præfato. Diuus quoque Franciscus c. 5. suæ Reg. sic ait. *Laborent fideliter* *D. Francis.*
& deuotè, ita, quòd excluso ocio animæ inimico &c. Et tandem in Regula hic etiam finis labori præfigitur, dū inquit, *Faciendum est vobis aliquid operis, vt semper Diabolus inueniat vos occupatos, ne ex ociositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat inuenire.* Quæ verba omnia ferè ex D. Hieronymo ad Rusticum transcripta videntur. *Hieronymus.*
Et licet hic alius finis à Regula non præscribatur: tamè non est dubium, (vt in superioribus diximus,) ad custodiã cellæ, & ad detinendas cogitationes, ne extra illam vagentur prædictum etiam manuum laborem ordinari. Nam cū in hoc c. supponatur, fratres in cellis assiduæ orationi, & meditationi vacantes commoraturus, eis aliquam occupationem indicit: ne (inquit) dum Diabolus vos ociosos in spe xerit, aliquem ad animas vestras aditum inueniat. Et sic ab oratione perturbet, aut à cella extrahat, & inquietos, & gyrographos reddat. Quæ quo ordine, quibusve insidijs, is aduersarius conetur, optimè (vt solet) Cassianus lib. 10. institutionum depinxit: & simul nostræ professionis formam delineauit. *Qui cum miserabilem* (inquit) *obsederit mentem; horrorem loci, & fastidium cellæ gignit, & ad omne opus,*
Cassianus.
Et quod

quod intra eam fieri debet, inertem monachum facit & alijs innumeris machinationibus infestat, donec infelix anima accidit spiritu victa, aut in somnum compellatur concidere, aut relicta cella, in consolationem huius impugnationis, aliorum fratrum confabulationem consuescat acquirere. Cum autem iam eum viderit inimicus in conferto praelio sibi terga vertere: fortius & frequentius eum impugnat, donec paulatim protractus è cella, sua professionis incipiat obliuisci, quæ non est aliud, quam ingis contemplatio diuinæ puritatis: quæ non alibi potest, nisi in silentio, & ingi cella perseverantia, ac meditatione acquiri. Hactenus Cassianus qui ca. 6. eiusdem libri latius prosequitur hanc Dæmonis, contra Monachos ociofos pugnam.

Et deniq; nostra Regula laborē manuū instituit, quia, cū Religiosi tūc in eremis degerēt, nec haberēt prædia, possessiones, neq; villos redditus, non poterant aliter sustentari.

D V B I V M I I I.

Quæ sint, quæ sub labore manuum comprehendantur? & de laboribus, qui maxime Religiosis conueniunt.

D. Thomas.



Rima pars huius dubij resoluenda est ex his, quæ docet D. Tho. 2. 2. quæsti. 187. artic. 3. in corpore, sub opere nempe manuali intelligi omnia officia humana, ex quibus homines licite victū lucrantur, siue manibus, siue pedibus, siue lingua fiant. Vigiles enim, & cursores & alij huiusmodi suo labore viuentes, intelliguntur de operibus manuum viuere. Nam cum manus sit organū organorum, per opus manuū omnis operatio intelligitur, per quā aliquis licite potest victū lucrari. Hæc D. Tho. Vnde,

Vndè, non solum sub labore manuum comprehenduntur artes mechanicæ, quæ licitè à Religiosis exercentur, vt sutoria, textoria, ædificatoria, fabrilis lignaria vel ferraria, & agricultura, de quibus Diuus Basil. in Regu. fuit interrogatio. 38. Diuus Benedict. ca. 66. suæ Reg. sed etiam alia ministeria, in quibus præcipuè labor corporis exercetur, vt sunt alia officia Monasterij, vt Procuratoris, Oeconomi, Ostiarij, Sacristæ, Infirmarij, & denique omnia illa ministeria, quibus licitè sæculares victum lucrantur. Et ob hanc rationem ad manuû labores reducuntur lectiones quæcunq; siue Theologiæ, siue Grammaticæ: nam lingua in hoc casu (vt docet Diuus Tho.) nomine manus comprehenditur. Quare Religiosi, qui annuos redditus habere non possunt, licitè ob hos labores possunt eos acquirere.

Basilius.
Benedictus.

In celebrândis autè diuinis officijs & si lingua labore, quia tamè principaliter hic attentio mentis & deuotio consideratur, magis ad laborem mentis operationes hæc reducuntur: quia in his, oportet, vt à principali fiat denominatio: quâuis maximâ partè de labore manuû (in sensu in quo hic loquimur) habeant. Et ob id ex hac parte orationes (ex iustitia) lucratiuæ sunt victus, & labores manuum dicuntur.

Qui verò labores Religiosis maximè conueniant, hoc præcipuè pensandum erit ex fine, & Regulis vniuscuiusque instituti. In vniuersum tamen omnes prædicti laborandi modi conuenientes sunt, vt ex Diuo Basilio, Casiano, Benedicto, Hieronymo, Francisco, & Augustino, de operibus monachorum, licet colligere: quorum alij aliquas ex prædictis artibus, alij alias commendant: quamuis Casianus, collat. 24. ca. 12. affirmet, Aegypti monachos agriculturam ob distractionem, quam causat, non exercuisse. Cuius rei causa (inquit) *Omniem amœnæ habitationis gratiã deuitamus: squalentesque naturali amaritudine arenas, & perustas salsa inundatione regiones cunctis mundi huius opibus præponimus: vt non solũ frequentias hominũ obtentu inuicæ solitudinis declinemus, sed etiã nequaquã nos ad qualiscũq; cultura distentionẽ vberis soli natura sollicitet, per quã mens ab illa principali obseruatione cordis distracta, spiritualibus stu-*

Basil.
Benedictus.
Casianus.
Hieronymus.
Augustinus.
Franciscus.

dijs redderetur effecta. Hæc Casianus: qui ob prædicta incōmoda, Ægypti Patres tātūm eos labores, qui intra cellam perfici possent, elegisse testatur. Tractat verò de hoc præcipuè lib. 2. c. 10. Et omnes Patres in hoc conueniunt, vt illæ artes siue labores inter Monachos exerceantur, quorum exercitium spiritus profectum non impediāt. Inter quos, omnium optimè Basilius his verbis docuit. *Communiter illæ artes eligendæ sunt, quæ pacem ac tranquillitatem vitæ nostræ conseruant, neque multo negotio ad parandum propriam materiam, opus habentes, neque multa solitudine ad ea quæ facta sunt vendenda. Item quæ nec congressus virorum ac mulierum indecoros aut nocuos nobis pariant. Et infra. edificatoria, & fabrilis lignaria, itemque ferraria, & agricultura, quia necessaria vitæ sunt, à nobis reijci non possunt: præterquã vbi aut tumultus nobis inducant, aut vitæ fratrum vnitatem distrahant: tunc ipsas necessario deuitemus, præferentes artes, quæ nobis vitam indistractam, & Domino assidentem conseruant; & quæ neque à Psalmodia, neque oratione, neque reliquo bono disciplinæ ordine nos abstrahant: alioqui, vbi principale institutum non læditur, agricultura præferenda est.* Hæc Basilius. Bernardus quoque in Epist. ad fratres de monte Dei, *Operandum est (inquit) aliquid manibus, quod spiritualibus studijs delectationem conseruet, & nutriat.* Et infra. *Non spiritualia exercitia sunt propter corporalia, sed corporalia propter spiritualia: & sic cum in adiutorium spiritualis studij necessaria sint, non tamen ad hoc æquè semper conuenire videntur omnia corporalia exercitia, sed quæ cum spiritualibus proprioem videntur habere similitudinem: sicut ad ædificationem spiritualem, meditari quod scribarur, vel scribere quod legatur.* Hactenus Bernardus: qui inter labores manuum, studium scribendi alijs præferre videtur: quod antea prædixerat Chrysostomus, qui in Epist. ad Timoth. homil. 14. de monachis sui temporis loquens, ait: *Post completum Orationis officium, scribendis libris operam dabant.*

Basilius.

Bernardus.

Chrysost.

Denique Hieronymus ad Rusticum, inter alia opera & labores, quæ ibi de Monachis refert, *Scribebantur* (inquit) *libri, ut & manus operarentur cibum, & animus lectione saturaretur.* Hieronymus.

Ex his ergo Patrum testimonijs hoc vnum colligendum est, in quo & omnes conueniunt, eos labores à Religiosis assumendos esse, qui spiritum & deuotionem non extinguant: qui animum non distrahant: ac denique tales, quorum occasione sæcularibus immisceri non cogantur. Et ratio ipsa demonstrat: nam cum ij labores ad maiorẽ spiritus profectum assumantur, eorum vtilitas pensanda est ex ordine ad hunc finem. Quare intantum hoc laboris studium vtile erit, in quantum huius finis assequeutioni non obstet. Et quamuis hic labor ad omnes Religiosos pertineat: principaliter tamen iunioribus vtilissimus est. Vnde Casianus lib. 10. ca. 22. Ægyptios monachos profectum sedulitate operis metiri solitos esse, cõmemorat: (vt supra retulimus.)

Casianus.

D V B I V M I I I I.

Quomodo sit laborandum, vt laboris fructibus non frustremur?



X dictis facile licet colligere, ea ratione & modo labores suscipiendos esse, vt fini, ad quem destinantur, conueniant, hoc est, tali sollicitudine & studio fiant, vt animum non dissoluant, neque ab oratione distrahant. Quare Diuus Franciscus rectè in sua Regu.

D. Francisc.

ca. 5. sic monet. *Laborent fideliter & deuote, ita, quòd ocio secluso, orationis & deuotionis spiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deseruire.* Hæc Franciscus. Et constat etiam ex his, quæ præcedenti dubio diximus.

Sed qua ratione id fiet, vt laboribus intentus quis spiritum non extinguat, opus est explicare. Diuus Basilus in Regu. fust. interro. 37. ita esse laborandum docet, vt *Interim* (vt ipse ait) *Manus ad opera moueamus, & aliquando etiã lin*

qua, vbi hoc possibile, & vtile fuerit ad fidei adificationem,
 (sin minus corde) in Psalmis, & hymnis, & spiritualibus cãti-
 lenis Deum collaudemus: (velut scriptũ est ad Ephes. 5.) &
 orationem inter opus expleamus, Gratias quidẽ agentes ei, qui
 vires manuum ad opera dedit, & sapientiã mentis ad capien-
 dam scientiam. Et infra. Orantes autem, dirigantur opera ma-
 nuum nostrarum ad scopum complacentiæ erga Deũ: sic enim
 & animi intentionẽ acquirimus, vbi in vnaquaq; aetione suc-
 cessum operis à Deo petierimus, & gratiarũ aetionẽ ei, qui de-
 dit, persolacrimus, & scopum complacentiæ erga ipsum ob-
 seruauerimus. Nam si hæc hunc modum non habuerint, quo-
 modo possunt mutuo contingere ea, quæ ab Apostolo dicta
 sunt prima ad Thessalon. 5. nepe, Indefinenter Orare: & illud,
 Nocte & die operantes. Hucusq; Basilii: vbi rectẽ docuit,
 tum quomodo laborandum sit, tum etiam quomodo con-
 necti possint hæc duo, labor assiduus, & oratio ac medita-
 tio continua. August. in Epistola ad Probã, monet, in omni-
 bus negotijs & curis, quæ se offerunt, ne oratio tepescat,
 oportere certis verbis animũ subinde excitare. Et idem, de
 operibus monachorũ c. 17. ait. Cãtica diuina cãtitare etiam
 manibus operantes facile possunt, & laborẽ ipsum tanquã diui-
 no Zeleumate consolari. An ignoramus, opifices quibus vani-
 tatibus, & plerunq; etiã turpitudinibus theatricarũ fabularũ
 donent corda & linguas suas, cũ manus ab opere non recedãt?
 Quid ergo impedit, seruũ Dei operantẽ manibus, in lege Domi-
 ni meditari, & Psallere nomini Dei altissimi? Hæc ille. Diuus
 Isidorus li. 2. de officijs c. 5. Operãtur autẽ manibus ea, quibus
 & corpus pasci possit, & a Deo mens impediri non possit.
 Hæc de monachis suæ ætatis, Quare Sanctus Casianus in
 collatione Abbatis Isaac, Nulla opera aggredienda esse (ait)
 nisi prius illa communi Ecclesiæ oratione, Deus in adiutorium
 meum intende, Domine ad adiuuandum me Festina, arma-
 remur. Plura de hoc noster tradit Vvaldens. de Sacramen-
 talibus titulo. 1. c. 3.

Augustinus

Isidorus.

Casianus.

Vvaldens.

Oportet etiam, vt labor cū fructu & vtilitate fiat, operātes neque ignauia nec nimia solitudine affici. Nā ignauia signum est animi torpentis: Sollicitudo verò, si nimia sit, aut num perturbat, vt docuit Diuus Bonauentura in Epistola ad quendam Magistrum innominatum. Et idem, in c. 5. sue Regule in hoc proposito plura damna refert. Alia etiā tradunt Regulæ Beati Francisci expositores in dicto c. 5. Omnia tamen, quæ circa hoc dici possunt, prædicta Diui Basilij sententia, si rectè perpendatur, comprehenduntur.

Bonauentura

Illud tamen vnum superioribus addendum est, illis laboribus magis studendum esse, qui intrā cellæ ambitum, aut saltem Monasterij claustra peragi possunt. Et hoc præcipuè in ordine nostro. Nam aliàs hi labores sæpè distractionem pariunt, & spiritum non rarò extinguere solent. Non tamen ob id subditi, si alij labores eis ab obedientia iniungantur, eos contemnere, aut non recipere audeant: (vt rectè Diuus Augustinus lib de opere monachorum,) *Ciccius exau ditur vna obedientis oratio, quàm decem millia contemptorū.*

D V B I V M. V.

Qui sint, qui in Religionibus manibus laborare teneantur?



E hoc dubio copiosius disserit Diuus Tho. 2.2. quæstio. 187. arti. 3, 4. & in libr. contrā impugnantes Religiones c. 4. & noster Vualdensis in Doctrinali fidei antiquæ, lib. 4. arti. 1. ca. 12. & præcipuè arti. 2. à c. 21. vbi, dum aliorum Patrum sententias refert, qui manuum labores suis monachis iniunxere, meminit huius, ca. Regulæ nostræ, & omnia eius verba refert: & nouissimè ferè omnes huius temporis controuersarij, (inter quos Doctissimè Bellarminus tom. 1. lib. 2. de Monachus à capite 41.) de hac re fulsè & optimè tractant. Nos verò breuiter aliqua constituamus.

D. Thom.

Vvaldens.

Bellarmin.

Primū est. Religiosi ex lege naturali vel diuina, præci-
 se loquendo, non plus tenentur manibus laborare, quàm
 sæculares. Probat hoc Diuus Tho. (vt supra): quia labor
 manuum vel ordinatur ad victum quærendum, & sic nul-
 lus tenetur laborare, nisi qui aliunde non potest sustenta-
 ri: vel ordinatur ad excludendum ocium, & sic alijs labo-
 ribus occupati, à labore manuum excusantur: vel ordina-
 tur ad eleemosynam faciendam, & sic labor manuum non
 cadit sub præcepto, nisi interueniente aliqua necessitate,
 cui sub præcepto aliquis subuenire teneatur: & sic non ma-
 gis obligat Religiosos, quàm sæculares: vel tandem potest
 ordinari ad macerationem carnis, & sic etiam non cadit
 sub præcepto, cum multis alijs vijs caro reprimi ac macera-
 ri possit. Quare, si Religiosi ex propria Regula non obli-
 gentur; ex lege diuina vel naturali non magis laborare te-
 nentur, quàm sæculares. Sub hac ratione Diui Thom. com-
 prehenduntur omnes aliæ, quas in hoc proposito cæteri
 authores formare solent.

Dico secundo. Ferè nulla est Religio, vbi aliquis manuū
 labor non præcipiatur, & vbi omnes ferè Religiosi non
 laborent, vel aliquo labore partim manuali, partim spirit-
 tuali, vt sunt qui diuina peragunt ministeria: vel aliquo la-
 bore manuum, vt sunt reliqui cœnobiorum ministri, sua
 munera exequentes, vt rectè annotauit Diuus Bonauentu-
 ra, in quæstionibus super Regulam Beati Francisci quæst. 11.
 dum ait, *Alias autem omnes, præter infirmos, laborant: alij*
in studio, vt fideles erudiant: alij in diuino officio & laudi-
bus Dei: alij in colligendis Eleemosynis pro sustentatione com-
muni: alij in officijs domesticis, infirmis & sanis ex iniuncta
obedientia ministrantes: quidam, qui sciunt artes mechanicas
pro fratribus extraneis exercentes, sicut mutuo cooperan-
tur inter se formicæ, & apes: quidam per obedientiam missi,
diuersas terras perambulant, cum nuntios alios idoneos non
habeamus: & sic nullus impunè permittitur ociosus.

Dico Tertio. Ille, qui in Religione non laborat, neque
 alijs spiritualibus ministerijs deseruire vult: si per suam
 professionem ad hæc deputatus existat, vt sunt omnes
 Chori-

Choristæ: vel ministerijs corporalibus, quales sunt laici, qui ad hæc munera ex sua professione dedicantur: peccat mortaliter, & facit contra iustitiam. Quod euidenter ex ea ratione colligitur: quia per professionem fit quidam contractus inter Religiosum, & profitentem, per quam illa Religioso omnia necessaria tam ad victum quam ad vestitum promittit, ipse verò exercere suum munus, ad quod per professionem deputatur. Quare Nauarr. ca. 21. *Nauarrus.* de oratione num. 20. docuit, materiam principalem voti solemnitis eorum, qui ad chorum sunt deputati, esse in seruire Religioni in spiritualibus ministerijs. Et de laico idem omnino videtur dicendum: cum potissima materia solemnitis voti illorum, fuerit, exequi corporalia ministeria, vt nos latè ex Syluestro, & alijs in c. 7. de horis canonicis diximus. Ex quibus constat, eos ex iustitia teneri, actibus suæ professionis in Religione exerceri, ac laborare.

Sed dices. Quando ista laborandi ignauia erit graue peccatum? Respondeo, quòd in Chorista, quando officium diuinum cum alijs, nulla legitima causa impeditus, ex cõsuetudine omiserit recitare: aut Missã celebrare, si sacerdos sit: & alias obseruantias Choristarum omnino & ex consuetudine neglexerit. In laico verò, quando nullo modo laborare, neque aliquo alio ministerio voluerit occupari. Ratio est: quia Religio eos ad hæc munera sub conditione cõferendi illis necessaria recepit. Et hoc est, quod Diuus Thom. 2. 2. quæstione. 187. artic. 4. ait de Religiosis, qui absque necessitate ociosi in monasterijs ex Eleemosynis viuere volunt, eos (scilicet) illicitè facere. Sentit ergo D. Thom. eos peccare, & cum materia grauis sit, peccatum erit graue & lethale. Vbi Diuus Thom. refert Augustinum de operibus monachorum, de his Religiosis loquentem, *Si nolunt operari, non manducant*, his verbis significando, monasteria eos alere non teneri, quia ipsi nolentes laborare, pactum in professione statutum irritum fecère. Et confirmatur: quia si Religiosis laborantibus, & sua munera obeuntibus, Religio eis necessarij denegaret: sine dubio Prælati mortaliter peccarent, non alia ratione, nisi propter dictum pactum tacitè in professione initum: ergo, si ipsi non laborent,

borent, mortaliter peccant, dum ex bonis monasterij sustē-
tari volunt. Hos autem peccare ratione scandali, docet idē
D. Thomas. *Diuus Thom. dicto. artic. 4. ad quintum dum ait, Idem ta-*
men scandalum imminere posse de his, qui facultatibus commu-
nibus ociosè vtuntur. Quæ verba pro ociosis fratribus val-
de notanda sunt.

Id autem in hac re etiam difficultate non caret, an simi-
liter ij ratione ingratitude peccent? Quia, cum viuant de
Eleemosynis, quæ à fidelibus ea intētionē dantur (vt inquit
Diuus Thom. vt supra) vt ipsi Religiosi liberius Religionis
actibus insistere possint, quorum cupiunt esse participes,
qui temporalia ministrant, videtur, quòd hanc intentio-
nem defraudent, & ex consequenti quod à retributione
collati beneficij, nempe, Eleemosynarum deficiāt, ac proin-
de ingratitude culpam incurrant. In hoc dubio **Diuus**
Thom. ibidem censet, Monachos à Religiosis actibus defi-
cientes, illicitè vti Eleemosynis, propterea quòd ea inten-
tione à fidelibus dantur: vbi **Caieta.** interpretatur, **Diuus**
Thom. loquutum fuisse de peccato ingratitude: & sic

Idem.

Caietanus.

ipse ibi latè docet, quemlibet Religiosum, qui Religionis
actibus, qui sunt sub præcepto, non studet, peccare mor-
taliter ingratitude peccato: si verò deficiat tantum ab
actibus, qui non sunt sub præcepto, peccare venialiter pec-
cato ingratitude: & hanc **Caietani** Doctrinam commu-
niter receptam video. Pro qua facit **Diui Gregorij** dictum
lib. 2. Epist. ca. 42. vbi inquit. *Considerate, quantum pecca-*
tum est, vt ex aliena oblatione Deus vobis alimoniam trans-
miserit, & vos mandata Dei discere negligatis.

D. Grego.

Nobis verò in hoc non placet sententia **Caietani**, in
quantum asserit, transgredientes præcepta, quæ sunt in Re-
ligione, peccare mortaliter peccato ingratitude: venia-
liter verò, si alia mandata prætereant. Nam vel **Caietanus**
loquitur de eo, qui transgreditur vnum aut plura præcep-
ta, & in hoc casu non video ex qua parte incurrat pecca-
tum ingratitude, si alia adimpleat, quibus sufficienter be-
nefactoribus retribuit: vel quia semel, per breue tamen tem-
pus, omnia transgreditur, & in hoc non est notabilis ingra-
titu-

titudo. Quia cum alijs tēporibus exercitijs Religionis studeat, sufficienter acceptam Eleemosynam compensat: vel denique ex consuetudine omnia sui muneris ministeria omittit, & tunc non contra gratitudinem, sed contra iustitiā, (vt supra diximus) mortaliter peccabit. Quod ea ratione confirmatur; quia vel sæculares Eleemosynas conferunt, vt Religiosi liberius suo muneri ac professioni incumbant, & tunc, si ab huius adimplerione deficient, non contra gratitudinem, sed contra iustitiam peccabunt: vel Eleemosynas præbent, vt temporalla metentes, spiritualia percipiāt, & tunc, etiam si ex consuetudine aliquis Religiosus in particulari sua munera negligat, adhuc non peccabit mortaliter, peccato ingratitude, quia licet ipse à retributione deficiat, totum tamen corpus communitatis nunquam à retributione deficit. Quare, cum communitas sit quæ propriè beneficium accipit: ipsa quoque retribuere tenetur. Et sic in omnibus Religionibus fiunt sacrificia, orationes, & aliæ pro benefactoribus oblationes. Quare contra gratitudinem Religiosi ociositati vacantes mortaliter non peccant: quamvis fortè à veniali non excusentur. Peccant tamen (vt dictum est) contra iustitiam, si aliquo labore vel corporali vel spirituali, (eo modo, quo supra explicatum est) potissimum verò fratres laici, laborare non student. Diuus Augustinus c. 25. de operibus Monachorum, eos obligat ad operandum: de quo videndus est Vvaldensis in Doctrinali, vt supra ca. 30. & Bellarmi. dicto ca. 41. versic. itaque, qui, saltem hos fratres, à labore manuum excusare non audent: & Syluest. Verb (Hora). §. 3. ait, eos esse in statu periculoso, quando circa exercitia corporalia sunt notabiliter negligentes. Ex dictis ergo constat, qui sint, qui laborare, & quibus laboribus in Religioneteneantur.

Augustin.
Vvaldens.
Bellarmi.
Syluester.

(?)

Di.

De silentio Fratrum.

T E X T V S.

Apud Bene-
dicti Regu-
lam ca. 48.
& c. 6. ferè
simile desi-
lètio fertur
preceptum,
& cõcordat
c. cū admo-
nasteriũ de
statu Mona-
chorum.

Secunda
parte statu-
torum Car-
thusiens. ca.
14. n. 4. 5.
6. & seque.
Reg. Mo-
nachorum c.
21. 22. &
23.



Ommendat autẽ Apostolus silen-
tiũ, cū in eo præcipit operadũ:
&, quemadmodũ Propheta testa-
tur, Cultus iustitiæ silentium est:
& rursus, In silentio & spe erit fortitudo ves-
tra. Ideòq; statuimus, vt dicto Completorio
silentium teneatis, vsq; ad Primã dictã sequẽ-
tis dici. Alio verò tẽpore licet silentij nõ ha-
beatur obseruantia tanta, diligentius tamẽ à
multiloquio caueatur. Quoniam (sicut scri-
ptum est, & non minus experientia docet) In
multiloquio peccatum non decrit: &, Qui in
consideratus est ad loquendum, sentiet ma-
la. Item, Qui multis vtitur verbis, lædit ani-
mam suam: & Dominus ait in Euangelio, De
quocunque verbo otioso, quod loquuti fue-
rint homines, reddent rationem de eo in die
Iudicij. Faciat ergo vnusquisque stateram
verbis suis, & frænos rectos ori suo, ne forte
labatur in lingua sua, & insanabilis sit casus
eius ad mortem, custodiẽs cū Propheta vias
suas, vt non delinquat in lingua sua: & silen-
tium, in quo cultus iustitiæ est, diligenter &
cautẽ studeat obseruare.

Glossa. III.

Secundum præceptum, quod inter exhortationes latet, de silentio tractat. Hoc autem in Regula non exhortationem, sed præceptum esse, expressè patet ex illis verbis, *Ideoque statuimus, &c.* quæ non consilium, sed mandatum sonant. Secundò, quia hic articulus præcipuè fuit mitigatus ab Innocètio IIII. Tertio quia ita cõsuetudine, & communi Ordinis consensu receptum est, vt nullus vnquam de hoc dubitauerit.

In hoc c. circa silentium duo statuuntur: primum est, vt dicto completorio, vsque ad Primam dictam sequētis diei, silentium obseruetur: secundum verò, quod licet extrà prædicta tempora ita arctè silentium non obseruetur: diligenter tamen multiloquium caueatur. Cum hoc. c. Regulæ cõsonat *Benedictus. c. 42. Regulæ. Omni tempore (ait) silentio debent studere monachi, maximè verò nocturnis horis.* Et infra. *Et exeuntes à Completorio, nulla sit licentia denuo cuiquam loqui aliquid, excepto, si necessitas hospitem supervenerit, vel Abbas alicui aliquid iusserit.* *Benedictus.*

Circà primam partem sciendum est, olim in Regula Alberti maiorem fuisse in silentio obseruantiam: ita enim in illa cautum erat: *Statuimus, vt ab hora vespertina, vsque in horam tertiam sequentis diei silentium teneatis, nisi forte necessitas, vel causa rationabilis, aut licentia Prioris silentium interrumpat.* Hæc Albertus. Innocentius igitur IIII. hoc statutum temperavit, vt solum à dicto completorio, vsque ad Primam dictam sequentis diei, silentium obseruetur. Ex alia verò parte illa permissio, quæ in Regula Alberti continebatur, nempe, *Nisi forte necessitas, vel causa rationabilis, aut licentia Prioris silentium interrumpat,* ab eo sublata est: & absolutè, sine vlllo alio temperamento, silentium à dicto completorio, vsque ad Primam dictam sequentis diei, seruari decreuit.

Secundo notandum est, Regulam à dicto Completorio, & non ab hora completorij, silētium statuere: ex quo clarè fit,

fit, quamuis hora debita Cōpletorij transacta sit, si tamen à communitate completorium non fuerit recitatum, silentiū non obligare. Et idem etiam censendum est, si ante horam consuetam dicatur: ex tunc (scilicet) obligare.

Tertio quæret aliquis, an occurrente solēnitate aliqua, vel alia rationabili causa, possit completorium (ne silentiū frangatur) vsque ad decimam, vel vndecimam noctis horam differri: vel (quod ab aliquibus obseruari vidimus,) licitè fiat, vt hora competenti duo vel tres communitatis fratres hoc officium in choro persoluant, & postea omnes idem officium in choro dicant: vt illi intentioni Ecclesiæ satisfaciant, & hora debita officium persoluatur, hi verò Cōpletorium, (quod ipsi de silentio vocant) adimpleant: & dicto hoc, silentium teneatur?

Respondeo, Quòd, existente aliquādo causa rationabili, non erit peccatum, cōpletorium aliquātulum differri: mò etiam si causa rationabilis non adsit, si rarò fiat, non erit peccatum mortale, ex his, quæ suprà de Horis canonicis diximus. Et credo, conuenientiùs fieri, vt, rationabili causa existente, completorium differatur, quàm dispensare, vt, dicto completorio, communitas confabulari possit. Illud verò, quod ab aliquibus de duplici completorio fingitur, sine fundamento videtur. Quod, cùm Regula absolutè post dictum completorium obliget, sic vrgeri potest. Vel hoc officium, quod à duobus vel tribus recitatur, est verè officium Completorij, & tunc eo dicto, Regula obligat, nam absolutè in ea habetur, vt dicto Completorio silentium teneatur: vel non est vere officium Completorij, & sic frustrà recitabitur, ad satisfaciendum horis debitis, ab Ecclesia ad officia diuina deputatis. Tum etiam, quia possent Prælati similiter duplicem Primam fingere, & vnā hora debita persoluere, & alteram hora vndecima vel duodecima, & compellere Religiosos ad seruandum silentium, vsque ad prædictam horam.

Quarto considerandum occurrit, nomine *silentij* non tantum intelligi cessationem à loquutione, sed etiam à quo libet alio strepitu, qui alios possit inquietare: nam si silentium, vtriusque priuationem includit, vt patet ex illo

illo Sapientia. 18. *Dū mediū silentium tenerent omnia.* Et pretere- Sapient. 18.
reā, quia cum finis Regulæ sit, vt omnes tunc & orationi, &
quieti vacent, & hæc æquē & loquutionibus, & strepitu im-
pediantur, patet, vtriusque silentium hic præcipi.

Quinto obseruandum est, hoc Regulæ statutum æquē
prælatos ac subditos obligare. Et quamuis constitutioni-
bus nostris permissum sit superioribus, vt in eorum cel-
lis silentij tempore aliqua colloquia esse possint: hoc ta-
men, sicut ibi exprimitur, de verbis necessarijs intelligen-
dum est, & quæ commodè in aliud tempus reseruari non
possint: aliās non minus, quàm alij subditi, Regulæ trans-
gressores fient. Nam & constitutio ampliorem potesta-
tem, quàm pro necessarijs colloquijs, ipsis concedere
non potuit. Quare tantum Regulam declarauit pro ne-
cessarijs. Vnde hoc est discrimen inter Prælatos, & subdi-
tos, quod ij sine licentia, etiam necessaria illo tempore lo-
qui non possunt, illi verò generalem loquendi de necessa-
rijs licentiam à constitutionibus acceperunt.

Sexto oportet notare, Innocentium delesse ex Alberti
Regula illa verba, *Nisi forte necessitas, vel cāsa ratio-
nabilis, aut licentia Prioris silentium interrumpat.* Quo fa-
cto satis significauit, se velle excludere omnes excusatio-
nes ad silentij fractionem, vt maiori cum cautione & solici-
tudine obseruetur. Quare in hoc, ab Alberto traditam con-
stitutionem de silentio restrinxit, & coarctauit.

Septimo Circa illa verba, *Alio verò tempore licet silen-
tij nō habeatur obseruētia tanta, diligētius tamē à multiloquio
caueatur,* Notandum est, alijs temporibus, Regulam vo-
luisse, suo modo silentium obseruari: quamuis non itā stri-
ctē, sicut fit dicto completorio: diligentissimē tamen, vt nō
solum à verbis ociosis, sed etiam à multiloquio caueatur,
iniungit. Hoc igitur interest, ex mente Regulæ, inter silētij
tēpus à cōpletorio vsq; ad Primā constitutum, & inter alia
diei tēpora, quod, dicto completorio, non solum à multilo-
quio & alijs confabulationibus, sed etiam ab omni loquu-
tione, nisi ineuitabili necessitate vrgente, cessandum est:
alijs verò temporibus, licet necessarijs confabulationibus
à Re-

à Regula vti permissum sit : expressè tamen multiloquia, quæ vulgò confabulationes siue conuersiones appellamus, prohibentur.

Vltimò, vt hanc silentij materiam absoluamus, aliqua ex Patribus de vtilitate, & fructibus silentij, & de damnis linguæ in multiloquio, in otiosis verbis, vel facetijs, proferamus, illud tamen primò ad maiorem silentij commendationem referètes, quod Suidas, & Zenodotus, & cum eis Erasmus in prouerbij verbo (Pythagoræ silentium) commemorant, apud Gentiles (scilicet) Pythagoram pro mysterijs suæ Religionis, discipulis suis Quinquenne silentium indicare solitum.

Ad Patres verò accedamus, qui passim & silentij fructus cõmendant, & linguæ multiloquium, ociosa verba, ac facetias damnant. In primis Diuus Augustinus ad fratres in eremo, in sermone de silentio sic ait. *Silentium (fratres charissimi) inter cetera vobis in eremo summè necessarium est: Omne enim, quod non edificat, in periculum vertitur dicentium, & audientium. Lingua nostra sensum nostrum sequatur & rationem, non voluntatem. Non enim debemus tantum oculos clausos seruare, sed & linguas intrà dentes reseruare illas: sermo enim vanus vanæ cõscientiæ index est. Qualis enim es, tales sermones loqueris: talis & mens comprobatur. Et qualis fueris in factis, talis comprobaberis in verbis. Stultus enim valde est, qui non prius verbum ducit ad linguam rationis, quàm ad linguam oris educat. Qualis est homo in mente, talem verbositas depingit in ore. Verbofitas hominem conducit in ioculstorem, humane nature dignitatem deponit, honores sibi rapit, inimicos infinitos acquirit. Inflamat denique linguæ mobilitas, in adolescentia ad iocosa, in virili ætate ad fraudulenta, sed in senili ad detractoria. Restringenda est igitur hæc parua fauilla, ne in magnam vertatur flammam: surculus, ne crescat in syluam: gutta, ne tumescat in fontem. Maius est denique (fratres) linguam refrænare, quàm capere ciuitatem: quia illud insultat exterius, sed istud interiùs. Hic sumuntur arma contra te ipsum,*

De expositione Reg. circa exhort. 449

te ipsum, sed ibi de alieno. Summa tamen verecundia est, & depressa deiectio, non posse linguam refranare, & vile non posse ligare membrum. Ecce, lingua egredi querit, motum perquirat. Tu verò (o Monache) per temperantiam, ipsam refrana, appone ei pessulum rationis, circunda eam maturitate discretionis. O lingua, tu periculum immittis, & luctum producis: discordiam saepe spargis: & proditionis venenum & detractionis parit: & ad infernum, qui tibi credunt, conducis. O monache, cognosce linguam nequam, fuge eam, despice eam, si potes confunde eam. Sed volo instruere tuam linguam bene loqui. Vis bene loqui? Da ei moderatum totum. Pretiosa enim lingua non novit nisi verba divina saepe conferre. O quam sanctum est os, unde semper caelestia erumpunt eloquia. O monache, considera te redditurum rationem de omni verbo otioso, & tanto magis quanto minus mundo es obligatus. Non enim in foro, sed in cella habitare debes: non familiam, sed familiarum animas oratione pascere debes. Non est igitur tibi necesse, multum loqui, nec inter homines conuersari, nec mercantias pertractare, unde viuas. Nam mercantiam in Monacho, usuram occultam existimamus. Ama igitur (o Monache) solitudinem, fuge multitudinem, ne comprehendaris in verbo, ne confundaris in facto. Et si interrogatus fueris, melius est, ad singula respondere breuiter, quam diutius immorando, verba curiosa & prolixa extendere. Verboseitas enim quid aliud est, quam semē, quod fructum non facit? O verbose, erubescere, & considera tuam grandem miseriam. Quid enim aliud es, quam sal infatuatum, quod ad nullum valet condimentum? verè infructiferus es, & infructiferos facis, qui te libenter audiunt. O verbose mendax qui veritatē rarò dicere voluisti. O loquax, cognosce te ipsum: nam loqui nunquam erubescis, nec consideras, quid, sed quantum dicere possis. Non mensuras verborum sententias, sed tantum ut satieris. O verbose, erubescere, quia omnino cognosceris, quid agis. Nam tua conditio est, occulta manifestare, nota in conuen-

ribus prædicare. Sed si nescis, somnias inaudita, fingis te scire quod nescis, ut libet et audiaris à cunctis. Artifex mendaciorum, ò faber fabularum, lege quod dicitur, Quia vir linguosus non dirigetur super terram, nec dirigetur in terra promissionis. O monache & tu diligenter attendas. Nã qui non refrenat linguam suam, huius vana est Religio. Qui non custodit linguam suam, monachus non est: qui autem moderatur linguam suam, prudensissimus est: verusque monachus est. Eia ergo (fratres mei) amate silentium: ponite custodiam ori vestro: estote solitarij, ut sitis Angelis sociati: estote rustici, ut sitis ciues Sanctorum, & domestici Dei: estote muti, ut sitis loquaces: loquimini Deo, ut sitis veraces: contemplate in eremo ut contemplantur à Sanctis in celo: eleuate capita, ut eleuentur corde: extendite brachia, ut extendamini toto corpore volantes ad celum, ad quod perducatur nos Christus Deus noster. Amen. Hæc Aug.

Bernardus. D. Bernar. in serm. de triplici custodia manus, lingue, & cordis, Quis sane numeret (inquit) quantas modicum lingue membrum contrahat sordes: quam multiplex in labijs incircumcisis immunditia coaguletur: quam sit grauis pernicius oris incircumspecti? Est enim lingua dissoluta in sermonibus ociosis: est lingua impudica, est & magniloqua: quarum prima lasciuia, sequens arrogancia famulatur. Est etiam lingua dolosa, & ite lingua maledica: quarum altera in falsiloquia, & adulatoria subdiuiditur: altera verò nunc in facie contumelias irrogat, nunc detrahit in occulto. Quod si de omni vel ocioso verbo, quodcumque loquenti fuerint homines, Deo sunt reddituri rationem in die iudicij, quanto distrietiùs de verbo mendaci, mordaci, & iniurioso, de elato, vel lasciuo, de adulatorio, aut detractorio, iudicabuntur. Quam vera sententia (fratres,) in multiloquio non effugiendum peccatum. (Ut enim prætereâ cetera) si propterea est ociosum verbum, quod nullam rationabilem causam habeat, quam rationem de eo reddere poterimus, quod est præter rationem? Nemo vestrum (fratres) parui aestimet tempus, quod in verbis consumitur ociosis: siquidem tempus acceptabile est, & dies salutis. Volat verbum irreuocabile, volat tempus irremediabile, nec ad-

uertit insipiēs, quid amittat. Libet cōfabulari (aiūr) donec horā
prætereat. O donec prætereat hora? O donec pertrāseat tēpus?
Donec prætereat hora, quā tibi ad agēdā penitētiā, ad obtinēdā
veniā, ad acquirendā gratiā ad promerēdā gloriā miseratio con-
ditoris indulget? Donec transeat tempus, quo diuinā tibi repro-
pitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam societate, suspi-
rare ad amissam hereditatem, aspirare ad promissam feli-
citate, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniqui-
tate? Sic nimirum sic Agricola, cum diu desiderata affuerit op-
portunitas seminandi: sic vinitores, cum expectatum tempus
putationis aduenerit, inuenisse occupationes, & quasi irrepre-
hensibiliter sine opere diē transegisse lætantur? Sic instantibus
nundinis, institores ne cetera moras, occasiones querere solent, ne
quē forte sibi ex eis quæstū prouenire cōtingat? Sic deniq; pau-
peres medicantes, cum multis clamoribus euocatus, tandē affue-
rit eleemosynarū distributor, diuerticula captant, & concurrē-
tibus socijs vacuos ambiunt occupare recessus, & fouere late-
bras in angulis platearū. Utinā tamen, vel solum tempus vitæ
amitteretur in verbis: sed multi in his etiā vitā amittere cōpro-
bantur: nec modò ipsi amittere, sed adimere quoque, & hoc fra-
tribus suis. An non amittunt vitā detractores, Deo odibiles,
odibiles vitæ? Et paucis interiectis ait. Vilis res est musca mo-
riens, sed exterminat oleum suauitatis. Tenerum membrum lin-
gua, attamen vix teneri potest: substantia quidem infirmum
atque exiguum, sed vsu magnum, & validum inuenitur.
Medicum membrum est, sed nisi caueas, magnum malum. Te-
nuis est & lata, aptissimum vacuandis cordibus instrumen-
tum: sicut multorum mihi inter vos conscientias arbitror at-
testari, nisi forte omnes tam perfecti simus, vt nunquā
nobis, post longas confabulationes, inuenta sit mens quodam
modo vacua, meditatio minus deuota, sicca magis affectio,
& holocaustum orationis non vsque adeo pingue, pro-
pter verba siue quæ diximus, siue etiam quæ audiimus.

verba tamen. Facile enim lingua labitur, nec minus facile illa-
 bitur cordi, ita, ut multis inter loquendū minus profuerit, quod
 propriā cohibuerint, dū nōcauerint alienā. Vtilis est frater, qui
 tibi loquitur: sapiēs est Religiosus ac timēs Deū; plus dico: An-
 gelus est, & angelus lucis: etiā sic caue tibi, ne audias vnde leda-
 ris. Nec personā velim tibi suspectā esse, sed linguā: præsertim
 in sermocinatione cōmuni. Bona quidē colūbasimplicitas, sed in
 hac parte serpētis quoque astutiā nō omittas. Hucusq; Bernar.
 Gregorius li. 7. Moral. c. 17. super illud Iob. 6. Ad increpādū
 tantū eloquia concinnatis, & inventū verba profertis (inquit)
 Inventum verba proferre, est, otiosa dicere. Nā sæpè, dū ab
 otiosis verbis nequaquā lingua cōpescitur, ad temeritatē quoq;
 stultæ increpationis effrænatur. Nam, dum otiosa verba caue-
 re negligimus, ad noxia peruenimus. Infra (Prouer. 27. Qui im-
 ponit stulto silentiū, iras mitigat. Quod autē multiloquio quis-
 que seruiens, rectitudinē iustitiæ tenere non possit, testatur Pro-
 pheta, qui ait. Vir linguosus non dirigeretur in terra. Hinc Sa-
 lomon iterum dicit. In multiloquio peccatum non deerit. Hinc
 Isaias ait: Cultus Iustitiæ silentium, videlicet, indicans, quia
 mentis iustitiæ desolatur, quando ab immoderata loquutio-
 ne nō parcitur. Hinc Iacobus dicit. Si quis putat se religiosum
 esse non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum: huius
 vana est religio. Hinc rursum ait. Sit autē omnis homo velox
 ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Hinc iterum adiū-
 git: Lingua inquietum malum, plena veneno mortifero. Hinc
 per semetipsam nos veritas admonet dicens. Omne verbum otio-
 sum, quod loquuti fuerint homines, reddēt de eo rationem in die
 iudicij. Si ergo ratio de otioso sermone exigitur, pensandū val-
 de est, quæ pena illud multiloquium sequatur, in quo etiam per
 superbiæ verba peccatur. Sciendum quoque est, quod ab omni
 rectitudinis statu depereunt, qui per noxia verba dilabuntur.
 Humana etenim mens, aquæ more, circumclusa, ad superio-
 ra colligitur: Quia illud repetit, vnde descendit. Et relaxata
 depexit

De expositione Reg. circa exhort. 453

deperit: quia se per infima inutiliter spargit. Quot enim super uacuis verbis à silentij sui censura dissipatur, quasi tot riuus extra se ducitur. Vnde & redire interius ad sui cognitionem non sufficit: quia per multiloquium exterius sparsa, vim intimæ considerationis amittit. Totam igitur se se insidiantis hostis vulneribus detegit; quia se nulla munitione custodia circumcludit. Vnde scriptum est¹, Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Quia enim murum silentij non habet, patet inimici iaculis ciuitas mentis: & cum se per verba extra semetipsam eijcit, apertam se aduersario ostendit: quàm tanto ille sine labore superat, quantò & hæc eadem, quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat. Infra. Lingua sub magni moderaminis liberatione frænanda est, non insolubiliter liganda: ne aut laxata in vitium defluat, aut restricta, etiam ab utilitate torpescat. Hinc per sapientem dicitur. Sapiens tacebit vsque ad tempus: ut nimirum, cum opportunum considerat, postposita censura silentij, loquendo quæ congruunt, in vsum se utilitatis impendat. Hinc Salomon ait. Tempus tacendi, & tempus loquendi. Discretè quidem vicissitudinum pensanda sunt tempora: ne aut cum restringi lingua debet, per verba se inutiliter soluat: aut cum loqui utiliter potest, semetipsam pigrè restringat. Quod bene Psalmista considerans, breui postulatione complexus est, dicens. Pone domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis. Ostium namque aperitur, & clauditur. Qui ergo ori suo nequaquàm ponit obstaculum, sed ostium petijt, apertè docuit, quod & per disciplinam retineri lingua debeat, & ex necessitate laxari, quatenus os discretũ & cõgruo tẽpore vox aperiat, & rursus cõgruo taciturnitas claudat.

D. Ioannes Chrysostronus de otiosis confabulationibus, Homilia 17. in Epistol. ad Ephesios capitul. 5. in expositione morali, sic ait. Nullus sit nobis sermo ociosus. Ex ocioso

quidē sermone incidimus & in absurdos. Præsens tēpus nō effu-
 dēdi gaudij, sed luctus est, tribulationū & lamērationū. Tu ve-
 ro leuiter vrbanis facetijs iocularis? Quis athletarū stadiū in-
 gressus, relicta sollicitudine cū aduersario certādi, facetijs vti-
 tur? Instat diabolus: circuit rugiēs, vt rapiat: omnia mouet ac
 tētat: omnia aduersus caput tuū inuertit, extraq; nidū eijcere
 te molitur: dēribus stridet, ac fremit: ignē spirat aduersus salutē
 tuā: & tu sedes, facetias effundēs, & quæ stulta sunt, & ad rē
 nō cōueniūt, effatēs? Potesis itaq; ipsum bene superare? Ludim-
 mus dilecti? vis discere sanctorū cōversationē? Audi Paulū di-
 cētē. Trienniū (inquit) noctes ac dies nō destiti cū lachrymis ad-
 monere vnūquēque vestrū. Si verò pro Milijs & Ephesijs: a-
 ta vsus est diligētia, nō facetias loquēs, sed cū lachrymis admo-
 nitionē inferēs: quid de alijs dici poterit? Audi vero, quid & co-
 rinthijs dicat. Ex multa tribulatione (inquit) & anxietate cor-
 dis scripsi vobis per multas lachrymas Et iterū. Quis infirmatur
 & ego nō infirmor? Quis offēditur, & ego nō vror? Quia audi,
 quid & alibi dicat. Nā & nos (inquit) qui sumus in hoc taber-
 naculo, gemimus. Et per singulos dies (vt ita dicā) ex hoc mūdo
 migrare cupiēte Apostolo, tu rides, & ludis? Belli tēpus est, &
 tu quæ tripudiātū sunt, vsurpas? Nō vides bella gerētū facies
 quo modo sint tristes, cōtractæ, supercilijs terribiles, & horro-
 re plenæ. Vide aciē oculorū austerā, cor excitatū salies & palpi-
 tās, animū collectū, tremētē, ac trepidātē (vt multā disciplinā
 rerūque cōcinnitatē taceā) Itaque apud illos nō licet turpe ver-
 bū dicere, imo nec loqui quidē temerē. Multū silētij illis, qui in
 exercitu sunt, sibi inuicē mādātibus. Si ergo illi, quibus cū sensi-
 bilibus & carnalibus hostibus bellum est, quique nihil ex sermo-
 nibus noceri poterunt, tanto vtuntur silentio: tu cui in sermoni-
 bus bellum est, imo potior pars belli, eam tibi partem incautam
 relinques & nudam? An ignoras, quod hinc potissimum pluri-
 bus insidijs obruimur? Ludis, deliciaris, facetias dicis, ac risum
 moues, nihil ista curās? Quot sunt ex sacerijs penuriæ, quot in cō-

moda, quot turpiloquia? Sed tales (inquis) non sunt facetiæ. Verum audi, quod omnem facetiarum urbanitatē, reiecerit Apostolus. Belli tempus est, pugna, vigiliarum, custodia, armaturæ & aciei. Nullum hic locū habet ridendi tempus, illud enim mūdi est. Audi Christum dicentem, Mundus (inquit) gaudebit, vos autem contristabimini. Malorum tuorum gratia crucifixus est Christus: & turides? Alapis percussus est, tantaque cōmodi tui gratia ad auertēdam tempestatē, quæ te occupabat, passus est & tu deliciaris? Et quomodo, quæso, ipsum non magis ad iracundiam prouocas? Hæc ille. ¶ D. Bonauentura li. 3. Pharetræ Bonauent.
c. 3. de multiloquio Gregorium referens in moralibus Certum est (inquit) quod verbosus vir iustificari nequeat. Item. Mentis iusticia desolatur, quādo ab immoderata loquutione nō parcitur. Idem Greg. in pastoral. Quia murum silentij non habet, patet inimici iaculisciuitas mentis: & cum se per multa verba extra semetipsam eijcit, apertam se totam aduersario ostēdit: quam ille tantō sine labore superat, quanto & hæc eadem quæ vincitur, cōtrā semetipsam per multiloquiū pugnat. In Proverb. dicitur. Sicut vrbs patēs & absq; murorū ambitu: ita vir qui nō potest in loquēdo cohibere spiritū suū. Idē super Ezech. Valde difficile est, vt qui multa loquitur, nō etiā mētiatur. Isido. in Syno. Loqui multū, stultitia est, & vox insipientis in multiplicatione sermonis. Idem. Multiloquium non declinat peccatū: fluuius enim exundās, cito colligit lutum. Hucusque Bona.

Ac denique Petrus Damianus silentium ser. 2. de vicio lingue his verbis commendat. Curate ergo (fratres mei) cum inuicē conuenitis, vt honestē, grauitē, & morose, incedere studeatis: quatenus debite mortificationis insignia præferentes, & inter vos metipfos quietē ac pacificē fraternā valeatis charitate cōgruere, & extrinsecus aduentantibus sanctæ conuersationis exempla præbere: præcipuē tamen, loquacitatis vitio seuerē ac vigilanter obsistere, prurienti lingue frenum sobrii moderaminis adhibere: ne (quod absit) breuis horæ spatio

perdatis (ociosa loquendo) quod per plures dies acquisistis orando: & nunc lingua leuiter effluat, quod mentem postea (penitendo) grauiter premit. Sæpe namque inter reliquos cibos vnus fortasse a comedente traicitur, qui per plures dies postmodum occupã stomachum, minimè digeratur. Sic nimirum inter multa verba, quæ indiscretè proferimus, impossibile est, vt non quãdoque aliquid prodeat, quo deprimi mentis nostræ stomachum sentiamus: ac per hoc nequeat facile digeri, quia non potest obliuioni traditum, à cogitatione deleri. Nonnulli enim fratrum, postquam se aliquando siluisse meminerint, quadã (quasi ex ipso silentio) securitate præsumpta, mox ad proferenda vana quælibet, & leuia defluunt: & non ad necessitatis iudicia, sed ad voluptatis potius petulantiam indiscreta ora resoluunt. Quibus profectò valde timendum est, ne magis Deum de vitio vani fluxæ verbositatis offendant, quàm sibi prius de silentij sui censura placuerant. Deum si quidem, quem silentio & orationibus insistendo, in se suscipere fortassis antè meruerant, nunc vacando fabulis & sermonibus ociosis tantò periculosius, quantò vicinius persequi non formidant. Et infra ait. Quid autem vaniloquio potest esse deterius, quod non modo per semetipsum, infelicem animum lethali ter grauatur, sed & ipsam honestæ vitæ religionem, quæ hominem Deo iungit, euacuat, Iacobo testante, qui ait. Si quis putat Religiosum esse, nõ refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est Religio. Quibus nimirum verbis luce clariùs constat, quia in nihilum omnis nostra Religio redigeretur, nisi solícite immoderata lingua lasciuia cõpescatur. Qui rursus ait. Qui in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Si viri perfectio incustodia verbi ponitur, profectò patet, quia per effrenatæ loquacitatis incuriã, omnis etiã perfectæ vitæ cõpositio dissipatur. Et si rê velimus diligenter inspicere, deterius peccat plerũq; lingua, quã vitæ. Nã et si vigilanter animam nostrã custodire proponimus, tamen, quia propagati de carne cū peccato sumus, impediẽte sæ-

pius ipsa carnis infirmitate, peccamus: sed quicquid in humana conuersatione delinquitur, fructuosa penitentiæ remedio & crebris orationibus expiatur. Consideremus ergo (Fratres charissimi) quàm graue sit delinquere in lingua, quæ compuncti & amari cordis interpres, pro nostris delictis efficaciter consuevit orare: & eam vanissimæ loquacitatis vitio ream atque obnoxiam diuino conspectui reddere, quæ nimirum in suæ munditiæ puritate persistens, nostris reatibus poterat veniã obtinere. Vnde non immerito per virum sapientem dicitur. Flagelli plaga liuorem facit: plaga autem linguæ comminuit ossa. Ecce, lingua ossa non habet, & ossa comminuit: quia, cum ipsa per ventosa verba leuiter effluit, fortia atque robusta virtutis nostræ facta corrumpit. Nam cum mors & vita sit in manu linguæ, valde cauendum est vitium, quod & manu ad feriendum vti dicitur vnde inaniter loquentis anima trucidetur. Vnde non immerito idem, qui supra, sapiens dicit. Multi ceciderunt in ore gladij: sed non quanti, qui interierunt per linguam suam. Duo autem vnicuique necessaria sunt, qui se ab huius nequitie peste custodire desiderat, vt (videlicet) & proprium os à superuacuis sermonibus comprimat, & aures etiam ab ineptis alienæ loquacitatis confabulationibus claudat. Quoniam hoc virus non solum eos, à quibus oritur, lethaliter inficit: sed eos etiam, in quos perfunditur, perniciose tabe corrumpit. Vnde scriptum est. Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis. Aurum tuum, & argentum tuum conflagra, & verbis tuis facito stateram, & freno ori tuo rector, & attende, ne forte labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortem. Salomon autem dicit. Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui autem incōsideratus est ad loquendum, sentiet malum. Nec enim credendum est, (fratres mei) Sanctos Doctores (noui scilicet ac veteris testamēti) tot sententias sine causa aduersus linguæ vitium protulisse. Nisi

enim huic morbo immane periculum inesse cognosceret: nequaquam aduersus hunc tam austere, tam multipliciter, tam vni-
 formiter disputarent. (Vt enim cetera testimonia sacrae scriptu-
 ra praeteream) quem Apostolica verba illa non terreant, quae
 de hac pernicie terribiliter intonat, dicens? Ecce (inquit) quan-
 tus ignis quam magnam syluam incendit. Et Linguae ignis, vni-
 uersitas est iniquitatis: lingua constituitur in membris nostris,
 quae maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis
 nostrae, inflammata à gehenna. Non autem in initio lingua ignis
 dicitur: quia sicut de insipiente Salomon dicit, Apertio oris il-
 lius, inflammatio. Si ergo ignis est, quae omnem virtutum nostra-
 rum syluam incendit: si vniuersitas est iniquitatis: si totum cor-
 pus sua feditate contaminat: si rotam nostrae natiuitatis inflam-
 mat, id est, si omne meritum instabilis vitae nostrae, suae damna-
 tionis incendio deuoratur: nisi linguam suam quis discreta mo-
 deratione custodiat, quis de sobrietate, quis de castitate prae-
 sumere, quis de ieiunijs, siue de vigilijs, atque alia se poterit
 bona operatione iactare? Ponamus ergo (fratres charissimi)
 frænum ori nostro: non ex eo verba scurvilia prodeant: non
 fluxæ letitiæ prorumpant. Non lingua vestra (fratres) in-
 firmi vitam detractione mordeat: non, bene currentis opera
 sub vitæ huius incerto, præcipitanter extollat: non præteri-
 ta facta vel dicta inaniter recitet: non quod à secularibus
 agitur, inter fratres pestilenter enarret. Seruemus & nos
 quod Paulus Colossensibus præcipit, dicens. Sermo vester
 semper in gratia sale sit conditus, vt sciatis, quo modo oportet
 vos vnicuique respondere. Sit ergo lingua vestra mo-
 destæ, sobria, pudica: sit ori vestro, salina crescente, lin-
 gua virgo: & nisi vtilitatis occasio præbeatur, vsque in crâ-
 stinum siue perendie incorruptè seruetur. Portatis vobiscum por-
 tatis (fratres mei) clauem cellulae; portate clauem linguae. Opponitis
 pessulum ostio: adhibete retinacula salubriter ori vestro. Auceps
 non emittit Accipitræ, nisi anserem videat: & Monachus dimittat
 linguam

linguā suā, si loquēdi necessitas nō assistat? Dedignatur venator catulam soluere, nisi lepus appareat: viliorē habeat Monachus linguā suā, quam ad nullius salutem vel cōmodum inutiliter soluat? Sudat lapis in manu oppugnatiū mania: & incassum volat verbum de ore stantis in Ecclesie disciplina: Arcus flexis cornibus frustra nō intenditur, & rationale os ad effundendum irrationabilia passim re seratur. Parcitur pharetra, vt ex ea sagitta leuiter nō exeat: nō parcitur lingua, vt mordax inquēlibet, verbum, velut iētū vulneris nō infligat. Quid ad hoc fratres dicimus? qua nos argumentatione defendere: qua nos possimus artificiosa excusatione purgare? Nunquid nō facilius est atq; trāquillius, tacere, quam loqui? Nunquid nō laboriosius est, linguam per tot loquacitatis verba discurre, quā in suo quietā silentio permanere? Vnde non immerito de quibusdam per Ieremiam dicitur. Docuerunt linguam suam loqui mendaciū: vt iniquē agerent laborauerunt. Laborasse dicuntur, vt iniquē agerent, qui tacendo vtique, sine peccato melius quiescissent. Etsi forte quemlibet fortē in lingua se fatigare iugiter, delectat, Paulum audiat, quid dicat Corinthiis. Quid ergo fratres? cum cōuenitis, vnusquisq; vestrū Psalmum habet, doctrinā habet, Apocalypsim habet, linguā habet, interpretationē habet, omnia ad aedificationē faciūt. Si quem ergo tacer, linguā suā rigida silentij censura cōpescere: orando, psallendo, legendo siue etiā aedificationis verba proferendo, studeat eā salubriter exercere: ne, cui nūc ardet lingua in loquēdi cōcupiscentia, dānationis suae post modū cōburatur in pena. Neque enim negligenter audiendū est quod diues ille peribat refrigerari linguā suā, quia cruciabatur inflāma: quia enim, iuxta Apostolicam sententiam, humana lingua à Gehenna, hoc est, à gehennalibus incolis nunc dicitur inflammari: non immeritō post modum flammis vlticibus tradita, cum eisdem simul meretur aduri. Vnde non incongruē de peruersa lingua per Sapientem dicitur. In flāma (inquit) sua cōburet iniustus: qui derelinquit Deū, incidet in illā, & exardebit in illis

in illis, & non extinguetur in illis: quasi Leo, quasi pardus le-
det eos. Illud & quantæ formidini, quanto nobis debet esse ter-
rori, quod veritas ait. Omne verbum ociosum, quod loquuti
fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Audiat
vaniloqua lingua, audiat lingua ociosa, audiat lingua scabiosa,
lingua (inquã) quæ velut scabië quãdã atque pruritu patitur, ni-
si semper quodãmodo acuto superuacua loquutionis ungue
scalpatur. Audiat, & pauescat: intelligat, & circã terribilẽ sen-
tentiã perhorrescat. Audiat terrorẽ iudicij de ore ipsius indica-
turi. An nõ habet aures, vt possit audire, quæ & manũ habet
vt possit occidere? Mors enim & vita in manu lingue. Audiat
ergo quod de ore veritatis dicitur, & subtili meditatione discu-
tiat, quod minatur. Omne verbũ (inquit) quod loquitur fuerint ho-
mines, reddet de eo rationẽ in die iudicij. Ponamus itaq; vt ocio-
sum verbũ (si cõtra sacra scrip. sententiã fas est dicere) leue sit
& exiguũ omnino peccatũ. Sed quid milio breuius? Quid penna
leuius inuenitur? Verũtamẽ, si pennarũ vel miliarũ innumera-
bilis multitudo cõgeritur, necesse est, vt portãtis ceruix, velut
sub graui lapide immoderãter pressa frãgatur. Ex humetibus
quoq; saxi, tenuis quidẽ & rara gutta distillat: sed si vas subef-
se spaciolõgiore permittitur, ita plenu, ac si profluẽs vnda discur-
reret, inuenitur. Parua equidẽ, sed innumera ciniphes, superbi
Pharaonis & totius Egypti superauere virtutẽ. Breue tẽpus
est, hora, sed dũ hora horã cõtina successione cõiungitur, totius
vitæ nostræ cursus impletur. Nemo itaque semetipsum despi-
ciat (fratres mei) sed peccatũ, quia leue arbitratur esse dũ pen-
sat, graue videatur in eius aestimatione, cũ numerat. Quid enim
durius saxo? Quid aqua liquidus? Et tamẽ à quodã sapiẽte dici-
tur: Gutta cauat lapidẽ, cõsumitur annulus vsu. Nimirũ & om-
nis animæ nostræ fortitudo ac soliditas destruitur, si assiduis inũ-
datiũ & quodãmodo pluuiarũ verborũ fluxibus atteratur, quã-
uis & leuiter se peccasse quis asserat, cũ Apost. dicat. Qui legẽ
præterit Deũ in honorat. Porro ociosis verbis assuet^o, duplici pro-
cul dubio

De expositione Reg. circa exhort. 461


caudubio culpæ videtur obnoxius: quia diuinas laudes, ad quas humana cōditio assiduè prouocatur, abijcit, & superflua loquacitati, aqua prohibetur, insistit. Sicut de quibusdã Hieremias dicit. Duo malafecit Populus meus, me dereliquerunt fontē a quæ uiuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ cōtinere nō valēt aquas. Quæ nimirū Propheta verba etiã de ociosa loquētibus possunt nō incōueniēter intelligi: qui derelicto fonte aquæ uiuæ (hac est, postposito verbo vitæ) ora sua cisternas faciunt, ex quibus nō noui, sed veteris hominis verba proferunt: quæ admodū nō recētē de fonte, sed sentinosam potius aquã de cisterna proferunt & quia labia sua moderata discretionē reprimere nesciunt, cisternæ dissipatæ aquas nequeunt cōtinere. Notandū sane quia sicut auis ad uolās exponitur ramo cuiuslibet arboris, sic malignus spiritus plerūq; ueniēs incidit linguæ incōsideratē loquētis: & in ordinatā quid inde cursu sermonis per surreptionē suadet effluere unde post modū ueniēs (quasi cōgesta dimicandi materia) cor hominis valeat impugnare. Intra cōsciētia suã, fratres charissimi, unusquisq; redeat in se, culpã quã dicimus recognoscat. Sape nãq; aliquid loquimur negligēter, unde post modū ad silētij nostri custodiã redeūtes, tãtã ingruētũ cogitationũ molestiã patimur ut vix tolerare possimus. Et pœnitet quidē omnino, tã incautē noxia protulisse, sed remedium non occurrit: quia quod semel emissum uolat, non possumus reuocare. Unde Flaccus ait. Et semel emissum uolat irreuocabile uerbum. Oramus, psallimus: sed euellere de corde nostro infixum spinæ illius aculeum nō ualemus. Tūc ueteranus hostis, cū mētē nostrã in rãro uersari turbine cōspicit, uictor & insultās gaudet, se quasi fructus de suo labore colligere, quos in malè ueraci terra linguæ nostræ meminit seminasse. In quo uidelicet factō quid aliud quã Turdellã imitatur, quæ ex eo, quod digerit, moritur? Ex ei⁹ quippe stercore plãca nascitur, de cuius humore uiscus cōficitur, quo post modū & ipsa capiatur: atq; ex eo, quod prius fuerat cibus eius, agitur, ut & ipsa post modū sit cibus alienus. Ita ergo cū immū

da quæq; ac vana proferimus, quid aliud, quã lâqueos, nobismet
 ipsis loquẽdo cõpingimus; quibus ab astutis aucupibus (hoc est à
 malignis spiritibus) capiamur? Sæpè autẽ sermo noster nõ loquẽ
 ti, sed audiẽti pugnã generat, ita, vt cor eius in odiũ illius, qui cõ
 traria verba protulerat, vehemẽter accẽdat: etsi facultas adsit
 nõ tã verba verbis reddere, quã mala retributionis a cõtribus parat
 respõdere. Hac aut in ipsa verborũ cõfabulacione parui pẽdẽda
 nobis vidẽtur, & leuia: sed cũ ad orationũ secreta recurrimus,
 reducta protinus ad memoriã, dura prorsus & intolerabilia indi
 camus. Quapropter (dilectissimi fratres mei) studeamus nos me
 tipfos intra silẽtij claustra reprimere, & linguas nostras à va
 nis & inutilibus eloquijs cohibere. Anima nãque nostra super
 ni Regis est sponsa, cui, accepto pignore sancti spiritus, signaculo
 fidei est dotata. Maneat ergo in penetralibus virgo, nõ indecẽ
 ter in publicũ prodeat: nõ per oris limẽ egressa, in super vacua
 verba cũ secularibus inaniter se fundat, ne, cũ eã spõsus à mode
 stæ pudicitie sue gravitate deniare cõspexerit, quãdoq; obiurgãs
 dicat. O pulchra inter mulieres, egredere & abi post vestigia
 gregũ. Incubiculo ergo suo, virginali more resideat, oris ostium
 clausum teneat, & nõquã, nisi quæ ad expectadũ spõsi celestis
 aduẽtũ pertinet, loquutura procedat. Sub vmbra silẽtij repri
 mat se, ne decolor videatur, ab omni estu negotij secularis ab
 scõdat se, vt nõ immerito possit cãtare alacri voce, sub vmbra
 illius, quẽ desiderabã, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.
 Introduxit me in cellã vinariã: ordinavit in me charitatẽ. Solẽt
 aut spõse nobiliũ, diuersas pigmentorũ species mädẽdo per ora re
 uoluerẽ: vt adueniẽtib; pro eis flagrãtius valeãt ac suauius re
 dolere. Anima etiã nostra, cepas, allia, & quicquid terrenæ pru
 dẽtiæ ac ritudine feruet, prorsus abhorreat: casidã vero ajsidua
 orationis, sacclẽ sacræ lectõnis, Psalmodiarũ cinnamomũ, &
 cũctã odoramẽti spiritualis aromata iugiter fragrare cõtẽdat.
 Christus sit omne quod loquitur, omne quo delectatur, omne
 quod sapit, omne quod viuic. Christũ spiret, Christũ flagitet Chri
 stum

stū astuet, Christū ore pronūtiat, Christū assidua cordis meditatione per tractet. Hactenus Petrus Damianus & cæteri Patres qui tãtopere silētiū cōmēdāt: vt interim omittam (ne prolixior videar) Magnum Greg. qui in tractatu in quadragagesimi ieiunij silentium, optime grauiterque, vt solet, linguæ damna silentijque vtilitates descripsit.

Exhortatio Prioris ad Humilitatem.

T E X T V S.

 V autem frater Brocarde, & quicūque post te institutus fuerit Prior illud semper habeatis in mente, & obseruetis in opere, quod Dñs ait in Euangelio. Quicumque voluerit inter vos maior fieri, erit minister vester: & quicūq; voluerit inter vos primus esse erit vester seruus.

Glossa. IIII.

IN hac & sequēti exhortatione inuicē Priorē monet ad humilitatē, & fratres vt Priorē suū venerētur, honorēt, eiq; obediāt. Et sic duo hoc loco à Regula significātur. Primū Prælati erga subditos modestia, & humilitas. Secūdū subditorū erga Prælatū fidelitas, & obediētia. Circa primū D. Basilius in Regulis fusius explicat inter r. 30. Præfectūq; sic instituit *Præfectum*: (ait) ne elatū faciat dignitas, vt ne ipse à beatitudine humilitatis excidat, aut etiā elatus, in iudiciū incidat Diaboli. Verū illud credat quod pluriū cura, pluriū est ministeriū. Quē admodū igitur qui multis sauciatis ministrat, & singulorū vulnerū sanies detegit & auxilia iuxta subiecti mali proprietates adhibet, hoc ministerio nō elationis occasionē sumit, sed potius humilitatis, studij, ac sollicitudinis: sic multo amplius cui medela infirmitatū fraternitatis cōcredita est, velut omnium minister & pro omnibus rationē daturus, meditari ac sollicitus esse debet.

Basilius.

Augustinus. Hoc pacto recte assequitur scopū, velut Dñs dixit Luc. 22. Si quis vult inter vos esse primus, sit omnium vltimus, & omniū minister. Hæc Basil. D. Aug. in Reg. c. 43. sic de Prælatiſ scribit. Ipse verò, qui vobis præest, nõ se existimet, potestate, domi-
 nate sed charitate seruiente, felice. Honore corā vobis prælatus sit vobis: timore corā Deo substratus sit pedibus vestris. Circa omnes se ipsum bonorum operum præbeat exemplum: corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes. Disciplinam libens habeat, metuendus imponat: & quamuis vtrumque sit necessarium, tamen à vobis plus amari appetat, quàm timeri, semper cogitans, Deo pro vobis redditurum esse rationem. Vnde vos magis obediendo, non solum vestri, sed etiam ipsius misereamini, qui inter vos quanto in loco est superiori, tantò in periculo maiori versatur. D. Franciscus in sua Regula capit. 20. de Prælatorum humilitate ita docet.
D. Francisc. Fratres, qui sunt ministri & serui aliorū, fratres visitent & c. Et infra Ministri tantam familiaritatem habeant erga fratres, vt dicere possint eis & facere, sicut Domini seruis. Quia (vt ibi expositores, & præcipue Diuus Bonauentura adnotarunt) Prælati dicuntur ministri in spiritualibus, & serui in temporalibus. Et Hugo in eandem Regulam. In nomine Ministri (ait) humilitas, in nomine serui vtilitas ostenditur. Nam ministri debent esse serui, non Domini fratrum, ministerium quidem, non dominium habentes: quia vtilitate, & ministerio seruire, & ministrare debent. Et ideo Ministri & serui vocantur, Lucæ 22. Qui maior est vestrum, erit minister vester: nõ Prælati tam humilitate, quam vitæ imitatione, Christo debent esse conformes, qui Matth. 20. ait, Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.

(2.)

Exhor.

Exhortatio ad Fratres.

T E X T V S.



Os quoque (cæteri fratres) Priorem vestrũ honorate humiliter, Christũ potius cogitátes, quàm ipsum: qui posuit illum super capita vestra: & Ecclesiarum Præpositis ait. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Vt non veniatis in iudicium de contemptu, sed de obedientia mereamini vitæ æternę mercedem.

Augusti. in Regula. ca. 23. Benedictus in Regu. ca. 4. & optimè in 3. p. Regule societatis Iesu. c. 1. n. 23. & Reg. monachorum c. 1. & monacharũ ca. 6. & præcipue 8.

Glossa. V.

Hic iam subditos prouocat ad honorem debitũ Prælati exhibendum. Honoratur autẽ dupliciter Prælati à subditis. Primò, si eum ex corde & affectu diligant. Secundò, si eis reuerentiam & obedientiam præstent. Quæ duo tunc conuenienter fient, quando in Prælato potius Christi personam quàm hominis consideraerint: & sic tum de honore, tum etiam de obedientia mercedem habebunt.

Similem exhortationem in Regula Augustini inuenies, dum c. 23. inquit. *Præposito tanquam Patri obediatur, multo magis Presbytero, qui omnium vestrum curam gerit. Benedictus. c. 72. Deum timeant, Abbatem suum sincera & humili charitate diligant, Christo omnino nihil præponant. Hæc Benedictus.* Augustin.

In hac igitur vltima Regulæ parte Albertus hanc considerationem circa Prælatos, vt in ipsis Christum intueremur, tanquã potissimam atque præstantissimam, in hunc locum reiecit, vt firmiter nostris mētibus semper inhereret.



EPILOGVS

REGVLÆ.

TEXTVS.

Opera supererogationis sine consensu Prælati non esse faciēda, D. Basilius in breuioribus interrogatio. 138. Benedictus. c. 39. sue regu. Carthusien. 2. p. ca. 10. nu. 25. c. 28. c. cōstitutio Societatis.



HÆc breuiter scripsimus vobis, conuersationis vestræ formulam statuentes, secundum quam viuere debeatis. Siquis autem supererogauerit, ipse Dominus cum redierit reddet ei: vtatur tamen discretionē, quæ virtutum est moderatrix. Actum Lugduni, anno Domini Millefimo, Ducētesimo, Quadragesimo octauo, Domini Pape Innocētij. IIII. anno Quinto, Kalendis Septembris.

Glossa Vlti.

Breuē, compēdiosam tamē & vtilē viuendi normā nostra Regula continet: quia sæpè multis præceptis animus obrutus, oneri succūbit. Ita verò hæc breuis proficiendi formula nobis à Regula est præscripta, vt ipsa moneat, vltra præfixā metam progrediendū: & vnicuiq; facultatē supererogādi, præuia discretionē, cōcedat. Circā hanc tamen supererogationem, quā Regula hic Religiosis permittit, tria à nobis tractanda sunt. Primum est, Omnibus maxime curandū esse, aliqua supererogationis opera facere. Secundū, qua ratione hæc cū discretionē & obediētia faciēda sunt. Tertiū, quæ sint ea, quæ vltra præcepta Regulæ, nostra Religio suis constitutionibus adiecerit: ac supererogauerit.

D V B I V M I.

An omnes Christiani teneantur habere intentionem proficiendi in via virtutis, & Christiana perfectionis.



Vic dubitationi respondet Caietanus. 2.2. q. 186. artic. 2. supponendo, in hoc profectu tria posse considerari. Primum est, executio eorum, quæ utilia videntur ad proficiendū.

Caietanus.

Secundum, Intentio exequendi ea, quæ ad hunc profectum cōducunt. Tertium, contēptus proficiēdi.

Primo, constat, si de exequutione loquamur tam interioris, quā exterioris actus, in hoc vel in illo opere eā ommittere, nullum esse peccatū: vt si quis omittat exercitium actūū humilitatis, & alicuius operis Misericordiæ, quando nō currit præceptū. Et ratio huius est: quia nulla lex obligat ad tale bonū exercendum, vt supponitur: & sic nullum erit peccatum. Quare sufficit, quod quilibet Religiosus caueat offensam Dei in his, quæ sibi præcepta sunt: licet alia, quæ sunt supererogationis opera non faciat: Vt in simili proposito, de quolibet Christiano respectu mandatorum Dei, docet Gerson, 3. p. tractatu de perfectione cordis, Alphabetico. 68. Lit. F. G. & H. Nō peccat (inquit) si Christianus consilia nō adimpleat, si caueat offensam Dei, & gratias agat Deo eò quod noluerit hominem amplius obligare, quàm ad præcepta: & non languet circa ad impletionem præceptorum, sed diligenter, & strenuè & integrè ea exercet. Hæc ille. Et addit Gerson, quod aliquando Christianus aliquas faciat supererogationes: quia, (vt ipse ibidem notat, & Angestus in moralibus ca. 8.) licet nullus teneatur ad consilia, tamen vix cōtingere potest, vt homo præcepta debitè adimpleat, quin aliquando aliquid consilij supereroget: saltem quoad intentionem voluntatis. Quæ proportionaliter Religiosis applicanda sunt.

Gerson.

Impossibile enim (moraliter loquendo) videtur, quod si quis tantū ea, ad quæ tenetur, velit implere, ea debitè exequatur, quin aliquando deficiat & cadat: vt in proposito

Augustinus. *Optimè docuit Diuus Augustinus in sermone de verbis Apostoli. Semper (inquit) tibi displiceat quod es, si vis venire ad id quod non es: nam vbi tibi placuisti, ibi remansisti: si autem dixisti, sufficit, perijisti. Idem semper adde, semper ambula, semper profice: noli in via deficere, noli retroire, noli deuiare: remanet enim, qui non proficit.*

Bernardus. *Diuus Bernardus Epistola. 91. ad Abbates Suelesione congregatos, Aut ascendas (inquit) necesse est, aut descendas: si attentes stare, ruas necesse est. Minimè profectò est bonus, qui melior esse non curat: & vbi incipis nolle esse melior, ibi etiam desinis esse bonus. Et Epistola. 253. ad Abbatem Garinum. Vera virtus finem non habet, tempore non clauditur: nunquàm iustus arbitratur, se comprehendisse: nunquàm dicit, Satis est. Et infra. Quod si studere perfectioni, esse perfectum est, profectò nolle proficere, deficere est. Vbi ergo sunt qui dicere solent: sufficit nobis: nolumus esse meliores, quàm Patres nostri? O Monache, non vis proficere? Non. Vis ergo deficere? Nequaquã. Quid ergo? Sic mihi (inquis) Viuere volo, & remanere in quo perueni: nec peior fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non potest. Idem Bernardus infra. Hinc planè colligitur, quia nolle proficere, non nisi deficere est: inter profectum enim, & defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil medium inuenitur. Necesse enim est, spiritum aut proficere semper, aut deficere. Idem ferè Repetit Epistola. 341. quæ est ad Monachos Sancti Bertini. Frequens etiam est apud Bernardum & alios Patres hoc adagium, In via Dei nõ proficere, deficere est: vel, Non progredi, regredi est. Nam qui sic est cum Deo limitatus & parcus, vt ultra id, quod tenetur, nihil aliquando addat, etiam si id facile sit: vix rectè ea serua-bit, ad quæ tenetur. Nam tandem (Deo id permittente) occasione oblata ruet. Nam qui huiusmodi viuunt, non merentur à Deo abundantiora seu specialiora auxilia. De hoc latius videndus est Richardus de Sancto Victore, in Cantic.*

Richardus de Sancto Victore. *lib. 3. c. 9. & 11. & Cant. 4. c. 25. vbi multis rationibus, & similitudinibus probat, quod tenemur in melius proficere, vt perfectionem sequamur, & vt à peractò itinere non deficiamus. Prædicta autem intelligenda sunt, quando quis nõ facit actum positiuum non proficiendi, (de quo statim di-*

dicemus:) sed tantum dicit absolute: sufficiat mihi præcepta adimplere.

Quoad Secundū verò, in quantū respicit intentionē proficiendi, nēpè, quando quis habet animū & intentionē non proficiendi ampliùs; nec faciendi id, quod melius aut perfectius est, sed tantū proponit seruare mādāta, alia verò omnino, & positiuè nō vult seruare, nec vltra mādāta proficere: hunc quidē sine dubio peccare dicendū est: vt docet Calet. *Caletanus.* dicta. q. 186. art. 2. quia firmat animū contrā spiritualē profectum, &, quantum est de se, directè ponit obicem Spiritui Sancto & gratiæ Dei: quod est peccatum, & culpa. Verūm non est tam graue peccatum, sicut si hanc intētionem iuramento vel voto confirmaret: quia tunc propter maiorē animi firmitatem contrā gratiam, & propter maiorem irreuerentiam, quando fit ex voto vel iuramēto, est peccatū mortale: quod non contingit, quando solūm fit sine iuramento vel voto: quia solūm tunc est peccatum veniale, cū non transgrediatur aliquod præceptum, ad salutem necessariū. Et cum hac intentione saluari potest dilectio Dei super omnia: quamuis (vt supra diximus) hic status valdè periculosus sit. Quod confirmari potest ex testimonijs Sanctorum, nupèr adductis.

Ex his ergo inferitur, quod si exequutio vel intentio vltra progrediendi omittatur in hoc vel illo opere: non erit peccatū, & aliquando nec veniale. Si verò quis habeat intētionē seruandi ea, ad quæ sub præcepto tenetur, & ommittere alia bona supererogationis siue consilij, quæ conducunt ad spiritualem profectum: tūc ipse peccat venialiter, quia, quātum est de se, ponit obicem Spiritui Sancto. Hæc Caietani Doctrina, quæ his duabus propositionibus clauditur, communiter à Thomistis recepta est in dicto arti. 2. vt supra. Eā etiam tenet Corduba in Regulam Beati Francisci. c. 1. q. 3. vbi de Religiosis loquens, docet, eos peccare, si intendant nunquam proficere, seū non facere alia bona, neque alio modo meliora, quàm sua Regula vel constitutionibus taxantur. *Et peccabunt (inquit) eò grauius, quò magis eos decet intendere perfectioni, quàm alios Christianos.*

*Thomistæ.
Corduba.*

Quoad Tertiū verò attinet, dicendum est, quòd quādo

quis omittit alia opera supererogationis excontēptu, tunc mortaliter peccabit: quia contēnens consilia diuina, ipsum Deum contemnit. Interuenit autem huiusmodi contemptus, vt docet Caietanus vt supra, quando homo refugit subijci consilijs diuinis, vt consilijs: & profectui charitatis, vt profectui charitatis: vt perfectiori viā. Si quis autem spiritualcm profectum, & diuina consilia reueretur, sed, quia nō obligatur ad illa, & non sunt necessaria ad salutem, non vult illa amplecti, & nihil curat de illis, quantum ad suum profectum: talis verē non contemnit: & sic non peccat mortaliter, sed tantum venialiter, quia omittit (vt diximus) intentionem, & exequutionem sui profectus.

Ex his infero, quōd opera supererogationis licet absolute nullo modo sint sub praecepto: tamen contemptus eorū est sub praecepto. Deinde non habere contrariam intentionem ad illa, est sub praecepto: licet tantum obliget ad veniale. Quare Regula nostra meritō ad opera supererogationis nos inducit, cum ait, *Siquis autem supererogauerit &c.*

Secundo infero, esse maximē laudabile, alia opera ultra id, quod praecipitur, conari adimplere. Nam, cum omnes Religiosi teneantur ad perfectionem tendere, laudabile est, non solum media sibi ad hunc finem determinata, sed etiā alia plura exequi: vt facilius finem consequantur. Neque haec singularitas vitium reputari debet: quia tunc aliquis singularitatis vitio notaretur, cū media necessaria, & quae sub praecipito sunt omitteret; & alia supererogationis exequeretur: vel cum ista propter vanam gloriam, vt ipsum singulariter sanctum alij iudicent, faceret. Maximē vero laudabile est (vt admonet Casianus lib. 11. ca. vltimo) omni studio quidquid in conuersatione fratrum minimē communis vsus recepit, vt potē quod inani subiicitur gloriae, declinare: & ea, quae nos possunt inter ceteros notabiles reddere, quibusque nobis, quasi solis ea facientibus, laus apud homines sit comparanda, summo opere vitare. Quod in exteriori disciplina est intelligendum, quam

communem cum alijs serua-

re, laudabile

est.

D V B I V M I I.

An hoc, quod Regula monet de supererogationis operibus, intelligi debeat etiam sine Superioris licentia?



Ro affirmatiua parte huius dubitationis in primis vrget Regulæ textus expressus, qui nos ad hæc excitat opera: nec requirit Superiorum interuentum, ac facultatem. Igitur, illis profus nescientibus & ignorantibus, hæc laudabiliter fieri possunt. Secundo,

quia Deus nos hortatur ad bene operandum, secundum illud Ecclesia. 9. Quodcumque potest manus tua, instanter operare: sed ubi adest consilium Dei, frustra hominum expectatur beneplacitum. Ergo non est necesse, voluntatem Prælatorum præcedere ad huiusmodi opera. Et confirmatur ex authoritatibus D. Augustini, & D. Bernardi præcedenti dubio allatis: ubi docet, semper proficiendum & supererogandum: & nullam mentionem faciunt de licentia Prælati. Et similiter videtur pugnare pro hac sententia illud Pauli, *Nolite spiritum Dei extinguere &c.* Tertio. Quia Sanctorum vita nobis imitanda est: multos vero Sanctos in spiritualibus profecisse nouimus, & multa bona opera patrassent sine Prælatorum consilio, ut constat de multis Eremitis, qui solitariam vitam degentes, Prælatos minimè consulere potuerunt. Vltimò, quia id, quod est occasio alicuius vanæ gloriæ, oportet, nos sedulo fugere: sed adire frequenter Prælatum pro consilio vel licentia ad agendum aliquid supererogationis, occasio est inanis gloriæ & propriæ æstimationis, nam inimicus facile suggerit complacenciam de hoc, quod Prælati nos æstimet viros perfectos, & maioris profectus studiosos: ergo licitè hoc sapere absque Prælatorum interuentu fit.

Ecclesi. 9.

*Augusti.
Bernardus.*

Sit Prima propositio. Si Prælati præciperet absolute, ut nullus aliquod supererogationis opus faceret: ei non

esset obediendum. Hoc ex eo constat, quia illicitum præcipit, nam præcipit contra consiliū Dei, & contra spiritualē profectū, ob quod in animis subditorum obicē spiritui sancto ponit: & sic ei minimè esset in hac re parendum. Verū est tamen, quod si Prælati in aliquo particulari casu, & ob aliquam rationabilem causam, præciperet, nequis ultra id quod in communi fit, aliud supererogaret: tunc subditus obedire teneretur, quia licitè præcipit, & sic inobedientiæ culpam incurreret, qui contrarium ageret.

Dico Secūdo, si Prælati præciperet, vt nihil extraordinarie fieret sine eius licentia: tunc subditi tenentur obedire. Ratio est, quia Prælati, cū sit Dominus nostrarum actionum exteriorum, potest licitè prohibere, nequid fiat sine eius examine: quia ipse vult scire, in quibus, vel qualiter subditi exerceantur, quibus laboribus, & pœnitentijs onerentur, ne fortè errent, vel indiscretè succumbant, vel impotentes fiant ad alia onera communitatis, quæ ex præcepto tenentur adimplere. Et sic, cū in his iustè præcipiat, ei obedientia debetur: præcipue cum in hoc ipse non intendat spiritualē profectum impedire, sed tantū subditis providere, & cōsulere, vt pro viribus onus suscipiāt, vel ne ea aggrediantur, quæ potius eorū spiritui noxia, quàm vtilia esse possunt: quod facilè subditi, si proprio iudicio regantur, prævidere non possunt. Hęc conclusio magis ex sequenti constabit.

Sed dices. Prælati tantū est superior Religiosorum in his, quæ ad Regulam concernūt: sed hoc est supra Regulā: ergo in his nō valet sese intromittere. Respondeo, quod hęc etiam ad regulam suo modo pertinēt: nā Regula monet, vt fiant hęc opera: & ideò Prælati ea potest moderari, & examinare vt Superior. Secundo, (& hęc est ratio præcipua): quia omnia, quæ ad Regulæ adimplentiā reducuntur, potest Prælati licitè iubere, & præterea omnia impedimenta remouere. Quare hęc opera, de quibus loquimur, possunt reduci ad Regulæ obseruantiam, in quantum potest quis per hęc exteriora opera incapax fieri, vel minus habilis ad ea, quæ in Regula mādantur exequēda. Et sic Prælati potest illū ab his retrahere. Ob hanc enim rationē potest omnia subdito

ditorū vota irritare & annullare: & præcipuè ea, quæ de bono non præcepto neq; in lege Dei neque in Regula fiunt.

Quibus positis, solum est difficultas in eo casu, nempe, quando Prælatus non prohibuit absolutè huiusmodi opera fieri, nec præcipit, vt non fiant: sed merè negatiuè se habet. An tunc liberum sit & optimum, ea opera sine Prælati licentia facere; vel saltem æquè bonum ac si cum licentia fierent: vel denique non malum?

Dico Tertio, in hoc casu non esse peccatum, neq; inobedientiam, inconsulto Superiore similia opera facere. Patet. Nam hoc opus ex suo obiecto est bonum, nec vlla circumstantia viciatum, quia si aliqua vitiari posset, maximè in obedientia: sed supponimus, nullum esse Prælati mandatum: ergo hoc opus bonum, & meritorium erit. Imò, etiam si contrarium Prælatus præciperet; in Religionibus, vbi Prælatorum mandata non obligant ad culpam, nullum esset peccatum: vt alibi in tractatu de voto obedientiæ docuimus, quamuis magna esset imperfectio, & non modicum errandi periculum.

Dico Quarto, Periculosum valde est, & non ita meritorium, ista opera facere sine Prælati obedientia. Hoc dictum, in quo est tota huius difficultatis vis, fusè probandum est.

Et primò id expressè docet Diuus Benedictus in sua Regula. c. 49. vbi agens de Quadragesimæ tempore, sic ait. *Benedictus.*
Ergo his diebus augeamus nobis aliquid ad solitū pensum seruitutis nostræ, orationes peculiare, ciborū, & potus abstinentiā: & vnusquisq; supra mensuram sibi indiētam aliquid propria voluntate cum gaudio Sancti spiritus offerat Deo: & subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno, de loquacitate. &c. Hoc ipsum tamen (ait) quod vnusquisq; Deo offert, Abbati suo suggerat, & cū eius fiat oratione, & voluntate. Quia quod sine permissione Patris spiritualis fit, præsumptioni deputabitur, & vanæ gloriæ: non mercedi. Ergò cum voluntate Abbatis omnia agenda sunt. Hæc D. Benedictus: vbi nihil sine voluntate Abbatis, & eius oratione siue permissione, quæ hic pro expressa voluntate sumitur, vt ex præcedentibus & subsequētib; constat, faciendum esse decernit.

D. Basilius sermone. 5. exercitatio. Verà autē (alt) & perfecta obedientia subditorum erga Præfectum in hoc declaratur, ut non solum ab absurdis ex consensu Præfecti abstineat: sed neq; ea, quæ laudabilia sunt, citra illius consensum faciant. Et huius reddit rationem serm. 2. exercitationis, his verbis. Si itaque repereris per gratiam Dei bonorum operū Doctore: serua apud te ipsum, ut nihil præter sententiam ipsius facias. Quidquid enim extrà ipsum fit, furtum est & sacrilegium, ad mortem ducens, & non ad utilitatem: etiam si tibi bonum esse videatur. Si enim bonum est, cuius gratia occultè & non in propatulo fit? Interroga cogitationem tuam, per dexteram depradari te volentem; per bonas nimirum disciplinas, sinistras tibi actiones subornantem. Ne velis aggredi incantationem serpentis, cum inexpertus sis artis incantandi: ne fortè attractis serpentibus, ab ipsis implicèris. Deinde, Impotens ad resistendum ipsis existens, sine misericordia ab ipsis consumaris. Hæc ut supra Basilius. Et idem in Regulis breuioribus interrogatione. 138. aliam rationem huius conclusionis affert, dum inquit. Si verò quis se ampliori onere, quàm communi, opus habere putat, siue in ieiunio siue in vigilijs, siue in quacunque alia re: reuelet hanc rem his, quibus communis cura commissa est: ob quam (videlicet) causam, putat, se ampliori onere indigere: & quod ab ipsis approbatum fuerit, obseruet: sæpè enim alio potius modo, id, quod sufficiens est necessitati, fieri oportebit. Vbi Magnus Basilius etiam maiori onere, ac districtiori vita indigentibus non permittit, pro suo arbitrio suis humeris maiora, quàm communia, onera imponere: quia (ut ipse ait) fortè alia via huic necessitati occurrendum erit, quæ sufficiens sit: quod Prælati iudicio pensandum est.

D. Ioannes
Climacus.

Diuus Ioannes Climacus gradu. 25. Qui ductore caret, etiam si sapiens sit, sæpè tamen errat in via. Sic qui suam voluntatem ac iudicium in hac via spiritali sequi decernit,
licet

licet omnem omnium sapientiam solus obtineret, facile tamen in exitium animæ vnet. Optime quoque Diuus Bernardus, Bernardus. harum rerū peritissimus Magister, sermone. 77. in cātica, Quam multi (inquit) ex hoc arrepto tramite periculosissime aberrasse comperti sunt; nimirum ignorātes astutias Sathanae, & cogitationes ipsius, factum est, vt qui spiritu ceperant, carne consummarentur, abducti turpiter, lapsi damnabiliter. Seductori dat manum, qui dare dissimulat præceptori. Hæc Bernardus.

Cassianus collatione. 16. c. 11. Ipse Sathanas transfiguratur Cassianus. se in Angelum lucis, vt obscuram ac tetram caliginem sensuum pro vero lumine scientiæ fraudulenter effundat. Qui nisi humili & mansueto corde suscepti, mansuetissimi fratris vel probatissimi senioris referentur examini, & eorum iudicio diligenter excusati, aut abijciantur, aut recipiantur à nobis: sine dubio venerantes in cogitationibus nostris pro Angelo lucis Angelum tenebrarum, grauissimo feriemur interitu. Quam perniciem impossibile est euadere quenuquam, suo iudicio confidentem. Hoc ipsum, quod Cassianus, omnes etiam disciplinæ spiritualis authores vno ore tradiderunt.

Diuus Gregorius hanc etiam veritatē confirmat. Is enim D. Gregor. in lib. Regū c. 2. Melior est (inquit) obedientia, quā victima, & auscultare magis, quā offerre arietū aëipem: quia longe altioris est meriti, propriam voluntatem alienæ semper voluntati submittere, quā magnis ieiunijs corpus atterere, aut per compunctionem se in secretiori sacrificio mactare. Quid est adeps Arietum, nisi pinguis & interna deuotio? melior est tamen obedientia. Et, vt testimonijs Patrum finem imponam, accedat vltimo idem Gregorius, qui luculenter admodum hanc conclusionem corroborat. Is enim lib. 32. Idem. moralium. c. 17. Illum (ait) Sine dubio sublimioris discipulatus ordinem apprehendere; qui, relictis omnibus quæ exterius possederat, etiā internas voluntates frangere parat: vt se alcerius voluntatibus subdens, non solum prauis desiderijs, sed ad per.

perfectiōnis cumulum etiā in bonis votis sibi met renuntiet, & cuncta, quæ agenda sunt, ex alieno arbitrio obseruet. Hunc hostis callidus tantō molliùs alloquitur, quantō ab excellentiori deijcere ardentius conatur: moxque virulenta suggestione blādiens, dicit. O quanta per te metipsum miranda agere poteris, si nequaquam te iudicio alterius subdis. Cur profectum tuum sub studio meliorationis imminuis? Hæc blādiens insinuat: seorsum verò in voluntatibus eius proprijs, exercendæ superbiæ causas parat. Hactenus Gregorius. Ex cuius, & aliorum Patrum testimonio cōstat, quantō melius, quantō perfectius, quantō securius sit, omnem suum arbitrium relinquere, quàm id retinere, etiam bene vtendo: & quàm periculosum è contrario sit, proprio vti iudicio & regimine, & sine Præpositorum ductu & consilio, opera etiam bona aggredi.

Sed restat, vt id etiam rationibus ostendamus. Et prima, fit. Nam qui sine sui Rectoris siue Prælati consilio aliquid aggrediantur, sæpè in ipsis bonis operibus, quæ agunt, in oratione, in ieiunijs, vigilijs &c. ad minus possunt aliquid propriæ voluntatis, imò & multum immiscere. Quantum autem de propria voluntate inseritur; tantum de bonitate operis minuitur. Ergo multo melius erit, si hæc ex obedientia fiant.

Dices, te habere pro duce, Dei voluntatem, illiq; velle per similia opera placere. Sed huic obiectioni maximè aduersatur, quia voluntas Dei sæpè obscura est & incerta, & frequenter in ea percipienda plures errores, & variæ perplexitates oriri solent. Deindè, (quod etiam argumentum magnū est,) quod in ea conijcienda & interpretanda proprium sensum adhibes, ac proinde etiam aliquid tui iudicij. Melius autem est, ita vitam instituere, vt nihil penitus de tuo immisceas. Nā hæc est vera abnegatio, quam Dominus præcipit, vt nosmetipsos ita deseramus, vt nihil nostrum retineamus. Nec paruum superbiæ signū est, velle, te ipsum in dignoscenda Dei voluntate regere. Nam (vt rectè ait Diuus Ioannes Climacus, gradu. 25.) Humilis semper abominatur voluntatem suam, velut seductricem & errantem.

Climacus.

Et

Et quamuis omnes eius cogitationes & facta Diuinæ Regule congruentia sint: adhuc tamen non sequitur voluntatem suam, nec credit sensui suo. Nā (vt recte Diuus Augustinus. *Augustinus.* 14. de Ciuitate. c. 13. *Vbi dixisti, Meus sensus sufficit mihi: ibi defecisti, vbi tuo consilio placuisti.*

Et confirmatur: quia hunc esse Dei morem certò nobis constat, vt cum ipse per se vel per Angelos illuminare omnes posset, malit tamē, homines ab hominibus doceri: quod & propter mutuam charitatem aliquando fit: aliquando tamen, & sæpius, vt dum alter alteri subijcitur, humilitatem exerceat. Hoc Cassianus collatione. 2. c. 24. Samuelis exemplo demonstrat, quem Dominus suamet Doctrina erudire noluit, sed semel & iterū senē Heli voluit adire: & quem ad suum vocabat obsequiū, eius tamen, qui veluti ei superior erat, licet sanctitate inferior, institutione informari voluit. Actorum quoque 10. Cornelium ab Angelo alloquente, *Actor. 10.* ad Petrum pro Doctrinæ institutione remissum fuisse legimus. Et (quod magis est) ipsum Apostolū Paulum, quē Dominus tanti fecit, vt ipse nō per Angelos sed seipso eum vocaret act. 9. & quem vno verbo instruere poterat, ad Ananiam mittit: *Surge (inquiens) Et ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Quem locum Diuus Bernardus *Bernardus.* in sermone de conuersione Beati Pauli aptè Religioni applicat, quam Religiosi ingrediuntur, vt edocti per hominem, discant quæ sit voluntas Dei. Omnibus igitur tã perfectis, quàm imperfectis, tam doctis, quàm indoctis diuina prouidentia medijs alijs hominibus lumen impertiri solet.

Secundo eadem veritas efficaciter comprobatur: quia qui Prælati obedientiam ad similia opera prærequirit, si licentiam obtineat, iam exercet actum obedientiæ, & abnegationis proprii iudicij & voluntatis in hac re, & insuper præstat opus à se concupitum, & illius meritum consequitur: si verò à Prælato licentiam non obtinet, prædicta omnia etiam consequutus est. Nam in primis propriam voluntatem & iudicium in hac re depressit ac abnegauit, & præterea operis, quod nitebatur facere, merito minimè frustratur: cum voluntas apud Deum pro facto reputetur. Ille verò, qui non accersito Prælato, & absque eius licentia opus
quan-

quantumuis bonum præstat, tantum facit illum actum, qui in ipso bono opere exercetur, mercedem tamen obedientie non consequitur, imò se exercens in propria voluntate & iudicio, in ipso opere multum de merito amittit, & fortè, imò certius propriæ quæstioni intēdit. Quare ille loco mercedis ac retributionis, iudicium, & poenā subibit. Rectè igitur Bernar. Sermone. 71. in Cant. tractās illa verba Isai. 58. Quare ieiunauimus & nō aspexisti? humiliauimus animas nostras & nescijsti? Ecce in die ieiunii vestri inuenitur voluntas vestra &c. *Si in die (inquit) ieiunij mei inuenitur voluntas mea, non tale ieiunium elegit sponsus, nec sapit illi ieiunium meum, quod non liliū obedientiæ, sed propriæ voluntatis vitium sapit. Ego autem non solum de ieiunio, sed de silentio, de vigilijs, de oratione, de lectiōe, de opere manuū, postremò de omni obseruatione Monachi, vbi inuenitur voluntas sua in ea, & nō obedientia Magistri sui, id ipsum sentio, minimè prorsus obseruancias illas & si bonas in se, tamē inter lilia, id est, inter virtutes deputādas. Grāde malū propria voluntas, qua fit, vt bona tua tibi bona non sint: quia nihil omninò, quod propria inquinatum sit voluntate, gustabit is, qui pascitur inter lilia.*

Nec timendum est, quod Prælati nostrum desiderium & profectum impediant. Nam si hoc ad gloriam Dei tēdit, & ipsi Deo gratum existit, Deus Prælati cor facile inclinabit, vt facultatem ad tale desiderium exequendū tribuat, & sanctis in hac re intentionibus subditorum faueat, vt ex Sancta scriptura fecisse accepimus, cum Sāctus Daniel simul cū socijs suis abstinentiam seruare voluit: quia cum rogasset tunc Principem Eunuchorum, vt sibi ad hoc facultatem tribueret, (ait sacer textus,) *Dedit autē Deus Danieli gratiam & misericordiam in conspectu Principis Eunuchorum.*

Tertia ratio. Quia qui proprio nititur iudicio, sine Superioris facultate opus quantumuis bonum aggrediens, maximis se periculis exponit. Nā, vt Benedictus ait vt supra, vanæ gloriæ ei deputabitur & non mercedi: & Basilius facilegium reputat. Quæ occasionaliter sunt intelligenda & quasi initiatiuè: nempe, quòd his operibus absque obediētia peractis,

ractis, initiū vanæ gloriæ & infidelitatis circà Prælatum sumitur. Exponit se præterea varijs erroribus. Nā, vt ijdē Basilius, Bernardus, & Gregorius relati docēt, hoc serpens antiquus intēdit, vt per bona opera seducat subditos, vt seipfos regere velint, & sic eos à Prælatorū ductu, & prouidentia se paratos facillè seducat, & in varios trahat errores. Vnde D. Dorotheus Doctrina. 5. Omnes virorū spiritualium lapsus & interitus ad proprium iudiciū, quo seipfos discernere voluerunt, tanquā ad primariam radicem reducit. Et denique Cassianus collatione. 2. c. 11. *Nullò namq; (ait) vitio tam præcipitè Diabolus Monachum pertrahit, ac perducit ad mortem, quàm cum neglectis consilijs seniorum, in suo sibi iudicio persuaserit, ac diffinitione, Doctrina ve confidere.*

Basilius,
Bernardus.
& Gregor.
relati.

D. Dorothe.

Cassianus.

Dico Quinto. In nostra Regula nemini datur facultas supererogandi absq; Prælati consilio & obediētia. Hoc dictū in primis patet: quia nostra Regula intelligēda est secundū sanū sensum, & magis accomodatū ad spiritualē profectū: hic enim est finis Regulæ. Neq; quisquam sanæ mentis credere aut suspicari poterit, Regulā diuino spiritu dictante factam nobis indicare, aut præcipere viam, non quæ ad salutē, sed quæ ad interitū ducat. Eiusmodi verò esset hæc, si vnicuiq;, inconsulto superiore, liceret maiora onera vel alia à Regula sibi imponere. Constat enim ex dictis, quantum sit hoc detrimentum. Quare, quādo Regula monet, vnumquemq; in melius proficere & maiora his superaddere, intelligēda est cum Superioris licentia. Quod mihi ex eo probatur, quòd cū hæc sit cōmunis Sanctorū Patrum sententia; non est credendum, ab ea Regulam nostram voluisse discedere.

Secūdo probatur: quia Regula in hac parte non præcipit, sed potius inuitat, & monet ad supererogandū: hæc autē ad monitio siue consiliū non excludit obediētiā, aut Prælatorū discretionē. Nā similiter omnes sancti, quotquot in Ecclesia fuerunt, suadent hanc supererogationem & spiritua-lem profectum, vt ex præcedenti dubio latius constat. At, stante hoc Sanctorum consilio, sancti viri semper docuerunt, adhuc requiri Prælatorum obediētiā, vt prædicta supererogatio rectè & debitè fiat. Ergo nihil obstat Regulæ consiliū, quin in his operibus debeamus semper Præ-

Prælatum consulere. Et confirmatur: quia multa sunt bona opera supererogationis, vt sunt misericordię, & alia, quę si quis sine Prælati assensu præstare posset, facillè Religionis obseruantia destrueretur.

Tertio & vrgentius patet: quia, etiam si hoc esset præceptum Regulę, deberet intelligi cum debitis & necessarijs circumstantijs: quarum vna est, vt fiat cum debita discretione, quę in hac parte nihil aliud est, quàm vti Superiorum cōsilio & adiutorio. Omnis enim discretio in spirituali profectu, & potissimum in subditis in hoc sita est, vt alieno regantur arbitrio. Docet id Cassianus collat. 2. ca. 2. vbi ex sententia Diui Antonij, Omnes deceptiones & errores ex defectu discretionis originari, & ob huius defectum plures esse deceptos, neque in arrepta virtutis via perdurasse, demonstrat his verbis. *Quamobrem quid principaliter ducat ad Deum, manifestè poterimus agnoscere, si ruine ac deceptionis illorum causa diligenter fuerit à nobis indagata. Illis enim cum exuberarent prædictarum opera virtutum, discretio sola deficiens, vsque ad finem ea durare non fuit. Neque enim alia lapsus eorum causa deprehenditur, nisi quòd minus à senioribus instituti, nequaquã potuerunt rationē discretionis adipisci. Et. c. 5. dū de ruina Heronis senis agit, Nōne (inquit) quia minus discretionis virtute possessa, suis diffinitionibus regi, quàm institutis maiorum maluit obedire? Sed & clariùs, & apertius. c. 10. eiusdem collationis, Abbas Moyses prædictam veritatem ostendit. Vera (inquit) discretio non nisi vera humilitate acquiritur: cuius humilitatis hæc erit prima probatio, si vniuersa nō solum quę agenda sunt, sed etiam quę cogitantur, seniorum reseruentur examini: vt nihil quis suo iudicio credens, illorum per omnia diffinitionibus acquiescat, & quid bonum vel malum debeat iudicare, eorum traditione cognoscat. Quę institutio non solum per veram discretionis viam docebit incedere: verum etiam cunctis fraudibus & insidijs inimici seruabit illæsum. Nullatenus enim decipi poterit, quisquis non suo iudicio, sed Maiorum viuit exemplo. Hęc Cassianus. Et idem aptè c. 11. 16. & alijs eiusdem collationis, veram discretionem Monachi in hoc consistere sapiùs docet, vt neque agere quidquam, nec discernere absque Superiorum iudicio præsumat. Idem luculenter Bernardus serm. 3. de circūcisione, docet: vbi loquens de Religiosis, sic ait, Ergo ne incurrat*

Cassianus.

D. Antoni.

Abbas Moyses,
apud,
Cassianum.

Bernardus.

qui

qui currit, illuminari necesse est lumine discretionis, quæ mater virtutū est, & consummatio perfectionis. Hæc nimirum docet, Ne quid nimis. At verò, quia omnino rara ista avis est in terris, huius discretionis locū in vobis (fratres) suppleat virtus obedientiæ: vt nihil plus, nihil minus, nihil aliter, quàm imperatum sit, faciatis. Rectè igitur & congruè vbi nostra Regula monet, vt in supererogationibus discretionem vtamur, exponi debet, Discretione, id est, consilio & obedientia Prælatorum, siue seniorum.

Dixi, Seniorum: quia fortè aliquando continget, Prælatū ita esse timidum aut tepidum, vt nullam præbeat licentiam, nec similia opera ei multū placeant: & tunc eligendus est confessor, aut Pater spiritualis, vir pius & prudens; & eius consilij & diffinitionibus in omnibus stādum erit. Tutius tamen est, quando id commodè fieri potest, Prælatum adire, & eum consulere. Nam Prælati cum Deus subditorum regimen commiserit, ab illis præcipuè vult subditos gubernari.

Vnde ad primum argumentum in oppositum ex nuper dictis constat. Ad secundum, Quòd Deus nō solum mouet nos, vt recta operemur: sed vt rectè & debite ea operemur. Rectè autem operari, est, cum debitis circumstantijs opus perficere: quarum vna ex potissimis est discretio, quæ in eo consistit, vt subditi in omnibus Prælatorum consilio regantur. Ad confirmationem dicitur, sanctos exhortari nos ad proficiendum quolibet momento: iste autem profectus verè & propriè acquiritur per obedientiam: aliàs enim vertitur in defectū: neque per hanc spiritus Dei extinguitur, sed potius accenditur.

Ad Tertium Respondetur, omnes viros perfectos & sanctos semper hanc viam proficiendi obseruasse, vt constat ex Cassiano dicta collatio. 2. Eremitæ verò, qui hoc obediētæ præsidio destituti fuerunt, vel in initio suæ conuersionis aliorum Doctrina instituti sunt, vel si hoc caruere, semper animi præparationem habebant ad recipiendum aliorum consilium & instructionem, si adesset: & ob id à Deo illuminari meruerunt.

Cassianus.

Ad vltimum respōderi potest, omnia in hac vita mortali plena esse laqueis, & periculis. Quare illud eligendum est,

Hh

quod

quod minori periculo subest: minus autem periculum est vanæ gloriæ, quàm proprii iudicii & voluntatis. Nam per hoc ad innumera alia aditus patefit. Quare eligendum est magis, omnia cum obedientia agere, etiam si aliquo vanæ gloriæ periculo exponamur, quàm ex propria voluntate, & iudicio bonum quodcunque operari: quia hoc, vt ex dictis constat, periculosissimum est: Periculum verò vanæ gloriæ paulatim obedientiæ merito extinguitur.

D V B I V M Vlt.

*Quæ sint opera supererogationis, quæ nunc
in nostra Religione supra Regulam
observari præcipiuntur?*



Vum in Regula, vt præcipua media ad consequendam perfectionem, tam oratio & meditatio scripturarum continua, quàm alia arctioris vitæ documenta præscribatur, quæ magni satis ponderis videri poterant: Religio tamen nostra diuino consilio ac fauore excitata, & adhuc rigidioris ac districtioris vitæ zelo ducta, supra id, quod Regula præcipit, multa alia molesta & acerba corpori, mature supererogauit.

Circà primum, nempe, orationem mentalem, quæ in Regula diu ac noctu exerceri decernitur, cum nulla huic præcepto additio fieri posset, ad commodiorem tamen eius obseruantiam, duas integras ac determinatas orationis horas ab omnibus simul tenendas statuit: alteram primo mane, alteram verò vespere: in quibus omnes simul ad orationem in choro conuenire debent: quia, vt optime noster Vvaldens. de sacramentalibus titulo. i. c. 2. num. 11. ait, Oratio cõtina & sine intermissione, penitus extinguetur, nisi orationi certis horis, alijs curis & negotijs omisissis, studeamus.

Vvaldens.

Augustinus. Quod ex Augustino in Epistola ad Probam confirmat.

Et

Et nos D. Basilium in simili proposito loquentem inducimus, qui in Regulis fusi, interrogatione. 37. sic ait. *Nec verò quia omni tempore gratiarum actio & lege praecepta est, & nostra vita necessaria secundum naturam & rationem demonstrata est: negligere ob id oportet constituta orationibus in fraternitatibus tempora, quae necessaria delegimus, vno quoque propriam quandam recordationem bonorum à Deo habente. Diluculum quidem, vt primi motus animae ac mentis oblationes sint Dei, & nihil aliud curandum suscipiamus, prius quam notione de Deo delectati simus: velut scriptum est Psal. 76. Memor fui Dei, & delectatus sum. Neq; corpus moueamus ad operationem priusquam faciamus quod dictum est Psal. 5. Ad te orabo Domine, manè exaudies vocem meam: manè astabo tibi &c. & infra. Ceterum cōpleta die gratiarum actio fiat de his, quae in ipsa data sunt nobis, aut reite facta. Ecce apud Basilium rationem, ob quam, non obstantē communi de iugi oratione consilio, oportuit, certas horas designari: & vnā mane, alteram vespere opportunas censet.*

Determinata etiam sunt praedicta orationis tempora, & cautū, vt omnes simul ad orationē conueniāt, propter magnum emolumentum, quod ex multorum societate solet provenire. Nam Sacra scriptura diuinitus traditum est *Eccl. 4. Si dormierint duo, fouebuntur mutuo: vnus quomodo calefiet? Ad hoc igitur frigus repellendum, ac spiritum accidiae qui solitarie orantem saepe solet inuadere, propulsandum, nihil aptius quam vt duo foueantur mutuo: & quò plures fuerint, eò etiam magis calorem augeri, ac multiplicari necesse est. Sic enim videmus, viridem adhuc stipitem inter alios ardentes carbones eadem illorum flamma facile comburi. Sic prorsus nobis euenire solet: nam separatim orantes, frequentius languemus: alijs autem hominibus orationis ardore incensis permixti, illorum exercitijs nullo labore incalescimus: & ob eam causam, inter alias, communis est inter nos in duobus illis designatis temporibus oratio.*

Præterea orationem mentalem maximè iuuat vocalis (vt supra c. 7. de Horis canonicis monstrauimus): hæc autē in nobis ita exercetur, vt cum liberum esset in canendis Horis, suauiore concenitum eligere; sine modulatione tamen aliqua simplicissimus quidam psallendi modus institutus

fit: quod & orationi, & pœnitentium statui maximè congruebat, vt supra. c. 7. ex Augustino tradidimus. Et tandem quotidianum examen ab omnibus, in choro conuenientibus, antè meridianum prandium faciendum in nostris constitutionibus statuitur: quod itidem orationis feruorem, ne extingatur, maximè iuuare solet.

Ad secundum verò, quod carnis castigationem ac vitæ asperitatem respicit, reduci possunt ea omnia, quæ molesta & acerba tam in cibo & vestitu, quàm in reliquo victu in cōstitutionibus decernuntur. Hęc enim omnia ad iugem, atq; ininterruptam orationis perseuerantiã tendunt, & ad perpetuam mentis ducunt puritatem: quod latius præfati sumus dubio tertio, nostrarum præfationum.

In primis igitur, nudis pedibus nostri ordinis professores incedere debent, ita tamen, vt sandalijs ex canabe vel sparto confectis, vti liceat. Ac proindè calligæ, nisi necessitate itineris vel infirmitatis, ferri prohibētur. Præterea corporis indumenta, siuè Religiosorum vestes fieri debent ex iargia, quæ Hispanè dicitur, *Sayal*, o, *Xerga*, coloris grissei: & hæc stricta esse debere decernitur. Neque vlli permissum est, alias vestes ferre, aut possidere, præter habitum, & exteriorē tunicam, & interiorē ex stamētia confectam.

Ad dormiēdam insuper nulla ratione culcitrīs vti licet, sed omnes pro stramentis, corticibus arborum vel tabulis cum copertorijs simplicibus vel duplicibus vtuntur. Vltrà quæ, ad maiorem corporis castigationem, omnibus annidiebus alternatiuè (excepta die Dominica) omnes in communi disciplinā accipiunt, quæ durat quandiū cum cātū dicitur Psalmus, *Miserere mei*, cum Antiphona, *Christus factus est pro nobis &c.* & tribus orationibus, nempe, *Protege Domine famulos tuos.* secunda pro Ecclesia: & tertia tandem pro Rege, scilicet, *Quæsumus omnipotens Deus, vt Rex noster Philippus.* Quæ disciplina communis ita inuiolabiliter accipitur, vt vix prima die Paschæ intermittatur. Quibus addo id, quod quotidie in Refectorio post cœnam vel collationem omni tempore fit, tum, vt, zelator aliorum culpas Prælato referat; tum, vt etiam ipsi fratres, nemine compellente, suas (etiã

secre-

secretas) confiteantur: vbi etiam pro earum castigatione frequenter à Præsidente publica vapulant disciplina.

Constitutionibus etiam nostris districtè cauetur, ne quis in cella sua aliquid particulare, præter id, quod omnibus cõcessum est, habeat: & sic nec vnum quidem pomum etiam Prælato in cella reseruare, sine magna pœna licet. Cellulæ etiam supellex simplex & pauper omnibus tribuitur: ita, vt præter lectulum & aliquos libros, quos à libraria communi mendicatos habere solent, qui studijs vacant, & vnam vel alteram imaginem, nulla alia vtensilia inueniantur. Nec non in communis, præter paupertatem, quam regula præcipit, ijs etiam, quæ licite habere permissum erat, vt sunt capellanix, & alij ex alijs causis redditus, Religio omninò renūciauit. Et insuper humiles domus, & vtensilia vilia possidentur, quæ æquè omnibus sunt communia. Adhuc autè in Refectorio mappæ omninò prohibitæ sunt: vbi communis mēsa sternitur tam Priori Generali, quàm alijs, & æquales pictantiæ omnibus distribuuntur: neque in hac parte in æqualitas aliqua permittitur, nisi pro euidenti necessitate. Omnes etiam ad communia officia Monasterij, nullo excepto, nisi quem necessitas eximit, per septimanam deputantur tam Prælati quàm subditi.

Denique cum Regula tantum præcipiat, ab Exaltatione Sanctæ Crucis vsque ad Dominicam Resurrectionis ieiunare: Religio, præter ieiunia in alijs temporibus ab Ecclesia instituta, in omnibus vigilijs B. Mariæ Virginis, in vigilia corporis Christi, & tribus diebus Rogationum, & in omnibus Ferijs sextis per annum adiecit.

Nec illud est omittendum, quanto cum rigore in esu carniū procedatur: quanta districtione silentium suis temporibus, & locis obseruetur: quanta cura peculiare inter Religiosos confabulationes etiam alijs temporibus caueantur: & in super, quàm difficiliter sæcularibus aditus ad alloquendos Religiosos patefiat, ita, vt sine licentia, (neque omnes tamen, sed quos Prælatus expedire viderit) ad eorum colloquutionem minimè admittantur. Ob quam causam maxime Nauarrus in consilijs conitio decimo de Regularibus, ordinem Chartusiens. commendat.

Hæc sunt, quæ constitutiones nostræ supra id quod Regula continet, in asperitate vitæ & alijs supererogauerunt. Omitto nanc strictum obedientiæ vinculum, sine qua nec bibere vtique licet: paupertatis arctissimam professionem, & alia asperiora exercitia, & Religiosas functiones, quæ vt in plurimum duriores, ac sensui repugnantes sunt.

Chrysofom.

Aptè ergo Chrysofomus in Timoth. Homil. 14. de monasterijs loquutus est, dicens: *Verè domus luctus sunt Monasteria, vbi fæccus, cinis, solitudo, ieiunium, terræ accubatio: vbi nullus risus, nec sæcularium rerum turba: omnia pura à nidore, sanguine, tumultu, turbatione, &c.* Et cū idem in hoc statu tam plura aspera ac acerba conspiceret, vniuersos Religiosos (meritò) crucifixos appellandos censuit. Nec tamē nos tãta vitæ arctitudo deterreat, aut frangat. In hac enim cruce, in hac solitudine, in hoc viuendi modo, licet in specie aspero & odioso, quæ solatia, quæ ve gaudia inueniantur, solus nouit, qui ipsa accipit. Nam vt Israelitis olim, cum siti laborarent, siliices ipsi aquas concedebant, & si aliquando amariores aquæ occurrerent, ligno statim immisso reddebantur dulces: sic in isto arctissimo vitæ instituto, licet interdum intuentibus aliqua ita grauia appareant, vt solo aspectu deterreant: eadem tamen (cū in rem ventum fuerit) non minus quam dulces aquæ delectant: fitq; diuina prouidentia, vt aqua de petra, oleumque de saxo durissimo educatur. Accedit præterea diuina gratia, quæ iugum hoc à facie olei, quod ab ea dimanat, facit computrescere. Neq; hic tamen finis. Nam dum spes illius vitæ & mercedis æternæ, quam sibi quisque proponit, attenditur; necesse est, vt id sentiamus, quod Sanctus Bernardus, qui omnes has corporis molestias & vitæ asperitates semini comparat, in quo iaciendo etiam si damnum aliquod sequi videatur, insipiens tamen esset, qui eius damni metu seminare desineret, cum multò maius sit lucrum, quod percipitur. Eius verba referam. Ait enim in Psalmo Qui habitat sermone. 10. *Quomodo dicunt nobis carnales? Crudelis est vita vestra: non parcitis*

Bernardus. Carni vestræ. Esto, non parcimus semini, in quo ei magis parcere poteramus. An non melius est, illud renouari & multi-

plica-

*plicari in agro, quàm in horreo putrefieri? sic vos parcitis carni vestræ. Simus nos crudeles interim non parcendo: at vos planè parcendo crudeliores, siquidem etiam nunc caro nostra requiescit in spe. Hæc Bernardus. Cui optimè Augustinus de *Augusti.* verbis Domini sermone. 9. subscripsit. Quàm facile (inquit) toleratur qualibet aduersitas temporalis, vt æterna pœna vitetur, æterna requies comparetur. Hactenus Augustinus. Restat enim post hanc vitam illa vitæ & illa merces, quam oculus non vidit, & quæ in cor hominis non ascendit: & tunc dabitur nobis pro cinere corona: oleum gaudij pro luctu: pallium gaudij pro spiritu mœceris, vt Esaias c. 6. præ *Esaiæ. c. 6.* dixit. Et insuper cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto perfruemur æterna gloria.*

F I N I S.

SALMANTICÆ

Excudebat Ioannes Ferdinandus.

M. D. X C. I X.

INDEX CAPITVM, ET DVBIORVM huius libri.

PRIMA PARS.



Ap. Primum, Quibus Regulis ordo Carmelitarum tempore legis veteris, & Prophetarum vixerit, quisue fuerit huius ordinis author? p. 2.

§. 1. De Elia ordinis Carmelitarum authore. p. 2

§. 2. Regulæ, diuinæq; institutiones à Carmelitis tempore Eliæ & Prophetarū, vsque ad tempora Ioannis. 44. Patriarchæ seruata. p. 25.

Cap. 2. De Regula, sub qua Carmelitæ vixerunt ab anno Incarnationis. 400. vsque ad annum. 1171. p. 33.

Diui Ioannis Hierosolymitani Patriarchæ liber de institutione primorum monachorum, in lege veteri exortorum, & in noua perseverantium. p. 41.

Cap. 1. De Eliæ parentibus, ortu, patria, & de loco, vbi primò fuerit conuersatus. p. 42.

Cap. 2. De recessu Eliæ in eremum, & de duplici fine vitæ eremiticæ, & de renunciatione rerū transeuntium. p. 43.

Cap. 3. De primo gradu professionis monasticæ, nempe, de abrenunciatione diuitiarum, & de recessu à patria, & cognatione propria. p. 45.

Cap. 4. De abrenunciatione propriæ voluntatis, & de coercendis carnis desiderijs. p. 47.

Cap. 5. De tertio gradu professionis monasticæ, scilicet, de castitate, & de solitudine à monacho amplectenda. p. 49.

I N D E X.

- Cap. 6. De perfecta charitate, & fuga vitiorum. p. 51.
- Cap. 7. Ad perfectionem charitatis monachis maximè conducere paupertatem, castitatem, obedientiam, & eremi solitudinem, aliaque vitare, quæ charitatis ardorem remittunt. p. 55.
- Cap. 8. De remedijs ad perseuerandum humiliter in perfectione vitæ eremiticæ. p. 59.
- Cap. 9. Eliam Prophetam per abrenuntiationem diuitiarum, castitatis puritatem, & voluntatis proprię negationem, ad perfectionem vitæ eremiticæ peruenisse. p. 62.
- Cap. 10. Eliam in torrente Carith cæpisse suos discipulos, nempe, filios Prophetarum, ad vitam monasticam erudire, & quare appellati sint Prophetæ? p. 66.
- Cap. 11. Quo tempore Elias in monte Carmeli prima professionis monasticæ fundamenta iecerit: & quare eius discipuli fuerint filij Prophetarum nuncupati? p. 70.
- Cap. 12. De discipulis Eliæ, & primò de Iona Prophetâ. p. 71.
- Cap. 13. De vocatione Prophetæ Elisei, præcipui Eliæ discipuli. p. 72.
- Cap. 14. De Michæa Propheta, discipulo Eliæ. p. 73.
- Cap. 15. De Abdia Propheta, discipulo Eliæ. p. 74.
- Cap. 16. Eliam tam factis, quam verbis exemplar monasticæ vitæ se discipulis suis præbuisse, ab ipsoque omnem monasticam perfectionem dimanasse. p. 75.
- Cap. 17. Redditur ratio, cur monachi Eliæ successores dicantur Carmelitæ potius, quam Charitæ? pagina. 77.
- Cap. 18. Dominus apparet Eliæ in monte Oreb, & præcipit, vt reuertatur in terram Israël. p. 79.
- Cap. 19. Elias elegit montem Carmeli, præ alijs, ad iugem sui & discipulorum habitationem: vbi in com-

I N D E X:

- munī oratorio ad diuinas laudes decantandas ipse
& Prophetarum filij conueniebant. p. 82.
- Cap. 20. Quibus de causis Elias montem Carmeli præ
alijs elegerit? p. 83.
- Cap. 21. Quòd multi huius Religionis Patres, tam ve-
teris, quàm nouæ legis sint iugiter conuersati mo-
nasticè in monte Carmeli ad Eliæ imitationem,
seruantes iustitiam, cellæ clausuram, & silentium.
p. 85.
- Cap. 22. Qua ratione Elias & Eliseus habuerint cu-
neos filiorum Prophetarum in ciuitatibus, qui post
prima rudimenta vitæ monasticæ, ad eremiticæ vitæ
professionem ascendebant. p. 87.
- Cap. 23. De Raptu Eliæ, & de successione Elisei in spiri-
tu prophetiæ, & in prælaturæ officio. 89.
- Cap. 24. Eliseus Propheta uisitat conuentus Prophe-
tarum, & mortuum ad vitam reuocat. p. 92.
- Cap. 25. Rechabitas institutos fuisse ab Eliseo in mo-
nastica disciplina, & de quibusdam miraculis Elisei.
p. 94.
- Cap. 26. Monachos Carmelitas à captiuitatibus Iu-
daici populi misericordia diuina fuisse liberatos.
p. 96.
- Cap. 27. Rechabitas non fuisse cum reliquo Iudæorum
populo in Babylonem translatos. p. 98.
- Cap. 28. Monachi Carmelitæ Christiani eiusdem Re-
ligionis sunt cum monachis in veteri lege ab Elia in
Carmelo institutis. p. 100.
- Cap. 29. Ioannes Baptista uerus Eliæ imitator. Ab ipso
filij Prophetarum, Eliæ successores, fuerunt baptiza-
ti, & ad Christi fidem suscipiendam instructi. p. 102.
- Cap. 30. Carmelitæ Hierosolymis, post Ascensionem
Christi, ad fidem sunt conuersi, & baptismo Christi
baptizati. 105.
- Cap. 31. Carmelitæ, uisis Apostolorum miraculis, infide

I N D E X.

- magis sunt solidati, factique Apostolorum coadiutores. p. 108.
- Cap. 32. Carmelitæ lumine Euangelij eruditi, myſteria quondam ab Elia Propheta reuelata clariùs intuentur. p. 110.
- Cap. 33. Quid Deus Eliæ demonſtrauerit in viſione nubeculæ paruæ: explicaturque hæc viſio in allegorico ſenſu. p. 112.
- Cap. 34. In quo proſequitur viſionem prædictam, applicans eam Beatæ Virgini. p. 114.
- Cap. 35. Explicatur amplius prædicta viſio Eliæ. p. 116.
- Cap. 36. Cauſæ, ob quas Carmelitæ dicti ſint fratres B. Virginis Mariæ: & de oratorio ab eis in monte Carmeli in laudem Virginis erecto. p. 118.
- Cap. 37. De habitu monachorum Carmelitarum: & primò de Zona, & de eius ſignificatione, p. 120.
- Cap. 38. De Melote, quæ à profeſſoribus huius Religionis olim geſtabatur: & de huius habitus ſignificatione. p. 121.
- Cap. 39. De ſuperhumerali, ſiue (vt alij vocant) ſcapulari, & de eius ſignificatione. p. 123.
- Cap. 40. De pallio albo ad imitationem Eliæ ferendo, & de illius ſignificatione. p. 124.
- Cap. 41. De baculo, & ſpiritali eius ſignificatione. p. 125
- Hætenùs capita libri inſtitutionum Ioannis, qui totus in prædicta capita diſtributus inſertus eſt his commentarijs ſub capite. 2. huius primæ partis, in cuius continuationem ſequitur vltimum ipſius partis caput.
- Cap. 3. De Regula primitiua ab Alberto Carmelitis tradita. p. 128.
- Regula primitiua, prout primò ab Alberto fuit Carmelitis tradita. p. 129.
- Regula ipſa primitiua, prout ab Innocentio. 4. fuit declarata. p. 136.

I N D E X.

Regula ipsa, prout fuit ab Euge. 4. mitigata. p. 147

S E C U N D A P A R S.

¶ Dubium Primum, De etymologia huius nominis (Regula) & de diffinitione nostræ Regulæ. p. 153.

Dub. 2. circa illa verba, *Fratrū B. Mariæ de monte Carmelo.* Vbi differitur, quare Religio Carmelitarum titulo B. Mariæ Virg. insigniatur? p. 156.

Dub. 3. De Regulæ, quam primitiuam vocant, autore, tempore, & confirmatione. p. 164.

Dub. 4. Qualis sit finis, siue scopus huius Regulæ ac ex consequenti nostræ Religionis? p. 173.

Dub. 5. Ad quam ex quatuor Regulis, hæc Alberti Regula reducatur. p. 185.

Dub. 6. De perfectione Regulæ Alberti, nostræque Religionis. p. 192.

Dub. 7. De obligatione Regulæ: an, scilicet, obliget ad mortale, an verò ad veniale peccatum, siue potius ad nullum? p. 203.

Hoc. 7. Dubium habet duas partes.

In prima parte queritur, penes quid dignosci debeat, an lex sit præceptiua, & obligans in consciencia? p. 204.

In secunda parte, queritur specialiter, De obligatione nostræ Regulæ. p. 216.

T E R T I A P A R S.

¶ Cap. 1. De Electione Prioris Glossa. 1. p. 227.

Cap. 2. De receptione locorum. Glossa. 2. p. 234.

Cap. 3. De cellis fratrum. Glossa. 3. p. 244.

Cap. 4. De communi Refectione. Glossa. 4. p. 248.

Cap. 5. De situ cellulæ Prioris, & de eius gubernatione circa res monasterij. Glossa. 5. p. 261.

Cap. 6. De mansione in cellulis, & de iugi, ac continua oratione. Glossa. 6. p. 268.

Hoc. 6. caput duas continet partes.

Dubiola quedã alia per totã tractationem sparsa, in quibus rãda sunt in Indice rerũ infra, verbo, (Dubium.)

Explicatio singularum partium cuiusq; capituli, in quibus est in Indice rerũ infra,

I N D E X.

magis sunt solidati, factique Apostolorum coadiutores. p. 108.

Cap. 32. Carmelitæ lumine Euangelij eruditi, mysteria quondam ab Elia Propheta reuelata clariùs intuentur. p. 110.

Cap. 33. Quid Deus Eliæ demonstraerit in visione nubeculæ paruæ: explicaturque hæc visio in allegorico sensu. p. 112.

Cap. 34. In quo prosequitur visionem prædictam, applicans eam Beatæ Virgini. p. 114.

Cap. 35. Explicatur amplius prædicta visio Eliæ. p. 116.

Cap. 36. Causæ, ob quas Carmelitæ dicti sint fratres B. Virginis Mariæ: & de oratorio ab eis in monte Carmeli in laudem Virginis erecto. p. 118.

Cap. 37. De habitu monachorum Carmelitarum: & primò de Zona, & de eius significatione. p. 120.

Cap. 38. De Melote, quæ à professoribus huius Religionis olim gestabatur: & de huius habitus significatione. p. 121.

Cap. 39. De superhumerali, siue (vt alij vocant) scapulari, & de eius significatione. p. 123.

Cap. 40. De pallio albo ad imitationem Eliæ ferendo, & de illius significatione. p. 124.

Cap. 41. De baculo, & spiritali eius significatione. p. 125

Hactenus capita libri institutionum Ioannis, qui totus in prædicta capita distributus insertus est his commentarijs sub capite. 2. huius primæ partis, in cuius continuationem sequitur vltimum ipsius partis caput.

Cap. 3. De Regula primitiua ab Alberto Carmelitis tradita. p. 128.

Regula primitiua, prout primò ab Alberto fuit Carmelitis tradita. p. 129.

Regula ipsa primitiua, prout ab Innocentio. 4. fuit declarata. p. 136.

I N D E X.

Regula ipsa, prout fuit ab Euge. 4. mitigata. p. 147

S E C U N D A P A R S.

¶ Dubium Primum, De etymologia huius nominis (Regula) & de diffinitione nostræ Regulæ. p. 153.

Dub. 2. circa illa verba, *Fratrū B. Mariæ de monte Carmelo.* Vbi differitur, quare Religio Carmelitarum titulo B. Mariæ Virg. insigniatur? p. 156.

Dub. 3. De Regulæ, quam primitiuam vocant, autore, tempore, & confirmatione. p. 164.

Dub. 4. Qualis sit finis, siue scopus huius Regulæ ac ex consequenti nostræ Religionis? p. 173.

Dub. 5. Ad quam ex quatuor Regulis, hæc Alberti Regula reducat. p. 185.

Dub. 6. De perfectione Regulæ Alberti, nostræque Religionis. p. 192.

Dub. 7. De obligatione Regulæ: an, scilicet, obliget ad mortale, an verò ad veniale peccatum, siue potius ad nullum? p. 203.

Hoc. 7. Dubium habet duas partes.

In prima parte queritur, penes quid dignosci debeat, an lex sit præceptiua, & obligans in consciencia? p. 204.

In secunda parte, queritur specialiter, De obligatione nostræ Regulæ. p. 216.

T E R T I A P A R S.

¶ Cap. 1. De Electione Prioris Glossa. 1. p. 227.

Cap. 2. De receptione locorum. Glossa. 2. p. 234.

Cap. 3. De cellis fratrum. Glossa. 3. p. 244.

Cap. 4. De communi Refectione. Glossa. 4. p. 248.

Cap. 5. De situ cellulæ Prioris, & de eius gubernatione circa res monasterij. Glossa. 5. p. 261.

Cap. 6. De mansione in cellulis, & de iugi, ac continua oratione. Glossa. 6. p. 268.

Hoc. 6. caput duas continet partes.

Dubiola quædã alia per totã translationem sparsa, in quibus rãda sunt in Indice rerũ infra, verbo, (Dubium.)

Explicatio singularum partium cuiusq; capituli, in quibus inquirenda est in Indice rerũ infra, verbo, (Explicatio.)

PRIMA PARS CAPITIS.

¶ Dubiū. 1. Circa illa verba, *Die ac nocte*. p. 269.

Dubium. 2. circa illa verba *Iuxta eas*. p. 270.

Dub. 3. Quæ sit ratio, cur in nostra Regula ita stri-
ctè cellulæ custodia præcipiatur? p. 273.

SECUNDA PARS CAPITIS.

¶ Dubium. 1. Quid significetur his verbis, *In le-
ge Domini meditantes, & in orationibus vigilantes*.
p. 278.

Dub. 2. An sit possibile id, quod Regula præcipit,
vt die ac nocte in lege Domini meditemur, ac
in orationibus vigilemus. p. 182.

Dub. 3. Quæ sint, ad quæ quis teneatur, vt huic
Regulæ præcepto satisfaciatur. p. 288.

Cap. 7. De horis Canonicis. Glossa. 7. p. 292.

Dub. 1. Qualiter à Regula fratres professi obligē-
tur ad officium diuinum? p. 294.

Dub. 2. Quid intelligat Regula per constitutio-
nem Sanctorum Patrum, & consuetudinem
Ecclesiæ approbatam? p. 302.

Dub. 3. An festa omnia Sanctorum, ac aliæ solem-
nitates, quæ olim in Breuiario Carmelitano
recitabantur, debeant etiam in Romano reci-
tari? p. 306.

Dub. 4. An post Breuiarij Romani vsu, in ordi-
ne dici debeat officium B. Virginis, sicut in
Carmelitano consueuerat. p. 318.

Cap. 8. De abdicatione proprietatis Glossa. 8. p. 324.

Dub. 1. An illa verba, *Nullus fratrum aliquid sibi pro-
prium &c.* Intelligantur de paupertate in par-
ticulari? p. 329.

Dub. 2. In quo consistat ratio vitæ communis, ac
de eius vtilitatibus. p. 332.

Dub.

I N D E X.

Dub. 3. Quibus, & à quo bonorum communiū distributio facienda sit. p. 338.

Dub. 4. Qualiter fieri debeat dispensatio à Prælato, vel à fratre ab eo designato, in spectis ætatis & necessitatibus. p. 343.

Dub. 5. De infirmorum necessitatibus, ac de eorū cura à Prælati sollicitè procuranda. p. 348.

Dub. 6. An nostra Religio, & Regula habeat paupertatem in communi, & vna sit ex Mendicantibus? p. 356.

Cap. 9. De oratorio, & cultu diuino. Glossa. 9. p. 359.

Cap. 10. De capitulo, & correctione fratrum Glossa. 10. p. 361.

Dub. 1. De his, quæ tam secundum ius, quàm secundum nostram Regulam in capitulo conuēntuali fieri debent. p. 362.

Dub. 2. De quibus culpis in capitulo conuentuali fieri debeant accusationes? p. 368.

Dub. 3. Qualiter se debeat habere Prælati in correctione culparum. p. 372.

Cap. 11. De ieiunio, Glossa. 11. p. 384.

Dub. 1. An ipso die Exaltationis Sanctæ Crucis ieiunandum sit. p. 384.

Dub. 2. An singulis diebus ieiunandum sit? p. 385.

Dub. 3. Vtrum ad ieiunia ordinis eadem conditiones requisitæ sint, quæ ad ieiunia Ecclesiastica sunt necessariæ? p. 390.

Dub. 4. Quæ sint causæ, quæ excusent ab adimplitione ieiunij? p. 394.

Cap. 12. De abstinentia Carnium. Glossa. 12. p. 397.

Dub. 1. Quare, quum vsus carniū ex se bonus & licitus sit, nobis à Regula interdicitur? p. 398.

Dub. 2. Quæ sint, quæ comprehenduntur nomine carniū? p. 408.

Dub.

I N D E X.

Dub. 3. Quibus ex causis carnibus vesci liceat?
Vbi, qui sint dicendi infirmi ac debiles, explicatur. p. 412.

Dub. 4. An possit dari aliquis casus, in quo, si quis carnibus sine necessitate vtatur, peccet mortaliter? p. 419.

Q V A R T A P A R S.

¶ Textus Primus, De spiritualibus armis. p. 423. Glos. 1.

Textus. 2. De labore manuum. p. 426. Glossa. 2.

Dub. 1. Aquo tempore in Religionibus corporales labores fuerint in vsu? p. 427.

Dub. 2. Ad quem finem labor manuum in Religionibus commendetur? p. 430.

Dub. 3. Quæ sint, quæ sub labore manuum comprehenduntur, & de laboribus, qui maximè Religiosis conueniunt. p. 434.

Dub. 4. Quomodo sit laborandum, vt laboris fructibus non frustremur? p. 437.

Dub. 5. Qui sint, qui in Religionibus manibus laborare teneantur. p. 439.

Textus. 3. De silentio fratrum. Glossa. 3. p. 444.

Textus. 4. Exhortatio ad Priorem, Glossa. 4. p. 463.

Textus. 5. Exhortatio ad fratres. Glossa. 5. p. 465.

E P I L O G V S R E G V L Æ.

¶ Dubium Primum, An omnes Christiani teneantur habere intentionem proficiendi in via virtutis, & Christianæ perfectionis? p. 467.

Dub. 2. An hoc, quod Regula monet de supererogationis operibus, intelligi debeat, etiam sine superioris licentia? p. 471.

Dub. vltimum, Quæ sint opera supererogationis, quæ nunc in nostra Religione supra Regulam obseruari præcipiuntur? p. 480.

INDEX RERVM,

QVÆ HOC OPERE

continentur.

A.



- A**dias ex dispensatore Regis Achab, discipulus Elia, & Propheta factus p. 47. in fine.
- A**bsinentia carniū in quibusdam Religionibus sanctè & piè instituta est, non quia immundæ illæ sunt, vt quidam hæretici existimarunt, p. 398. propè fin. sed quia ipsa licita est, & utilis ad spiri-
tualem profectum. p. 399. & reliq.
- A** Si debito fine coonestetur, ad virtutem pertinet. p. 400. in fin.
- A** Nô solùm, si imperceptibiliter vitâ breuiorem efficiat, sed etiam in ipso mortis articulo licita est ob honestâ causam, vt, ob Regulæ obseruantiam p. 406. in fin & seq.
- A**ccusationis in capitulo faciendæ de leuioribus culpis scopus est perfectior monasterij obseruantia, vel delinquētium correctio, vel maior profectus, & emendatio. p. 369. in principio.
- A**ccusantes in capitulo subditi, item accusati quomodo se habere debeant. p. 380. post med. & seq.
- A**gape idem, quod charitas: & viuere ex Agape, idem, quod viuere ex aliena liberalitate ociosè viuendo. p. 428. ad med.
- A** Ex Agape viuere maximè detestati sunt antiqui monachi. ibidem.
- A**lbertus incola Carmeli, & Elianæ familiæ monachus. p. 164.
- A** Tradidit Carmelitis Regulâ breuitate, claritate, discretionē, & perfectione conspicuam, qua ordinem restituit suo iure, & reformauit: nec tamen instituit. p. 128. & p. 229. & seq. & p. 164.
- A** Reliqua vide verbo (Regula.)
- A**nimi remissio utilis. p. 259. & seq.
- A**nimalium greges possidere, vt arietum, cuniculorum &c. attentè Regulæ rigore & puritate non licet nobis p. 355. ad med. & seq.
- A**rma spiritualia ad viuum depinxit Cassianus: cuius verba. p. 424. & reliq.
- A**rietes aliquot in Eremiticis domibus cautè retinere pro infirmis, fortè fieri possit. p. 356. in principio.
- A**rtis suæ quotusquisque magnificus laudator, quin & suæ monasticæ professionis. p. 192. & seq.

I N D E X.

- 1 *Aymericus* Patriarcha Antiochenus redegit ex rigida anachoreti ad mitiorem vitam Carmelitas. p. 127. post prin. & p. 229.
- 2 Obeam causam ordinis reformatior fuisse censetur. p. 39. & seq.
- 3 Huius opera nõ omnino ordo Carme. restitutus fuit p. 127. post med.

B.

- 1 *Bertholdus* primus prior Generalis Carmel. ab Aymerico sub hoc nomine Prioris electus. p. 229.
- 2 *Bona*, redditus, & possessiones nõs possidere non posse, neq; id lege statuere incõsulto Pontifice, etiã post Cõcil. Trident. quo ea res Mendicantibus permessa est, probabilius esse ostenditur, p. 357. & seq.
- 3 *Breniarium* Romanum quando in nostra congregatione in usu esse cõeperit: & qua occasione specialiter debuerit obtineri a Sum. Pontif. p. 306. in fin. & seq.

C.

- 1 *Canonici* Regulares dicti à canone. p. 154 Quorum nomen à Baptologia, hoc est ab inutili eiusdem nominis repetitione defenditur. & p. 155.
- 2 *Canonicè* vivere dicuntur, qui communem ac regularem vitã profitentur. p. 154.
- 3 *Canus* in choro prodest populo, & imperfectioribus: vtilior summissa vox perfectis. p. 305 ad med.
- 4 *Capitulum* amplius quam semel intrã eandem hebdomadam fieri, si opus fuerit, Regulam præcipere, verius videtur. p. 362. post med.
- 5 *Omniem* de absentia à cap. excusationem Regula excludere videtur p. 362. in fin. & seq.
- 6 In hoc pro præcipuo scopo habenda sunt quæ ad regulare observãtiam spectant: secundario alia. p. 364. ad med.
- 7 Ad correctionem culparum ordinatur etiam. ibidem.
- 8 Est quasi quoddam iudiciale forum, in quo Prælatus vt iudex præsidet, & religiosi accusare possunt. p. 369.
- 9 Propter imperfectiores exponenda est in eo Regula à Prælato, quamuis omnes antiqui sint in ordine p. 363. post prin.
- 10 *Capiti* dolor, & verrigo ad impotentiam ieiunandi reducuntur. p. 395. in fin.
- 11 *Carmelite* honorati titulo Beatæ Mariæ, triplici ratione. p. 158. & seq. late.
- 12 *Cum* prioribus temporibus appellati fuissent filij Prophetarum; eadem manente Religione, noua ex causa, posterioribus tẽporibus rectè appellati sunt Fratres B. Mariæ de monte Carmeli. p. 118.
- 13 A captiuitate Iudaica liberati sunt. p. 96.

I N D E X.

- 4 Christi baptismo per Apostolos baptizati. p. 105. & coadiutores eorum facti. p. 108.
- 5 Sub Regula Ioannis vixerunt multis annis. p. 33. ad med. & vsq; ad quæ tempora. p. 39. ad med.
- 1 Carmelus interpretatur scientia circumcissionis. p. 114. in fin.
- 1 Carnis abstinencia multum conducit ad corporis, & passionum mortificationem. p. 181.
- 2 Carnium appellatione oua, & lactinia non continentur. p. 408. in fin.
- 3 Lardum, sagimen, sanguis, & pulmenta in nostra Religione carniū appellatione veniunt, vt ex Regula, consuetudine, & iure ipso constat. p. 409.
- 4 Esus earum cautè, & prudenter à nostris Prælatiſ permittendus, cū sit ex præcipuis Regulæ præceptis. p. 114. in fin. & seq. & acriter puniendus, nisi debite fiat. p. 420. post princ.
- 5 Abstinere ab his, etiam itinerando, perfectius est. p. 416. in fin. & seq.
- 6 Supra mare carnis vesci nõ licet, si animi recreandi causa illud ingrediantur: nec si nauigatio sit in flumine. p. 422. post princ.
- 7 Carnibus vesci apud nos sine scandalo, nec tamen ob honestam causam, peccatum mortale non est ex Regulæ præcepto: cum scandalo actiuo peccatum mortale est. p. 420. in principio: non verò cum passiuo. p. 421. antè med.
- 1 Carthusienses transire possunt ad Camaldulenses. p. 198.
- 2 Horum statutum de abstinencia carniū etiam in articulo mortis cum alij illicitum, & stultum, p. 402. in fin. alij licitum & necessarium, si scandalum imminet, p. 403. post. prin. alij omni casu omnino necessarium esse, existimauerint, p. 405. in fin. verius tamen est, licitum, & laudabile esse omni casu, non tamen necessarium in articulo mortis. p. 406. post med.
- 1 Carith, diuisio interpretatur. p. 30. in fin. & p. 52. ad med.
- 1 Cellularum separatio, quæ in Regula præcipitur, quæ ex causa in Reformatione non seruetur. p. 246. paulo ante med.
- 2 Earum designationem non tenetur Prior facere de consensu fratrum, prout modo Regula obseruatur. p. 244. in princ.
- 3 Cellule nomē diminutū eximie paupertatis & arctitudinis nota. p. 247
- 4 Non esse sumptuose ædificandam rectè Bernardus. p. 247. post med.
- 5 Quæ Prioris est iuxta introitum loci esse præcipitur, ne rumores fratribus deferantur ab aduentantibus. p. 262. modo autem non est, quòd in eo loco constitui debeat. p. 263. in principio.
- 6 Eius obseruatio perpetua nobis præcipitur. p. 269.
- 7 Egressus ab ea, ad deambulandum per claustra, aut hortos, nobis non licet. p. 271. ad med.
- 8 Iuxta eam manere, aliquando licet, nisi sit in ipso dormitorio. p. 272. post princ.

I N D E X.

9. **Eius per seuerantia antiquis monachis familiaris** p. 273. eamque Patres mirū in modum commēdant p. 274. tūm, quod ad cōtemplationem puritatem, & orationem conferat valdē, p. 275. & seq. tū, quod à multis nos periculis liberet. p. 276. ad med.
10. **Qua ratione tam arctam eius custodiam nobis Regula præcipiat.** p. 277 in princ.
1. **Christus queritur de monachis in vnum congregatis vanè vanissima confabulantibus, & Brigitæ honestam colloquutionem debito tempore permisit.** p. 260.
2. **Chorus si magnum, & notabile damnum patiatur ex subditorum absentia, eos, ex vilegalis iustitiæ, mortaliter peccare, probabile videtur.** p. 300 post princ.
3. **Si nulla legitima causa impeditus absit à choro religiosus, venialiter peccat, vt ex professione, ministetio, consuetudine, & Regula satis colligitur.** p. 300. circa med.
4. **Chorus propriè multitudo canentiū est, ex Isidoro.** p. 301. ante med.
5. **Ipsū adire pro officio Diuino recitando ex Regula tenentur Religiosi.** p. 301. in prin.
6. **Circūcisio castitatem mentis & corporis seruandam indicat.** p. 115. post princ.
7. **Commune bonum esse desinit, quod ita mordicū & tenaciter Religiosus tenet, vt vix ab eo etiam auctoritate Prælati auerferi possit, quamuis cum debita licentia illud primò obtinuerit.** p. 335. post princip.
8. **Communitas est, quæ retribuere tenetur propriè benefactoribus.** p. 443.
9. **Completorium differri aliquantulū potest ex rationabili causa: si sine causa fiat rarò, non est peccatum mortale.** p. 446.
10. **Conuenientius est differre complet. ex rationabili causa, quàm, eo vidictò, in silentio dispensare.** ibidem ad med.
11. **Completorium duplex, quorum altero Ecclesiæ altero silentij præcepto fiat satis, sine fundamento adiuuentum esse videtur.** p. ead.
12. **Concilium Lateranense nouam Religionum foundationem prohibuit.** p. 167. I ugdunense verò idem districtiùs. p. 169.
13. **Celibes, & non habentes semen dūm scriptura maledicit, de his intelligenda est, qui semine & prole spiritali carent.** p. 5. in fin. & seq.
14. **Conscientia pura securum animum reddit, & à calamitatibus præseruat iustos.** p. 96. & reliq.
15. **Constitutio Sāctorum Patrum, de qua ad recitationem diuini officij in Regula fit mentio, probabilius intelligitur agere de Patribus Syriæ, & Palestinæ, quàm Egypti.** p. 301. in fin. & seq.
16. **Consuetudo, quæ est interpretis legis viū receptæ, dicitur esse communis**

I N D E X.

- nis consensus eorum, qui sub eiusmodi lege viuunt. pag. 217. post princip.
- 2 In hac consuetudine diurnitas temporis, aut præscriptio non reperitur. ibidem.
 - 3 Consuetudo Ecclesiæ approbata, secundum quam officium diurnum in Regula recitandum præcipitur, Hierosolymitanæ Ecclesiæ consuetudo esse intelligitur pag. 201. in principio.
 - 1 *Correct.* f.aterna non est quod præmittatur ad denunciationem in capitulo faciendam de leuioribus culpis pag. 18.
 - 2 Correctionem subditorum negligenter omittentibus Prælati terribile imminet iudicium, ex scriptura & Patribus. pag. 371. post med. & sequentibus
 - 3 Causas huius negligentiae Prælatorum in corrigendo recte congescit Vmbertus pag. 376 prope fin.
 - 4 Facienda est vtroque prudenter remoto extremo, & rigoris, & lenitatis pag. 377 ad med. sed magis declinandum in lenitatem. pag. 377. in fin.
 - 5 Vt recte eam faciat, habeat Prælati præ oculis multa, quæ mouent Patres, de quibus late pag. 377. in fin. & sequentibus.
 - 1 *Culpas* leuiore ex consuetudine manifestabant coram omnibus antiqui monachi pag. 265. post princip. & sequentibus.
 - 2 Interior es non sunt in capitulo propalandæ, neque etiam exteriores graues, nisi sint publicæ. pag. 367.
 - 3 *Culpas* graues potest quis ad sui confusionem coram omnibus manifestare, si spiritu Dei agatur, ibidem.
 - 4 Leuiore culparum, quamuis aliquantulum famam lædant, à nobis manifestandæ sunt vt fiat satis constitutioni ibidem in fin.
 - 5 *Culpas* aliorum tenentur alij etiam, præter zelatorem, aliquando in capitulo aduertere, pag. 370. prope fin.
 - 6 Leuiam culparum duplex genus, alterum quod communitati alterum quod ipsi peccanti nocet solum. de quibus quando, & sub qua culpa teneatur quis denunciare. pag. 371. ante med.
 - 1 *Cursus* rerum tertenarum longe exterminandam, & quantum noceat, Gregor. pag. 336 post med.
 - 1 *Cursus* congrue designat naturam diuinam filij, quæ principio, & fine caret, & omnia portat verbo virtutis suæ pag. 117 in principio.
 - 1 *Cyrillus*, Prior montis Carmeli. pag. 24. post med.

D.

- 1 *Debilitas* idem quod imbecillitas pag. 413. ad med.

I N D E X.

- 1 Est medium quoddam inter Sanitatē, & ægritudinē, ex qua actiones corporis languidæ sunt. pag. 413. prope fin.
- 3 Dupliciter intelligitur, & quæ apta est, vt facillimo negotio morbum adquirat, & quæ ex præcedenti morbo relicta viribus indiget. vtrique autem Regula carnes indulget, adhibito Prælati prudenti consilio. pag. 414. in principio.
- 4 Nimiæ debilitatis adiectio ex Regula Alberti, iusta de causa adempta per Innocentium pag. 414. in fin. & sequent.
- 5 Non quælibet carnum esu curanda est. pag. 415. post princip. maxime inter seculares, pag. 421. in fine.
- 6 Nec quis eam sibi facile persuadere debet. p. 415. vt carnibus vescatur. pag. 405. post med. vide verbo (Monachus) & (Religiosus)
- 1 Deus denegat interdum iustis dulcedinē suauitatis suæ, cum, vt ardentius eam appetant, & postulent, tum, vt ab ipso eam sibi aduenire cognoscant. pag. 61. in fin. & sequent.
- 2 Eius mos est, vt cum possit omnes perse vel per Angelos illuminare, malit tamē homines ab hominibus doceri, & de huius ratione. pag. 477. in principio.
- 3 Inclinat corda prælatorum, vt debitam licentiam præstent circa supererogationes. pag. 448. post med.
- 1 *Discalceatos* nostros plus vitæ exemplo, quā verbo prædicare oportet. pag. 184. post med.
- 1 *Discretio* Magna, alieno subijci arbitrio & consilio. pag. 480. post princip. ob cuius defectum multi misere perierunt ibidem.
- 1 *Dispensator* monasterij ab alijs cellarius, ab alijs æconomus; à nostra vero Regula frater appellatur. pag. 340. in fine & sequent.
- 2 Huius scopus, necessitatis impletio. pag. 346.
- 3 Eam potestatem habere censendus est circa administrationem, & distributionem bonorum, quam Prælati concesserit. pag. 341. post principium.
- 4 Caute & prudenter eligendus est a Prælato: & qualis esse debeat pag. 341. prope finem.
- 5 Qualiter se habere debeat in suo munere recte exequendo: & Basilij, & Benedicti egregia de ea re-admonitio. pag. 342. & sequent.
- 1 *Diuitie* difficile possidentur, quin impediunt perfectionem. p. 46.

E.

- 1 *Elias* Propheta primus omnium monasticæ vitæ institutor. p. 2. & sequentibus & p. 4. ante med. & p. 43. 62. in carmelo. pag. 8. post princip. tanquam incommodiori loco. pag. 9. ad med. quo autem tempore. pag. 10. in principio & pag. 82. & reliq.

I N D E X.

- 1 Euangelica consilia præuidit prophético spiritu, & primus obseruauit pag. 3. & 63. ad med.
- 2 Primus inter viros colendæ virginitatis autor, ibidem, & eius discipuli pag. 115. ad medium.
- 3 Ipse, eiusque successores professionem monasticam triplici votorum vinculo firmarunt, vt probabile est ibidem.
- 4 Ipse princeps, & Dux Carmelitarum totum pene vitæ tempus in oratione consumpsit, vnde Carmelitis eius successoribus emanauit orandi iuge studium. pag. 176.
- 5 Huius discipuli anxie, & enixe petierunt à Deo incarnationem Filij, & descensum ad Mariam pag. 116. & sequentibus.
- 6 Discipulos erudiuit in Carith, & destinauit psallendis hymnis Deo. pag. 68. ad medium.
- 7 Perfectum se præbuit discipulis exemplar vitæ monasticæ, à quo omnis perfectio dimanauit, ita, vt omnes alij monachorū Principes riuli quidam sint huius fontis. pag. 75. & sequentibus.
- 8 Huius nomen interpretatur, Deus Dominus.
- 9 In Carmelo eximia miracula fecit, quibus præ cæteris illum mōtem insigniuit. pag. 83. & sequentibus.
- 10 Aliquando relicta Eremita, ad ciuitates accedebat in quibus cuneos habuerunt monachorum, quos ibi primo institutos ad Eremitum transferebant pag. 87.
- 11 Huius discipuli quam viuēdi formulā habuerint. p. 27 post med.
- 12 *Elifens*, raptus Elia, ipsi successit tam in duplici spiritu, quam in prælatura filiorum Prophetarum. pag. 89.
- 13 Libenter receptus est a monachis in Patrem, & Magistrum, qui cum Elia successisset, in operatione mirabilium cognouerunt. pag. 91. & sequentibus.
- 14 Interpretatur huius nomen, salutare Dei mei. pag. 81. in princip.
- 15 Fuit Elia præcipuus discipulos. pag. 72.
- 16 *Epilogus* quidam mysticæ significationis vniuersi habitus monastici huius nostræ professionis. pag. 126. ante medium.
- 17 *Eremiti* domos fundari, vtiliter sancitum est: sunt quippe fundamenta regularis obseruantia pag. 139.
- 18 *Errata*, in quibus non possit Sedes Apostolica pag. 17.
- 19 *Esseni* dicti ab Eliseo, quasi Elissenii pag. 30. ante finem.
- 20 Antiquissimi. pag. 28. in principio.
- 21 Ab Elia, & Eliseo originem ducentes. pag. 29. in principio.
- 22 A Marco instituti pag. 29. ad medium.
- 23 Christi & Apostolorū prædicatione ad fidē cōuersi. p. 31. in princ.
- 24 Primi, ex quibus Religio deriuata est ad monachos Egypti, & Palestina. ibidem.

I N D E X.

- 7 *Forum Regulæ & instituta varia circa formam viuendi recensentur pag eadem & sequentibus.*
- 1 *Esuscarnium nobis non licet inmensa Principum, & Episcoporum Quod late probatur p. 422. post med. cap. 2. vide verbo (carnes) & (abstinentia)*
- 1 *Eunuchus pro eo, qui voluntariè seruat virginitatem, in scriptura accipitur aliquando. pag. 5 in principio.*
- 2 *Eunuchus est non solum qui continet, sed qui ita continet, vt nõ possit non continere ibidem.*
- 1 *Exercitia in Religionibus instituta ad acquirendam perfectionem quamuis non temper intrinsece sint actus virtutis: tamen debite ordinata, & sunt actus virtutis, & pene necessaria ad perfectionem. pag. 196.*
- 1 *Explicatio Regulæ ibi, Vnum ex vobis habeatis Priorem, pag. 130, ante med & sequent.*
- 2 *Ibi Qui ex vnanimi, omniumque assensu, vel maioris & sanioris partis ad hoc officium eligatur. p. 223.*
- 3 *Ibi. Cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate seruare cum castitate, & abdicatione proprietatis. pag. 233. in fine.*
- 4 *Ibi. Loca autem habere poteritis ad vestra Religionis obseruantiam apta, & commoda. pag. 235. post med. & sequent.*
- 5 *Ibi. Secundum quod Priori, & fratribus videbitur expedire. pag. 239. ad medium.*
- 6 *Ibi, Præterea iuxta situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas. pag. 244. & sequent.*
- 7 *Ibi. Sicut per dispositionem Prioris ipsius, & de assensu aliorum fratrum e. e. dem cellule cuique fuerint assignatae. pag. 246.*
- 8 *Ibi. Ita tamen, quod in communi Refectorio. pag. 249. in princip. & sequentibus.*
- 9 *Ibi. Aliquam lectionem Sacrae scripturae audienda. pag. 256. post medium.*
- 10 *Ibi. Vbi commode poterit obseruari. pag. 260. in fine & sequentibus.*
- 11 *Ibi. Nec liceat alicui fratrum, nisi de licentia Prioris. pag. 261.*
- 12 *Ibi. Cellula Prioris sit iuxta introitum loci. pag. 262. post princip.*
- 13 *Ibi. Et de arbitrio, & dispositione ipsius postmodum quæ agenda sunt, iuncta procedant. pag. 263. & 266. in fine, & sequentibus.*
- 14 *Ibi. Maneant singuli in cellulis suis, vel iuxta eas, die ac nocte pag. 268. prope fin.*
- 15 *Ibi. Die ac nocte pag. 169. in principio.*
- 16 *Ibi. Iuxta eas, pag. 270. in principio.*
- 17 *Ibi. Die, ac nocte in lege Domini meditantibus, & in orationibus vigilantes. pag. 277. & sequent. & pag. 280. circa med.*

I N D E X.

- 18 Ibi. *Hi, qui Horas canonicas cum clericis dicere norunt.* pag. 193. ad me-
dium.
- 19 Ibi. *Fas dicant secundum constitutionem Sanctorum Patrum, & consuetu-
dinem Ecclesie approbatam.* pag. 201. post med.
- 20 Ibi. *Qui eas non uenerint, & vicibus dicant Paternoster.* pag. 223.
- 21 Ibi. *Quos autem sine Nulis.* pag. 325. & sequentibus & pag. 354. &
sequentibus.
- 22 Ibi. *Nubis fratrum sibi aliquid esse proprium dicat.* pag. 328. ante fi-
nem & huius. pag. 329.
- 23 Ibi. *Deditis uobis omnia communia.* pag. 331. in fin.
- 24 Ibi. *Et cum oporteat, vos frequentius mendicare itinerautes.* pag. 357.
- 25 Ibi. *Oratorem, orans commodius.* pag. 360.
- 26 Ibi. *Missarum solemnia.* pag. 360.
- 27 Ibi. *Dominica quoque diebus, vel alijs, ubi opus fuerit.* pag. 361. ad me-
dium.
- 28 Ibi. *Ubi commode poterit obseruari.* pag. 362. in fine & sequent.
- 29 Ibi. *Distribuat unicuique &c.* pag. 338. & sequentibus.
- 30 Ibi. *In spectis caritatis, & necessitatibus.* pag. 344. post princip.
- 31 Ibi. *De cuiusmodi ordinis.* pag. 364. ad med.
- 32 Ibi. *Et de animarum salute.* ibidem in fine.
- 33 Ibi. *A festo exaltationis sancte crucis.* pag. 384. in fine.
- 34 Ibi. *Usque ad diem Dominica Resurrectionis.* pag. 389. post principii.
- 35 Ibi. *Ab esu carnis abstineatis.* pag. 398. ad med.
- 36 Ibi. *Nisi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio sumantur.* pag. 411. &
sequentibus.
- 37 Ibi. *Et quia vos oportet frequentius mendicare itinerautes, ne hospitibus
uiscitis, nece sit sumere oleritis pulmen, & colligere carnis.* pag. 416.
- 38 Ibi. *Sed & carnis supra mare uesci licebit.* pag. 422.
1. Explicatio illius. Reg. 17. *Factum est uerbum Domini ad Eliam, dicens,
recede hinc & uade contra orientem &c.* per singula quaeque uerba,
latissime a pag. 43.
2. Explicatio psal. 1. *In terra deserta &c.* pag. 44 & pag. 59. in fine
& sequentibus.
3. Explicat. Job. 22. *si reuersus fueris ad omnipotentem &c.* usque ad Deū
faciem tuam. pag. 57. in fine.
4. Explicat. 1. b. 9. *Quis preparat coruo escam &c.* pag. 61. ad med.
5. Explicat. 2. Paral. 25. *Porro Cantores &c.* pag. 62.
6. Explicat. 3. Reg. 19. *Egredere & sta in monte eorum Domino &c.* pag. 79.
a finem.
7. Explicat. Isai. 32. *Habitabit in soliditudine iudicium &c.* pag. 84. &
8. Explicat. Mich. 7. *Terra erit in desolationem &c.* pag. 97.
9. Expli-

I N D E X.

9. *Explicat. 3. Reg. 18. Et pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua &c. pag. 110. in fine & multis sequentibus.*

F.

1. *Festinitates, de quibus in nostra Reformatione sine hesitatione & scrupulo officium fieri potest, recensentur sigillatim. pag. 315. prope finem, & sequentibus. Vide officium diuinum.*
1. *Filij Prophetarum vnde dicti monachi Carmelitz, Eliaz successores. pag. 70.*
1. *Finis cognitio principium vitæ & directionis: ac proinde diligenter inquirendus a monacho scopus proprius, & præ oculis perpetuo habendus pag. 173. & sequentibus.*
2. *Semper debet esse finis, alicuius virtutis actus, vel misericordiz vel Religionis &c. pag. 196.*
3. *Finis, & prima institutio omnium monachorum, contemplatio. pag. 175.*
4. *Finis proprius, immediatus, & potissimus Carmelitarum Religionis, contemplatio esse ostenditur, tum, ab autore Elia, eiusque successoribus pag. 175. & sequentibus, tum ab autoritate summorum Pontific pag. 177. tum ab Eremita habitatione, & vitæ eremiticæ professione. p. 178. tum deinde à Regula ipsa per singula capita diligenter discussa. pag. eadem & 179. & 180.*
5. *Finis vero quasi secundarius & minus principalis, proximorum cura. pag. 181.*
6. *Finis proprius nostræ Religionis mixtus ex actione, & contemplatione: non tamen ex æquo, sed principaliter ex contemplatione pag. 182.*
7. *Finis præcepti cadit sub præcepto, non generalis, sed proximus pag. 287.*
1. *Fundare monasteria non possunt Prælati iure communi sine licentia Papæ, etiam post Conciliū Tridentinum. pag. 239 & sequentibus.*
2. *Priuilegio Sixti Quarti & Sixti Quinti licet nobis sine noua Pontificis licentia monasteria erigere. pag. 240.*
3. *Fundare, & transferre monasteria in iure non reputatur pro eodem. pag. 241. post principium.*
2. *Fundandi nouas domos vel deserendi fundatas. autoritatem quo iure habeat Generalis. pag. 239. circa medium. Vide verbo (monasteria) & (translatio.)*

G.

1. *Gradus monasticæ, Propheticæ, & eremiticæ vitæ quatuor.*

2. *Primus*

I N D E X.

1. Primus abrenunciatio diuitiarum, & sæculi. pagin. 46. in principio.
2. Secundus abnegatio propriæ voluntatis, & mortificatio passionum. pag. 47.
3. Tertius recessus ad solitudinem, & castitas. pag. 49. ad med.
4. Quartus choristas Dei, & proximi, & fuga vitiorum. pagin. 51. infra.

H.

1. *Hora* canonicæ sic dictæ, quia certis horis per Canonum Sanctionem designatis recitari debent. pagin. 293. Vide officium diuinum.

I.

1. *Imperium* mixtum ex Aristocratia, & Monarchia, vtilius est, hominum fragilitate inspecta. pag. 231. ad med. vb; etiam, quando hæc mixtio fiat.
2. *Infirmorum* quanta cura habenda sit à Prælato, sedulo ostendunt Patres, præcipue Bonaventura pag. 348 & sequentibus.
3. Si non plene eis subueniat Prælatus, impie agit. pagin. 352. ante medium,
4. Hi non superflua, & grandia quærere debent, sed ita se habere, vt pauperes decet, non murmure non querimonia. pagina. 352. ad medium.
5. Infirmis Quinque præ oculis habenda. pagin. 353. prope finem & sequentibus.
6. Infirmities omnes internas nec curari possunt, nec debent, quippe quorum viuendi ratio medicinz præceptis omnino contraria est. pag. 354.
7. *Innocentius* Quartus Alberti Regulam correxit, declarauit, ac mitigauit. pag. 135. post medium.
8. Decem dies indulgentiæ concessit omnibus appellantibus ordinem Carmel. sub titulo Beatæ Mariæ. pag. 158.
9. *Instrumentum* ad perfectionem parandam in statu Religiosorum, duplex, alterum communissimum, alterum cuiusque proprium. pagin. 195.
10. *Instrumentum* proprium rursus duplex, & de vtriusque differentia duplici. pag. 196.
11. *Ieiunium* quadruplex: spirituale, morale, naturale, & Ecclesiasticum. pag. 390.

I N D E X.

- 1 Ecclesiasticum est abstinentia cibi secundum Ecclesiæ regulam & modum assumpta pag. 390. post med.
- 2 Ieiunia nostræ Regulæ & ordinis vere esse ieiunia Ecclesiastica, omnibus diligenter discussis ieiunij conditionibus, late ostenditur a pag. 390. usque ad pag. 394.
- 3 In ieiunio ecclesiastico duo quasi essentialia constituuntur, & unica comestio, & ciborum delectus. pag. 391. post med.
- 4 Ieiunio accidentaliter sunt hora designata, & abstinentia a lactici- ni s pag. 397. in fin. & sequentibus.
- 5 Ieiunia ab Apostolorum tempore die Dominica observata non sunt ob plures rationes pag. 387. ad med. & sequent.
- 6 Ieiunium diei Dominicæ ex intentione vel laudatur, vel damna- tur pag. eadem
- 7 Ieiunandum est ipso etiam Exaltationis die pag. 384. prope fin.
- 8 Ieiunium quamvis stricto iuris rigore observari debeat in Natali Domini apud nos; tamen ipsa æquitate iudicante, laudabilius vi- detur, si relaxetur. pag. 387. in principio.
- 9 Ieiunium secundum diem natalis Domini quamvis dispensatum esse videatur quasi ex mente Regulæ, non tamen rem maxime ob- servare oportet Prælatos, quod maior pars priorum, & erudi- torum Fratrum Religionis in praxi & consuetudine observave- rit. pag. 388. circa finem cap.
- 10 Quare longius non protrahantur. pag. 388.
- 11 Collatio in ieiunijs Regulæ & ordinis nec scrupulosius exhibenda est neque ita, ut ecclesiastica ieiunia esse desinant pag. 390.
- 12 Ieiunij quadragesimalis, & aliorum extra Quadragesimam diffe- rentia quadam tempore apud antiquos etiam monachos fuit, ut in illo rigidius, in his paulo indulgentius se haberent pag. 392. ante fin.
- 13 Probabile est in ieiunijs extra Quadragesimam Ova, & lacticia pro- hibita non esse pag. 393. ad med.
- 14 Ova, & lacticia in ieiunijs Regulæ & ordinis ex privilegio, & mente etiam ipsius Regulæ adijcere possumus: nec eo minus vera ieiunia erunt. pag. 393. in principio.
- 15 Prælati benigne ieiunium dispensent fratribus, prudenter tamē & caute. pag. 394.
- 16 A ieiunio exculant, impotentia pag. 394. in fine & sequentibus necessitas. pag. 396. in principio, pietas siue maius bonum, ibi- dem ad med.
- 17 Qui suo munere fungi non potest, si ieiunet: excusatur. pag. 366. ante med.

I N D E X.

- 19 A nostris Concionatoribus , Lectoribus , & Confessarijs quando omitti possit p. 396. ad med.
- 20 De ieiunio exempla Patrum. p. 180. & seq. & eius fructus breuiter ex Chryostomo p. 397. post prin.
- 1 Ioannes Hierosolymorum Patriarcha, Carmelita, librum de Origine Carmelitarum scripsit ad Caprasum: cuius libri veritas comprobatur. p. 10.
- 2 Hunc librum pro Regula tradidit Carmelitis. p. 36. & quando. p. 37.
- 3 Eximie Doctrinæ, & sanctitatis fuit, quæ variè comprobatur ibid. & seq.
- 4 Professor Carmeli fuisse ostenditur ibid. & quo tempore floruit. p. 38. circa fin.
- 1 Ionadab filius Rechab quis fuerit. p. 98. in fin.
- 1 Ionas Propheta Eliæ discipulus p. 71.
- 1 Ioannes Baptista Eliæ successor monachos illius professionis erudiuit, & baptizauit p. 102. & reliq.
- 2 Quare dicatur venire in spiritu Eliæ ibidem.
- 1 Itinerare debere nos pedites ex Regula colligi videtur p. 416. post med.
- 1 Indicio proprio qui nititur magnis se exponit periculis. p. 478.
- 1 Juniores sunt sæpenumerò, non antiquitatem non habentes, sed qui iuuenum imitantur mores. p. 363.
- 1 Iurisdictio triplex compètit Prælati Religionum: æconomica circa res temporales monasterij, merè spiritualis circa res interiores, & quæ ad profectum spiritualem conducunt, & iudicialis. p. 372. & sequent.

L.

- 1 Labor assiduus frangit animorum impetus: & remittendus est. p. 260
- 2 Labor manuum à tempore Apostolorum in vsu fuit apud monachos p. 417. & seq.
- 3 Ab omnibus Religionum Patribus monachis commendatus p. 419.
- 4 Tum ob multas alias rationes utilis, nempe, ad victum quærendum p. 430. Ad eleemosynam faciendam. ibidem, Ad macerationem corporis. p. 431 in principio. Tum maxime ad ocij damna vitanda, in Religionibus institutus. ibid post med.
- 5 Nomine laboris manuum comprehenduntur omnia officia humana, ex quibus homines licite victum adquirunt, siue id manibus, siue pedibus, siue lingua fiat. p. 434. prepe fin.
- 6 Orationes etiam, quatenus ad hunc laborem reduci possunt. pag. sequent.
- 7 Ille præ cæteris eligendus, qui ad spiritus profectum magis conferat

I N D E X.

- ferat: Alij autem studium scribendi, alij Agriculturam maximè commendant. p. 435. prope med.
8. Quo modo exercendus sit, vt hæc duo coniungi possint, Assiduus labor, & cōtinua oratio, Patres docent, quorum Doctrina. p. 437. post med. & seq.
 9. Laborare non plus tenentur religiosi ex vi legis naturalis aut diuinæ, præcisè loquendo, quàm sæculares. p. 440. in principio.
 10. In Religione qui non laborat, cum possit, secundum deputatū munus suæ professionis, peccat mortaliter contra iustitiam, quum de ea re contractus quidam interuenisse dicatur inter profitemtem, & Religionem, ibidem in fine.
 11. Laborandi ignauia quando graue peccatum sit? p. 441. ante med.
 12. Laboris manuum nulla penè expers Religio. p. 440. ad med.
 13. Laborantes laici fratres excusantur à ieiunio. p. 396. post principium.
 1. Laici fratres æquè ac cæteri ad orationē tenentur ex Regula. p. 392.
 2. Negligenter se habendo in exercitijs sui muneris, quando peccent, & quantum. ibidem, & p. 440. & seq. & p. 443.
 3. Quare non teneantur ad Officium Diuinum, si nouerint, vt choristæ, quum id Regula præcipere videatur. p. 293. prope fin: & seq.
 4. Neque iure communi, neque consuetudine ad officium Diuinum tenentur contra Paludanum, & alios. p. 298. antè med.
 5. Horū institutū ad exercitia corporalia destināt. p. 323. & in obsequiū choristarū. p. 298. ad med. ac proinde sufficienter pro populo ex hac causa orare dicuntur, & iustè ex elemosynis viuere. p. 299. post prin.
 6. Tenentur ad suas orationes sub veniali. p. 323.
 1. Lectio sacræ Scripturæ in communi mensa adhiberi solita apud antiquos monachos, & propter spiritualem animæ refectioem, & (quod præcipuum est) ad compescendam inter edendū confabulationem, ex concilijs & patribus ostenditur. p. 256. & seq.
 1. Legislatorem non posse inducere obligationem ad mortale in materia leui demonstratur. p. 209.
 2. Posse autem è cōtrario, in materia graui leuem inducere obligationem, vt probabilius & verius defenditur multis fundamentis p. 210. vsque ad. 213.
 3. Legislatores dum explicat, se nolle obligare ad culpam, etiam in materia graui præcipiendo, non obligat. p. 214.
 4. Eius voluntatem circa inducendam culpam, pænæ qualitas manifestat. p. 214. post med.
 5. Pœnā maiore vel minorem imponere potest in materia graui. p. 213.
 1. Lex præceptiua nõ sufficit, vt obliget ad mortale, nisi alioqui sit materia grauis. p. 209. in principio.
 2. Quæ per verba præceptiua lata est obligat ad culpam, prout abstrahit à veniali, & mortali. p. 206.

I N D E X.

- 3 Quæ absolutè fertur, neque vlllo verbo, aut signo declarata est volũtas obligandi ad mortale, non obligat ad mortale. p. 206.
- 4 Quod si apertè declarata est voluntas obligandi ad mortale, obligat ad mortale, si materia alioquin id ferat. p. 205.
- 5 Legem considerare prout nuper promulgata est, vel prout iam illã vsus recepit, plurimum interest. p. 205.
- 6 Legis promulgatæ, & vsu receptæ obligatio quanta sit, communis populi consensus, vsus, & piorum consuetudo, aut maioris partis cõmunitatis rectè, & securè interpretatur: Quod ratione, & authoritate fusè comprobatur. p. 114. & p. 215 & 221. post med.
- 1 *Loca* ad nostrę Religionis obseruantiam apta, & commoda ea esse intelliguntur, quæ ad præcipuũ finè contèplationis, & aliquale curã proximorũ magis apta & cõmoda sunt. p. 335. post med. & seq.

M.

- 1 *Magistrum* perfectiõnis non satis est studere, vt habeat puram conscientiam ad Deum, sed & in suo exemplo ad bonum prouocare confortes p. 76. in principio.
- 1 *Meditatio* est processus, siue discursus intellectus in veritatis inquisitione occupati, p. 279. in fin.
- 2 Differt ab oratione, quod hæc est petitio à Deo, illa autem consideratio alicuius veritatis: oratio actus intellectus practici, illa verò speculatiui. p. 280. post princ.
- 3 *Meditatio* diuinæ legis attributa Dei, eiusque in homines beneficia, & humanæ fragilitatis, & peccati considerationem denotat. p. 280. circa med. & ad studium Theologiæ, Philosophiæ & logicæ, si debitè fiat, extenditur. p. 281. in principio.
- 1 *Melota* à Melo animali, quod & Taxus dicitur p. 122. in principio.
- 2 *Quæuis* vestis ex hirsutis & hispidis pellibus siue pilis facta vulgò sic appellatur. ibidem.
- 3 Hac vsi sunt Elias & eius discipuli: deinde in aliam vestem mutata, quæ magis deceret. ibidem.
- 1 *Mendicitas* nobis ex Regula comperit. p. 346 in fin. & seq.
- 1 *Mentem* non esse distrahendam in varia studia, rectè Gregor. p. 184. & Nestorius Abbas prosequitur in principio.
- 1 *Mensam* cõmunè quæ cõstituãt, & eius Laudes. p. 249 & p. 252. & seq.
- 2 Omnes in ea eodem tempore assidere, nihilque præcipuum singulariter edere debere ex concilij & Patribus fusè ostenditur. p. 251. & seq.
- 3 *Mensæ* partiales, & plures multorum causa malorum. p. 251.
- 4 *A mensa* communi licitè absunt infirmi, & iustè occupati, iuste etiã alijs vtuntur cibus infirmi. p. 252. & seq. ex conciliorum, & Patrũ definitione, & sensu.

I N D E X:

- 1 *Micheas* Propheta discipulus Eliaz, non qui inter. 12. Prophetas enumeratur, sed alius, cuius gesta breuiter enarrantur p. 73.
- 1 *Missæ* ex Regulæ præcepto singulis diebus à nobis audienda est. p. 360 post med. & seq.
- 2 *Missam* solennem, & conuentualem singulis diebus celebrandam nobis præcipi, ad quam omnes conuenire debeant, probabilius est. p. 360. propè fin.
- 1 *Monachi* finis assidua oratio. p. 287. in fin.
- 2 *Monachos* alia condimenta. præter communia, requirètes, vel communia respuentes, & murmurantes, & delicatè se habentes, Patres acriter reprehendunt. p. 254. ad med & seq.
- 3 *Monachos* delicatos egregie depinxit Bernardus, cuius verba de eare p. 254. in fin & seq.
- 4 *Monachi* choristæ siue sacris initiati. siue nõ, siuè iure Ecclesiastico, siuè consuetudine ad diuinum officium persoluendum tenentur p. 295. circa med. & seq. arctius autem ad sacros ordines promoti, ita, vt non promotos semel aut iterum omittentes excusent à mortali quidam Neoterici. p. ead.
- 5 *Monachi* professi non promoti, ex priuilegio, an. & quomodo excusentur ab officio diuino persoluendo. p. 296. in fin. & seq.
- 6 *Monachos* choristas non initiatos, quamuis probabile videatur solum sub veniali ex vi Regulæ ad officium diuinum obligari: tamen multò probabilius, imò certissimum esse videtur eos sub mortali adstringi. p. 298.
- 7 *Monacho* nostræ professionis conuenit vestis aspera. p. 122.
- 8 *Monachus* vnde dictus. p. 49. in fin. & seq.
- 1 *Monarchia* excellit alias gubernationis species, absolutè loquendo p. 231.
- 1 *Monasteria* deserere attento iuris rigore non possunt Mendicantes sine noua licentia Papæ. p. 243. licet tamen hoc eis ex priuilegio. ibidem.
- 2 *Nobis* licet monasteria deserere ex concessione Sixti. 5. p. 243. in fine: dummodo fiat cum licentia Generalis. p. 244. in princ.
- 1 *Morbis* definitur ex Modestino I. C. p. 412. post med. & ex Galeno. p. 413.
- 2 *Idem* quod ægrotudo, siuè infirmitas ibidem.
- 1 *Mutanda* sunt successu temporis multa prudenter, quæ antea salubriter erant instituta. p. 134.

N.

- 1 *Necessitatis* nomine, non solú quæ extrema, aut grauis est, sed etiam quæ ad condecenciam nostri status pertinet, in Regula intelligenda est. p. 346. propè finem.

I N D E X.

2. Non quælibet necessitas hoc nomine continetur : neque ita propul-
sanda est, vt omnia abundant. Quod ad monachorum abu-
sum pertinet pag. 347. in principio.

O.

1. *obsecratio* deprecationem malorum, hoc est, petitione remissio-
nis peccatorum significat pag. 281. circa med.
2. *ocasio* errandi quæ fuerit his, qui existimarunt, Carmelitas sub
Regulâ Basilij, misisse pag. 190. & sequentibus.
3. *Otiositas damnata*, pag. 430. vsque ad pag. 431.
4. *Otiosi* peccatum scandali committunt pag. 442. post prin. non ta-
men ingratitude sibi ante medium.
5. *officium* diuinum quare sic dictum pag. 293. ad med.
6. Ad officium diuinum persoluendum in communi sine cantu, duo-
rum numerus sufficere videtur pag. 301.
7. Nisi debitis horis persoluatur, Prælatus peccat mortaliter, si sæpè
fiat pag. 302. ad med.
8. Quæcumque ad eius debita persolutionem requiruntur, reduci
possunt ad hæc, nempe, ad integritatem, ordinem, qualita-
tem, locum, tempus, attentionem, & deuotionem, & quan-
do, & quantum peccatum sit horum peruersio pag. 304. in prin-
cipio & sequenti.
9. *Ordini* Diui Bernardi, & Hieronymi concessum est, vt horas
statuere & determinare possint in recitatione diuini officij ob-
seruandas: quod cum capitulo per Generalem, aut de senio-
rum consilio fiat pag. 305.
10. *Officium* recitare de festiuitatibus in ordine consuetis non solum li-
cite in nostra Reformatione possumus, quod latè probatur, pa-
g. 310. post med. & sequent. Sed etiam ad id tenemur, pag. 313.
iuhne.
11. *Officium* Beatæ Mariæ, quod semel in hebdomada fit, vnde ori-
ginem habuerit? pag. 316. circa med.
12. *Officium* paruum Beatæ Mariæ nunquam fuit sub præcepto iure
communis Ecclesiæ contra Nauarrum pag. 319. in principio.
13. Pius Quintus sustulit obligationem huius officij parui quo ad sin-
gulos pag. 318. prope fin.
14. Non obligat sub mortali ad attentionem singulos etiam in choro
existentes: quod per triplicem modum late exponitur pag. 319.
& sequent.
15. *Officia* per singulas hebdomadas antiqua consuetudine apud mo-
nachos diuina solita pag. 266. post prin.

1. Officium diuinam publicè & in communi in monasterijs persoluendum est, si opportunitas ad sit, alioquin Prælatus peccat mortaliter. p. 299. post prin. & quæ sit hæc opportunitas ibi. Onager denotat solitarium. & o. ante med.
- 1 Oratio proprie accipitur pro deprecatione, siue petitione p. 278, & pag. 281.
2. Mentalis excedit vocalem, & feruentior est pag. 279. post med.
- 3 Tam per vocalem, quam mentalem fit satis Regulæ præcepto ibi. prope fin.
- 4 Orationis nomine quæ contineantur. pag. 281. post princip.
- 5 Ad orationem & meditationem tenemur ex Regula scicet ad vtrumque, non ad alter vtrum pag. 81. in fine.
- 6 Orandi tempus certum cum nullum præfixum sit iure diuino, difficile est determinare quando quis teneatur. p. 281. post princip.
- 7 Ad orationem per spiritum factorum excitamur sæpe, & id Christus sedulo suavit. pag. 283. ad med.
- 8 Orandum esse semper, quidam exponunt per bonam operationem. pag. 283. in fin. Quidam per conjunctionem assiduam cum Deo ex amore, & desiderio. pag. 284. post prin. Quidam (& commodius) per assiduitatem orandi, & petendi quam maxima esse possit. pag. 81. post prin.
- 9 Orandi, & meditandi semper die ac nocte præceptum, non physice, sed moraliter intellectum p. 286. ante med, vel per continuū desiderium vel per assiduam petitionem explicatum, non est impossibile. 283. p. st med.
- 10 Orationibus breuibus, nēpe, jaculatorijs huic præcepto Patres satisfaciebāt. quo. fu. in vsu antiquis monachis p. 287. in prin.
- 11 Orare, ac meditari, quam actus sint interiores, qua ratione à Regula præcipi possint, vt obligemur p. 287. ad med.
- 12 Orandi ac meditandi præceptum qua oratione, & meditatione, qua expeditione, & remotione impedimentorum, impleatur p. 290 post princip.
- 13 Oratio vocalis utilis ad mentalem. pag. 292. & sequentibus.
- 14 Orationem ac meditationem maxime iuuant celle iugis custodia & labor manuum pag 179 & sequentibus: stricta paupertas, ieiunium, & silentium, ibidem.
- 15 De oratione, contemplatione, & puritate antiquorum monachorum Cassianus. p. 175. & alij Patres p. 176. & sequentibus.
- 16 Orationem ac meditationem quare Religio nostra tam arcte proficitur t pag. 277.
- 17 Orandi & meditandi præcepto nostræ Regulæ satisfacit quis si tēpora orationi deputata cum alijs adimplet, quamuis reliquo tēpore

I N D E X.

- pore nullam de eare curam habeat pag. 190. post medium.
- 1 Oratorii forma & dispositio. pag. 360.
 - 1 Ordo Carmelitarum approbatus in Concilio Lateranensi fuisse ostenditur. pag. 167. & sequentibus & ad obiecta respondetur p. 170. vide religio.
 - 2 Ante ipsam Regulam Alberti etiam approbatus à sede Apostolica per A ymericum Patriarcham Antiochenū suum legatū. p. 171
 - 3 Quinimo ab anno circiter 400 approbatus censetur, quo Ioannes Patriarcha Hierosolymorum Regulam eis tradidit pag. 171.
 - 4 Ipse etiam ordo ab anno circiter 850. varijs summorum Pontif. priuilegijs tacite approbatus. pag. 172.
 - 5 Ordinum Benedicti, Dominici, Francisci, & Carmelitarum distinctio penes proprium vnus cuiusque finem, eleganter per V. valdè sem tradita pag. 177. post medium.
 - 6 Ordini D. Benedicti Hispaniæ concessum priuilegium circa officium dnu inū recitandū à Choristis non promotis. p. 297. ad med.
- P.
- 1 Paupertas in communi per Regulam nobis præcipitur, vt satis ostenditur pag. 324. in fine & sequentibus & pag. 356. & sequentibus.
 - 2 Solis Francisci, & Alberti Regulis præcipitur in communi. p. 356 post med.
 - 3 Paupertas in communi est, quæ neque in particulari neque in cõmuni quidquam possidet p. 328. in fine. In particulari vero quæ ad votum paupertatis essentialiter pertinet ibid.
 - 4 Non incongrue ex eo capite prouenire paupertatem monacho dici potest, quod quum ipse in aliena potestate sit, non videtur quidquam sub sua potestate habere posse. d. 329. & sequentibus.
 - 5 Paupertatem etiam in minutissimis Partes à monacho exigunt. pag. 329. & sequentibus.
 - 6 Quando violetur votum paupertatis breuiter. p. 332. prope med.
 - 7 Paupertatis excusatio admittenda non est Prælati circa Infirmorum curam negligenter se habentibus eo titulo. pag. 352. ad medium.
 - 8 Pallio albo vsus est Elias monastico, in cuius imitationem eius discipuli & successores eo ipso vsi sunt, quo significatur interna puritas mentis, & externa, à monacho huius professionis seruanda p. 124. ad medium & sequentibus.
 - 9 Perfectio essentialis christiana in charitate consistit. pag. 194.
 - 10 Poenam legis potest Prælati diminueri, quando id ratio, & iustitia causa dictauerit. p. 380. post prin.
 - 11 Præceptum latius sumptum abstrahit à præcepto ad mortale, & veniale. p. 104. post medium & sequentibus.

I N D E X.

- 2 Præceptum Prælati sine veili, vel necessaria causa impostum, si grauiter eius transgressores punire velit, tyrannicum est, & non obligat pag. 209.
- 3 Præcepti diuini, & humani in obligando vis non eodem modo cognoscitur: sed diuini grauitas ex meliori materia, humani etiam ex intentione præcipientis colligitur pag. 211.
- 4 Vnde præceptum hominis etiam in leuiori materia plus aliquando obligat, quam in grauiori, si ita voluit legislator pagina eadem.
- 1 *Predicatio* tunc præfertur contemplationi, quando conjuncta est cum contemplatione pag. 220.
- 1 *Prelatus* legum custos, & pastor ouium, & singulos quosque viam salutis docet pag. 364. in principio.
- 2 Qualis debeat esse qui eligendus est pag. 91. in fine.
- 3 Prælatos nostri ordinis non oportet esse nimis sollicitos de proximorum cura, nisi in casu vt ibi pag. 183 & sequent.
- 4 Prælatus immediatus quamuis attento iure communi omnia pene negotia sui conuentus suo arbitrio expedire possit: communi tamen Religionum consuetudine adhibere debet in multis capituli, & fratrum consensum pag. 264 post principium.
- 5 Prælatus si tepidus sit, eligendus idoneus Magister caute tamen, vt quo ad fieri possit, Prælato duce Deo seruiamus pagina 481.
- 1 *Prior*, de quo in Regula fit mentio, pro Generali, & conuentuali accipitur, singula singulis debite accomodando pag. 230.
- 2 Prioris arbitrio non omnia disponenda, sed multa de capituli, & fratrum consensu. pag. 263. ad med.
- 3 Priorem ex eiusdem Regule professoribus esse assumendum, & Regula, & jure, & Tridentino sancitur pag. 233. in principio.
- 1 *Proprium*, ore tenus appellando noster religiosus peccat venialiter. pag. 230. in fine & sequentibus.
- 1 *Propheta* aliquando dicuntur psallentes Domino, ad hoc instituti pag. 67. & reliq.
- 1 *Proficere* qui non vult, deficit: eleganter ex Patribus pag. 468.
- 2 Non proficiendi intentio quando peccatum, si sine contemptu, vel cum illo: & quale peccatum pag. 467 & 469. & seq.
- 1 *Proximorum* cura nobis in Regula nec præcipitur, nec consulitur pag. 238. post principium: vnde moderate illi in nostra Religione incumbendum est, ne nihil assequamur pag. 284.
- 2 *Prouinciam* fundare, diuidere, vel vnã alteri subicere non possunt Prælati Regulares sine licentia Papæ pagina 241. ad medium.

I N D E X.

- 1 Puerilis ætatis magna habenda ratio inter nos, ne deficiant pag. 345. in fine.
- 1 Pulmentum à pulte dicitur, quæ est omnium seminum congeries in passo cocta; sed in Regula quidquid ad carnes non pertinet, neque ex eis originem trahit, hoc nomine continetur, quod tamen cum carnibus decoqui soleat. pag. 419. in fine & sequentibus.
- 2 Pulmento uti non licet itinerantibus, si ad nostros conuentus diuertant. pag. 419. ante med.
- 3 Ex consuetudine utuntur pulmento etiam non intinerantes, dummodo extra conuentus ordinis sint, ibidem.

R.

- 1 Rechabitæ adjuncti Eliseo in omnibus, præterquam in castitate. pag. 94.
- 2 Non sunt cum reliquo populo Iudæorum translati in Babylonem pag. 99. in principio.
- 3 Horum instituta. pag. 94.
- 1 Recreationem post prandium, & cænam, prudenter esse institutam apud nos, ratione & authoritate Patrum probatur. pagin. 258, ad med. & sequent.
- 2 Non est de medio tollenda, si debitæ circumstantiæ obseruentur pag. 260.
- 1 Reditus, vid. verbo (bona)
- 1 Refectorium communis cibi capiendi locus, vnde extra illud nihil esse comedendum seuerè præcipiunt & docent Patres pagina. 250.
- 1 Regiminis forma nostræ Religionis mixta ex Monarchia, & Aristocratia, quæ his temporibus maximè bene institutis Religionibus conuenit. pag. 331. in fine & sequentibus.
- 2 Hæc ipsa forma in Regula nostra adumbrata esse videtur, pagina. 252,
- 1 Regula dicta ab eo, quod recte ducit, vel ab eo, quod regat. pag. 253.
- 2 Sumitur pro breui & compendiosa præceptione rerum, ibidem.
- 3 Regula ut à rectitudine, & à regendo dicitur, optimè quadrat monastico instituto. pag. 155. cuius rei conuenientiam adamus si prosequitur Umbertus ibid.
- 4 Regulæ monasticæ diffinitio. pag. 156. & nostræ Regulæ diffinitio. pag. 156.

I N D E X.

- 5 Regulae Carmelitarum titulus pra alijs omnibus insignis & honorificus. pa. 157.
- 6 Regula Alberti dicitur prima, quia alias Carmelitarum Regulas perfectione excedit. pag. 64. & alijs de causis pag. 134. post medium.
- 7 Regula ab Alberto tradita anno Domini. 1171. pag. 165. ex quo tempore approbata esse censetur, tum suo, tum Legati jure, ac proinde a Sede Apostolica. pag. 171.
- 8 Fuit ab Honorio Tertio confirmata. pag. 165. anno primo Pontificatus. pag. 166.
- 9 Ante Honorium, fuit ab Alexandro Tertio & Innocentio Tertio approbata. pag. 166. & 172.
- 10 Regulae primitivae professores quid maxime pra oculis habere debeant. pag. 183.
- 11 Regulas in Ecclesia approbatas quatuor esse, ad quas aliae omnes reducuntur, communis tenet sententia. pag. 185.
- 12 Regula Basilij fuit prima. Huic successit Augustinus. Benedictus deinde sequutus est. Ultimo Regula Francisci. pag. 186.
- 13 Regula Alberti non tam alia nova Regula, quam compendium quoddam institutionum Ioannis esse videtur. pag. 91.
- 14 Regulam Alberti ex Regula Basilij esse acceptam quo sensu, siue etiam quo errore dicant Historiographi. pag. 190. & sequentibus.
- 15 Regulae Alberti perfectio pra alijs, fusa probatur. pagina 198. & sequentibus.
- 16 Regulam Alberti solam instituisse proprie vitam eremiticam, non absurde dicitur. pag. 199.
- 17 Regulas Benedicti & Augustini non vsque adeo certum est, non obligare ad mortale. p. 217. obligant autem ad veniale. pag. 221.
- 18 Regula Alberti, quamvis secundum se considerata, disputationis rigore ad mortale obligare videatur, quae pars ex multis argumentorum locis ostenditur. p. 216. & seq. tamen de facto non obligat ad mortale, & late ostenditur. pag. 219. & sequentibus.
- 19 In eo vero, quod praecipiendo statuit, obligat sub veniali. p. 221. infim.
- 20 Regula Praedicatorum non obligat etiam ad veniale. pagina. 222. post principium.
- 21 Regulae transgressio intra limites venialis culpa, gravissima est. pag. 224. infine.
- 22 Regulae nostrae eremus & solitudo maxime conueniunt. pag. 235. prope medium.
- 23 Regula Alberti quando, & in quibus fuerit correcta, declarata, ac mitigata per Innocentium Quartum. pag. 145. ante medium.

I N D E X.

- 24 Quando, & in quibus fuerit rursus per Eugenium Quartum mitigata. pag. 146. in fine.
- 25 Quando, & in quibus denovo fuerit temperata per Pium Secundum & Sixtum Quartum. pag. 151.
- 26 Pro Regula primis monachis Carmelit. Sacra scriptura, & alix Elisei exempla fuere. pag. 27. in fine.
- 1 Regulares dicuntur proprie qui professionis vinculo adstricti sunt pag. 155.
- 1 Religio Carmelitarum sub titulo & patrocinio Beatæ Mariæ est. pag. 157.
- 2 Una ex Mendicantibus. pag. 181. & pag. 366. & 357.
- 3 Religio ab Elia instituta est hæc eadem, quam sub tutela Virginis Mariæ modo Carmelitæ profitentur. Quæ veritas. multis testimonijs, & rationibus late & fuse probatur à pa. 10. ad medium, vsque ad 23.
- 4 Religio multiplex in Ecclesia. pag. 174. & 192.
- 5 Religiones ante Conciliū Lateranense, vel sola Fundatorum, vel latem Episcoporum autoritate de nouo fundari potuerunt, vt Pachomij, Basilij, Augustini, & Benedicti. pag. 167. & sequen.
- 6 Religionis Mendicantes datæ in adiutorium Episcoporum pagin. 182.
- 7 Religionis Mendicantes ex eo præcise, quod mendicantes sunt non tenentur animarum saluti operam dare: sed libere id præstant. pag. 183.
- 8 Religionum Mendicantium Prælatos credi potest teneri, proximorum curam agere tempore pestis, si non sit qui sacramenta administret. pag. 183.
- 9 Religionis alix Mendicantes pie, sancte, & laudabiliter proximorum curæ incumbunt. pag. 183. & sequentibus.
- 10 Religionem Carmelitarum sub Regula Basilij militasse quidam asserunt. pagin. 185. & sequentibus. Sed hoc verosimile non est, Quod ex collatione singulorum capitum sit manifestum. pag. 187. & reliq. Vnde neque eius appendix esse censenda est. pag. 191 & huius erroris occasio. pag. 190.
- 11 Religionis substantia in tribus votis saluatur, & illa potissimum requiruntur, vt pote quæ omnium vitiorum flammam extinguunt. pag. 195.
- 12 Religionis perfectio ex Regula, & cæteris constitutionibus simul iunctis complete confurgit. pag. 193.
- 13 Religionis in quo distinguantur. pag. 196. in fine.
- 14 Religionis vnus excellentia supra aliam tripliciter attenditur: primo ex fine perfectiori: secundo intra eundem finem exactio ma

I N D E X

gis perf. & tertio ex medijs magis eiusmodi fini proportiona-
tis. pag. 197.

15 Religio Carmelitarum prout à Discalceatis obseruatur inferior
alijs non est, exceptis his, quæ eremiticam vitam profitentur,
vt sunt Carthusiani, & Camaldulenses pagina. 201. & sequen-
tibus.

16 Religiosus tenetur aspirare ad perfectionem, non esse perfectus pagi-
na. 194.

17 Nihil propria autoritate ex bonis monasterij vèdicare potest, alio
quin rixarum, & contentionum maximam ansam præbet. pa-
gin. 338. & sequentibus.

18 Ex his, quæ habet ad vsum, nihil alteri conferre potest sine Præ-
lati licentia, neque ad vsum quidem pagin. 340. ante med.

19 Religioso occultam necessitatem Prælati manifestanti, creden-
dum est facilius, si seruus Dei sit, alioquin caute. pagin. 347. post
medium.

20 Ociosi religiosi non peccant peccatum ingratitude, ociose vi-
uendo, contra Cayetan. pag. 441. ante med.

21 Vide verbo (ordo) (monachus) (proprius.)

22 Rumores deserentes monachi reprehenduntur. pag. 262.

S.

1 Senectus quæ sit, vt huius ætatis ratio habeatur secundum Regu-
lam, arbitrio Prælati prudentis relinquendum est, ita, vt Re-
ligionis etiam ratio habeatur, ne tepescat. pagin. 344. prope
finem.

2 De senectute ad rationem ieiunij idem censei debet. pagin. 395.
post princip.

3 Silentium districte obseruatum apud quosdam Ethnicos. pagina.
317.

4 Non solum loquutionis importat priuationem, sed & cuiusuis
alterius strepitus, qui inquietare possit. pag. 446. infine.

5 Silentij præceptum æquè obligat Prælatos ac subditos, excepto
eo, quod Prælati licentiam habent a constitutione de necessa-
rijs loquendi, non item subditi. pag. 447. post principium.

6 A silentio sola ineurabilis necessitas excusat, ibi dem infine. Re-
liquas reiecisse videtur Regula excusationes pag. 447. ad me-
dium.

7 Silentij etiam tempore transacto, prohibentur confabulationes
pag. 447. infin.

I N D E X.

6. *Silentium non exhorat completorii, sed ex completo idico obligat pag. 441 & sequentibus.*
7. *Silentii & modestiæ antiquorum monachorum in communi mela commendatio ex Cassiano pag. 447. ante med.*
8. *Ad silentium egregia exhortatio Augustini pag. 448. Chrysostomi pag. 453. Gregorii pagin. 450. Bernardi. pag. 450. Bonaventuræ pag. 458. Petri Damiani pag. 455. prope finem.*
1. *Solindo ad contemplationem maxime confert pag. 457. ad finem nostræ Regule pag. 445. ante med. Ad puritatem pagin. 475. Et ad perfectionem denique pag. 458. & sequentibus.*
7. *Status perfectionis, est modus quidam vivendi certis legibus & consuetudinibus obnoxius, quibus perfectio acquiritur, vel exercetur. pag. 194.*
3. *Dividitur in statum perfectionis exercendæ, in quo sunt Episcopi, & in statum perfectionis acquirendæ, qui pertinet ad monachos pag. 194.*
7. *Studia varia, in quæ humanum ingenium propendet, optime Nestorius Abbas explicuit pag. 192.*
2. *Suavitatem dulcedinis Dei diu retinere duplici de causa non possumus pag. 19. ante finem.*
4. *Superhumeralis, sive scapularis forma, qua significatur perpetuo portandum iugum obedientiæ à monacho. pag. 123. ad medium & sequentibus.*
3. *Supererogationis opera facienda, ne in debitis deficiamus pag. 467. prope finem & sequentibus & 470. ad med.*
1. *Regula nostra non concedit ea facere sine licentia superioris. pagin. 479. ante med.*
3. *Periculosum valde est, & non ita meritorium, ea facere sine Prælati licentia. Quod fuscè probatur ex Patribus pag. 473. ad med.*
4. *Facere quæ non sunt prohibita à Prælato, nullum est peccatum, ex eo, quod non fiant cum eius licentia. pag. 473. post prin.*
5. *Hæc opera prohibenti Prælato subditi obedire tenentur: non si absolute prohibeat, sed si prohibeat, sine eius licentia fieri. pag. 471. in fine & sequentibus.*

T.

1. *Temeritatis notam vitare non potest, qui Eliam Carmelitanz familiæ Authorem esse, negare præsumperit. pag. 17. in fine.*
1. *Templum à Carmelitis, in Carmelo in honorem virginis erectum primum fuisse omnium, contra quosdam defenditur. pag. 163.*
1. *Translatio ni monasterij faciendæ non prærequiritur Episcopi licen-*

I N D I E X

- licentia ex Tridentino. pag. 220. ad med. & sequentibus: si hæc
 trãssatio intra eandem dioccesim fiat pag. 247. in fine.
- 1 Verba præceptiua quæ sint. p. 206.
- 2 Verbum (Mandamus) ex propria significatione denotat præce-
 ptum, & obligat ad culpam. pag. 207.
- 3 Verba præceptis æquipollentia quæ sint, & quod eandem vim
 habent in obligando. pag. 208.
- 4 Verba imperatiui modi sunt præceptiua sine controuersia apud
 viros doctos ibidem.
- 5 Verba (ordinamus, stabilimus &c. eiusmodi) directiua potius, quã
 præceptiua sunt: ac proinde non obligant ad mortale ex com-
 muni sententia, sed ad veniale. pag. 208. in fin.
- 6 Verbum (oportet) an præceptum inducat. p. 416. ad med.
- 1 Virgo Maria Incolas Carmeli inuisere solita pag. 167. in quos speci-
 lem amorem, & patrocinium ostendit. pag. 157 & 161.
- 2 Prima omnium inter sceminas coluit Virginitatem ad exemplum
 Eliæ. pag. 115. post med. & 118. ad med.
- 3 Virginis Mariæ natiuitas sine macula, tempus natiuitatis, virgi-
 nitas perpetuo ad exemplum Eliæ amplexa, & quod Deum con-
 ciperet, in Nubecula Eliæ ostensa designabantur. pag. 110. post
 med. & sequentibus.
- 1 Vita eremitica perfectior, sed cœnobialis iucundior, facilior, & secu-
 rior pag. 228. in fin. & sequentibus.
- 2 Vita eremitica in separatis cellulis olim viguit apud Carmelitas
 pag. 244. in fine & sequentibus.
- 3 Huius vitæ duplex finis, & charitatis consequutio cum puritate
 cordis, & experientia diuinæ dulcedinis. pag. 44. post princip.
- 4 Huius perfectio quo modo attingenda pag. 53. & reliq. iute.
- 5 Hæc omnium perfectissima pag. 198. eius laudes & pericula. p. 228
- 1 Vita communis, & eius æqualitas potissimum relucet in mensa
 communi pag. 251. vide mensa.
- 2 Huius ratio consistit in eo, quod nullus aliquid proprium habeat
 & quod omnibus de communibus bonis distribuatur. necessa-
 ria: Quam mirum in modum commendant Concilia & Patres,
 pag. 332. & sequentibus ob varias rationes, de quibus. pag. 335.
 334. & 336.
- 3 Huius vsu cessante, exortæ sunt inter fideles multæ lites & contē-
 tiones pag. 336. in principio.
- 4 Eius laudes pag. 336. & sequentibus.
- 1 Vitæ propriæ tuendæ præceptum non obligat, si rationalis causa
 adsit. p. 406. in fine.

I N D E X.

- 1 *Votum castitatis in veteri lege fidelibus propositum pag. 4. & 5. & obedientiæ. pag. 5. infn. Paupertatis etiam pag. 7. ante medium.*
- 2 *Vota Religionis in veteri lege expressa, & obseruata. pa. 4.*
- 3 *Ex voto quod fit multo præstantius, & gratius Deo, ibidem.*
- 4 *Vouere Deo, vsu receptum fuit in veteri lege ibidem.*
- 5 *Vibanus 6. tres annos & totidem Quadragenas indulfit his, qui ordinem Carmelitarum appellauerint sub titulo Beatæ Mariæ. pag. 118.*

Z.

- 1 *Zelatoris munus est, ordinis obseruantiam Zelare, & in hac parte Prælaticuram, & vigiliis iuuare. pag. 369. postprin.*
- 2 *Huius munus etiam apud antiquos monachos in vsu fuit ibidem post med.*
- 3 *Maiori vinculo, quàm ceteri religiosi, adstringitur, vt in capitulo aliorum culpas debeat aduertere. pag. sequenti inprinci.*
- 4 *Sub veniali tenetur culpas aduertere, quamuis non debeat studio se nimis explorare. ibidem.*
- 5 *Sub mortali tenetur grauem relaxationem obrepentem in monasterio, si lateat Prælatum, illi manifestare ibidem ad medium.*
- 1 *Zona pellicea circa lumbos vsus est Elias, & successores eius monachi, qua incentiuu luxuriæ a monacho sedulo restringenda, significarunt. pag. 120. & sequentibus.*

F I N I S.